[HUMBERT. DE ROMANIS

B. HUMBERTI DE ROMANIS

QUINTI PRAEDICATORUM MAGISTRI GENERALIS

OPERA

DE VITA REGULARI

EDITA

CURANTE FR. JOACHIM JOSEPH BERTHIER

ORD. PRAED. S. TH. LECT.



Vol. I.

Epistola de tribus votis substantialibus religionis.
Expositio Regulae Beati Augustini.

ROMAE
TYPIS A. BEFANI
—
1888

48006

QVOD HANC EDITIONEM

OPERVM BEATI HVMBERTI

DE VITA REGVLARI

RM̄VS P. FR. JOSEPHVS MARIA LARROCA

ORDINIS PRAEDICATORVM MAGISTER GENERALIS

AVSPICIIS MVNIFICENTIIS PROVEXERIT

ET VNIVERSIS FILIIS

IN EMOLVMENTVM EXIMIVM OBTVLERIT

IPSI

GRATIAS ENIXE AGENS EDITOR

D. D.

Ubi Humberto aliisve titulum « Beati, Venerabilis, » etc., tribuit editor, hoc intelligi jubet ad normam decretorum Ecclesiae.

PRAEFATIO

HUMBERTUS noster in oppido *Romans*, prope Valentiam in Allobrogibus natus est: unde passim Humbertus de Romanis cognominatur.

Etsi nativitatis annus lateat, attamen ipsum lucem vidisse exeunte jam saeculo duodecimo constat, siquidem Ordinem Praedicatorum anno MCCXXIV amplexus est, postquam Parisiis Juri plenius, docente Hugone de S. Charo, studuisset, artium magister laureatus renuntiatus esset, atque ipse in scholis jam doctorem egerat: quae omnia sane praestare non potuit quin aetatis annum trigesimum fere attigisset; eo imprimis quod in Facultate Parisiensi ante trigesimum aetatis annum magistri titulum concedere non solebant.

Ipsum honestiori loco natales sortitum fuisse inde colligitur quod ejusdem parentes eum Parisios mittere curarunt, Carthusienses hospitio frequenti reciperent, quodque demum ita fert vetus apud nos traditio.

Pietate eximia donatum esse ipsemet invitus testatur ubi in *Vitis Fratrum*, loco mox referendo, narrat se adhuc juvenculum frequenter in orationibus petiisse a Domino ut concederetur sibi mori in Ordine Carthusiensi, vel Fratrum Praedicatorum.

Ingenio ac scientia simul claruisse patet eo quod magister artium mox evaserit, easdemque publice professus sit.

Quanam vero providentia Ordinem nostrum ingressus fuerit nunc significandum est.

Cum anno 1224 Parisios pervenisset B. Jordanus, haec B. Dianae scribebat « Ecce, Charissima, praevia Dei gratia, comitantibus et nihilominus prosequentibus tuis ac Filiarum mearum orationibus, prospere veni Parisios sanus et incolumis competenter... Ora pro me, saluta sorores, Filias in Domino dilectas, et orare moneas pro Scholaribus Parisiensibus, ut Dominus adaperiat corda ipsorum; ut ad conversionem efficiantur faciles, et ii qui bonae voluntatis propositum conceperunt, inveniantur in opere efficaces, et ad vitam perseveranter proficiant sempiternam. » (1)

Aliquot vero post menses eidem Beatae idem Jordanus ita rursus scribebat: « Scias igitur quod postquam veni Parisios satis continue sanus fui in corpore, excepto quod in Quadragesima media habui simplicem tertianam.... Circa autem Scholares satis prospere, pro Dei gratia, mihi successit; quia ab adventu Domini usque ad Pascha circiter quadraginta Novitii Ordinem intraverunt, quorum plures fuerunt magistri, et alii convenienter litterati: et de multis aliis spem bonam habemus. Redde Deo gratias pro receptis, et ora Deum pro recipiendis, ut eis velle et perficere per suam gratiam operetur. » (2)

Horum unus fuit Humbertus ipse noster, cujus ingressum atque animi dotes ita refert Gerardus de Fracheto, auctor libri cui titulus *Vitae Fratrum*, et quidem in Cod. Chi-

(1) *Lettres du B^x Jourdain de Saxe*, edit Bayonne, n. VII; a nobis cum cod. collat. — (2) *Lettres*, n. VIII.

siano, fusioribus scil. calamis conscripto. Vix autem opus est ut moneam librum illum quasi dictante B. Humberto scriptum esse, unde in hoc ejusdem summa est auctoritas. « Frater quidam, ait, qui magnum locum tenuit in Ordine, cum missus fuisset satis juvenculus Parisius ad Scholas, et vidisset tunc Ordinem Fratrum Praedicatorum exsurgere, et memor esset Ordinis Carthusiensis, cujus ordinis Fratres solebant recipi in domo patris sui frequenter, (1) in orationibus suis petebat a Domino ut concederet sibi mori in Ordine Carthusiensi, vel Fratrum Praedicatorum.

« Licet autem ex dono gratiae divinae caveret a multis peccatis, et propter spem salutis interdum portaret cilicium occulte, et aliquas eleemosynas faceret; et ad officium divinum in festis, et quasi omni die ad ecclesiam Beatae Virginis, et ad Sermones quasi semper et libenter veniret, tamen nec ad praedicationem Magistri Jordanis, qui tunc multos commovebat, nec alicujus alterius ad ordinis movebatur ingressum. Cum autem postquam rexerat in artibus, audiret Jura Canonica, interdum in mane, sociis suis nescientibus, ibat ad scholas Theologiae. Contigit autem in quodam die festo, auditis vesperis in ecclesia Sancti Petri de Bobus, in cujus tunc parochia morabatur, recedentibus scholaribus aliis, ipsum remanere ad vigilias mortuorum. Cum autem ventum est ad lectiones dicendas, incoepit capellanus dictae ecclesiae, qui satis simplex homo videbatur, sed bonus, ipsi loqui in hunc modum: Charissime, estis vos parochianus meus? — At ille respondit: Domine, moror in tali domo. — Et Sacerdos: Bene! Ergo estis

(1) Nullus est qui nesciat *Magnam Carthusiam* ab oppido *Romans* non longe distare.

parochianus meus, et ideo volo liberare animam meam de vobis. — Et post pauca: Scitis quid promisistis vos Domino in Baptismo? — At ille: Et quid promisi ego? — Et sacerdos: Vos promisistis, inquit, vos abrenuntiare Sathanae et omnibus pompis ejus. Ille qui vos portabat et loquebatur pro vobis respondit pro vobis: Abrenuntio. — At ille: Quare dicitis vos haec? — Et sacerdos: Charissime, propter hoc, quia sunt multi scholares qui multum se cruciant ad crucibulum, (1) et multa sustinent longo tempore Parisius in studendo: et tamen totus finis studii eorum non est nisi pompa Sathanae. Dicunt enim in corde suo: Quando studueris Parisius, et fueris magister in ista et illa facultate, rediens ad terram tuam eris famosus; reputaberis magnus clericus, honoraberis ab omnibus, dabuntur tibi beneficia, ascendes ad dignitates, et hujusmodi. Et quid est hoc nisi pompa Sathanae? Charissime, caveatis vobis a tali intentione in studio vestro; et videte quomodo multi et magistri et clerici relinquunt mundum, et intrant ad sanctum Jacobum, advertentes nunc quod fere omnia quae sectantur homines in mundo pertinent ad pompam Sathanae. — Cum autem haec diceret sacerdos, ecce finita lectione una, clericus incoepit Responsorium: Heu! mihi, Domine, quia peccavi nimis in vita mea; quid faciam miser, ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? (2)

« Et sic verbum sacerdotis ex una parte, et cantus clerici praedictus ex alia quasi duae tubae intrantes ad cor ejus commoverunt eum in quamdam inusitatam compunctionem et abundantiam lacrymarum. Recedens ergo

(1) Scil. ad *lucernam*, seu *lampadem*. Cf. Joan. Jan. *Catholicon*. - In vulgari idiomate apud Sabaudos « *croisu*. » — (2) Scil. IV^a Off. Defunct.

inde, quocumque ibat, et ubicumque stabat, gestabat verba praedicta infixa in visceribus, et praecipue verbum Responsorii praedicti: Quid faciam miser? Ubi fugiam? — Cum autem haec revolveret quasi continue in corde, videbatur sibi quaedam vox in anima sua respondere: Non est quo fugias, nisi ad sanctum Jacobum, ad Fratres Praedicatores.

« In illis autem diebus, cum more solito iret ad Beatam Virginem ad orandum, tanta data fuit ei multoties gratia compunctionis, et devotio lacrymarum, et affectio cordis inconsueta, quod ultra modum desipiente sibi mundo, post paucos dies ivit ad Fratres sibi notos ad Sanctum Jacobum, et ordinavit cum eis de suo ingressu, post solutionem debitorum quorumdam.

« Interim autem locutus est Domino Hugoni qui factus est postea cardinalis, qui fuerat magister suus, et revelavit ei propositum suum confidens quod eum non impediret, quia bonus homo erat, et baccellarius jam in Theologia. Quo audito ipse gratias agens Deo, confirmavit eum dicens: Sciatis, magister, quia et ego idem proposui; sed non possum statim intrare, quia habeo expedire quaedam negotia. Sed intrate secure, et sitis certus quod ego vos sequar.

« In festo ergo Beati Andreae ipse, et dominus Hugo in sequenti Quadragesima Ordinem sunt ingressi. » (1)

Hic notat Echardus: « Quo anno vestem induerit non conveniunt auctores, aliis annum MCCXXV, aliis annum

---

(1) *Vitae Fratrum P. IV, Cap. X,* ex Cod. Chisiano. Nec lectori displiceat haec quae sequuntur legere: « Narrant autem multi qui adhuc supersunt de villa praedicti fratris *(Hinc disce scriptorem ex coaevis fuisse)* quod cum mater sua peperisset eum, et hoc denuntiatum fuisset patri suo oranti tunc in ecclesia eo

(MCC)XXVI signantibus: neutris assentimur; cum enim ubique asseratur Hugonem de Sancto Charo in Quadragesima, festo Cathedrae S. Petri, XXII februarii, Ordini nomen dedisse, quod certo non accidit anno MCCXXVI, nec sequenti, sed anno MCCXXV, quo Pascha fuit XXX martii, patet Humbertum qui festo S. Andreae praecedenti jam ingressus erat, revera anno MCCXXIV habitum induisse. Unde in codice melioris notae quem prae manibus habeo, in Chronico Humberti dicto, legitur circa annum MCCXXV Ordinem ingressus; quod recte intelligas de festo S. Andreae MCCXXIV. Sic enim omnia concinunt optime. » (1)

In Ordine autem mox pietate et doctrina claruit, ita ut lectoris priorisque officiis in Lugdunensi praesertim conventu perfungeretur, teste coaevo Gerardo de Fracheto, (2) eiusque fama latius extemplo per Ordinem pateret.

Tunc temporis sane Terram Sanctam invisit, quam ipsemet peragrasse testatur aliquando. (3)

Anno MCCXL electus fuit un priorem provincialem Tusciae, quam provinciam usque ad annum MCCXLIII

---

quod uxor laboraret in partu, tanto gaudio perfusus est quod, sicut ipse retulit aliquando, nunquam de aliquo filio vel filia, quamvis multos habuerit, gaudium tale habuit, licet iste fuerit ultimus inter omnes.

« Porro quidam frater ejus germanus, qui Bononiae et Parisius studuit in Jure Canonico, ante genitus, qui eum multum dilexerat, ejus exemplo commotus, intravit Ordinem Carthusiensem, illum complexioni suae magis competere reputans quam nostrum. In quo videtur ejus petitio supradicta *(scilicet de ingressu in utrumlibet ex duobus ordinibus)* cum augmento completa, dum ipse nostrum, frater vero suus, qui unum cor erat cum eo, Ordinem Carthusiensem intravit, in quo sanctissime vixit. » Ex quo facto sane evenit quod Carthusienses ubique olim in devotione maxima habuerint opera B. Humberti; siquidem plurimi eorumdem codices apud Carthusienses ubique fuerunt. — (1) Echard, *Script.* O. P., I, p. 142. — (2) Apud Mamachi, *Annal.* Append. Col. 311. Quod Chronicon esse Gerardi de Fracheto alias ostendemus. — (3) Cf. Echard *loc. cit.*

prudentissime rexit. Tantam sapientiae ac pietatis sibi comparavit famam, ut defuncto Gregorio IX anno MCCXLII, plurium obtinuit suffragia ad summum Ecclesiae regimen.

Anno MCCXLIV ad regendam suam Franciae provinciam vocatus, munere per annos decem sapientissime functus est. Tunc ipse celsissima officia, imprimisque patriarchatum Hierosolymitanum, oblata recusavit humillime. Quod divinitus dubio procul factum est, unde opus quod conceperat atque genuerat B. Dominicus, auxerantque B. Jordanus, S. Raymundus de Penaforti, V. Joannes Theutonicus, perficeret undequaque Humbertus noster. Anno siquidem MCCLIV in Capitulo Budae celebrato Magister generalis Ordinis renuntiatus est.

Quod officium ei coelitus praedestinatum fuisse narrat Gerardus Lemovicensis, postque ipsum Salanhacus. (1) Ista sunt Gerardi verba « Hujus viri electionem quaedam soror Ordinis apud Argentinam in Theutonia, ubi dictus Magister Johannes *(scilicet Theutonicus)* obiit et quiescit, in visu noctis hoc modo praevidit. Videbatur enim ei quod Magister Johannes stans in scapulari ad portam sororum dicebat: Ego jam iturus sum in regionem longinquam, et hic amplius non revertar. Non autem oportet contristari, Sorores, de meo recessu, quia prior provincialis Franciae post me fiet Magister, qui multa faciet bona. Eodem die magister Johannes bono fine quierit *(scilicet anno* MCCLII), et in sequenti capitulo dictus prior Franciae unanimiter est in Magistrum electus. » (2)

Regendo Ordini studuit ad annum usque MCCLXIII,

(1) *Catal.* Magistr. *Ord.* Vid. Echard, loc. cit. — (2) *Chron. Ord.* N. XV. Cf. Mamachi, *Append.* Col. 311.

quo, laboribus, aetate, infirmitatibus poenitentiisque fractus officio sese abdicavit. — Illud peculiare sibi vindicat B. Humbertus non modo quod contra inimicos, quorum ductor Guillelmus a Sancto Amore fuit, Ordinem tutatus est; vel quod eo tempore in Ordine floruerunt summi pietate et doctrina viri, scil. Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Vincentius Bellovacensis, et alii multi: decus Ordinis immortale; sed prae primis quod ipse ad omnia in Ordine manum ultimam admoverit, et quidem eximia undequaque sapientia, indulgentia atque etiam severitate. Adeo Ordinem zelavit ut in uno Barcinonensi Capitulo quatuor priores provinciales, multosque conventuales qua minus studiosos absolverit. Jussit fratres de conventu ad conventum rarius transferri, Regulam et Constitutiones in mensa continue legi, sermonem conversis in die Communionis fieri, praesules consensu patrum eligi, fratres ad Curiam difficilius dimitti, circatorem in conventibus institui, ad anniversaria perpetua fratres se non obligare; libros et scapulare album conversis auferri; dies feriatos studentibus nullatenus concedi ante S. Johannis Baptistae festum, linguae arabicae et aliis in Hispania praesertim incumbi; diebus festis sanctorum nostrorum laboribus non vacare; facta egregia Ordinis sedulo in posterum colligi, scriptisque mandari. Primus omnium jussit ut frater quilibet, dum ab alio quidquid reciperet, gratias agens inclinato capite responderet: « Benedictus Deus! » Primus per Litteras Benefactores ad beneficia spiritualia Ordinis recepit; jussit in *Martyrologio*, ad diem XXIV junii haec adnotari: « Eodem die obiit comes Montisfortis zelator fidei, et specialis amicus Beati Dominici. » Ab *Ordinario* removit verba haec: « Fratres in Parasceve discal-

ciati vadant vel intrent Capitulum; » Officium Divinum eximie ordinavit; pro Defunctis jussit a singulis triginta vicibus septem poenitentiales Psalmos recitari, a conversis singulis triginta vicibus centum Pater noster. Voluit in principalioribus studiis singulo lectori adjungi baccalarium, qui et ipse sub lectore legeret; prohibuit lectores, dum legere possunt, fieri priores: innumeraque alia disposuit sapientissime, prout fusius aliquando apparebit ex Capitulorum Generalium editione. Primus Procuratorem Ordinis in Curia instituit, Studium Generale Oxoniae haberi voluit; praedicatores fidei plurimos misit ad gentes barbaras scil. ad Saracenos, Graecos, Hungaros, Cumanos, Aethiopes, Syros, Iberos, Alanos, Gothos, Armenos, Indos, Tartaros, aliosque multos.

Ordinem totum perlustravit indefesse, Italiam nempe, Germaniam, Hispaniam, Gallias, Angliam.

Decem celebravit Capitula Generalia, eademque sapientibus ordinationibus referta.

Anno autem MCCLXIII, in Capitulo Londonensi, sponte officium dimisit, lugentibus in Ordine omnibus.

Annos undecim supervixit, operibus pietatis in Deum charitatisque in proximum indefesse vacans; Lugduni frequentius, Valentiae non nunquam apud Fratres commoratus. Denique, « plenus dierum et operibus bonis ingressus est in abundantia sepulchrum in conventu Valentino, in provincia Provinciae, A. D. MCCLXXVII, pridie idus Julii. » (1)

In Ecclesia Fratrum sepultus fuit, ante gradus altaris majoris; ipsiusque sepulchro impositus lapis fuit, in

(1) Steph. a Salanhac, *Catal. Magistrorum Ordinis.*

quo eius effigies, lilium in manu gestans, angelis ei ad caput incensum praebentibus, exhibetur. Hujus fragmentum lapidis, jam ab anno 1681 in pejus deformati (1) recentius repertum est: quod cum gratiosissime nobis significasset P. Fr. Franciscus Balme, rerum Ordinis adeo studiosus, hinc lapidem instaurare graphice partim tentavimus, eumdemque lectoribus incisum exhibemus nostris.

Sepulchro circum istud inscriptum gothice est epitaphium significantissimum, nempe:

Hic jacet hortorum fons, FERTILIS: AREA: FLOR̃:
REGULA: DOCTOR̃: LUX: SEMITA: NORmaque morum.
Hic fuit Humbertus, Romanis nomine dictus,
Consilio certus, nullo discrimine victus.
Ternis cum bis ter annis fuit ipse magister
Ordinis, et fratrum rector, lux, gloria patrum.
M. CC.ni VIIni LXXeni (2)
Anni post Christum tumulant feliciter istum
Quem fulgens sidus sursum julii trahit idus.
M.CC.LXXVII.

(1) Echard, T. I, p. 143. — (2) Quod ita legatur: Milleducenteni Septeni Septuageni; nisi magis tibi arrideat istud, ex Archiv. Ord. Praed. vol. M, p. 421-422, ubi sic exscribitur: M.CCni VIIquoque LXXeni.

In capitulo autem generali anno MCCLXXVIII, Mediolani celebrato, haec habentur: « Item volumus et mandamus quod nomina venerabilium Patrum videlicet Fr. Raimundi de Pennaforti, Fr. Humberti de Romanis, et aliorum Magistrorum Ordinis in diebus obitus eorum in Martyrologio reponantur, et in eodem die in Kalendario recitentur. Venerabilis autem Pater Fr. Humbertus de Romanis obiit pridie idus Julii, Anno D. MCCLXXVII. » Neque tibi rem faciat quod epitaphium praedictum habeat « Quem fulgens sidus sursum Julii trahit idus; » Acta autem laudati capituli: « obiit pridie idus Julii. » Omissis enim quae hypothetice proponit Echard ad textuum conciliationem, (1) dicendum est vocabulum « idus » in epitaphio non stricte, sed largius sumendum esse, ita ut intelligatur idus una cum diebus proxime praecedentibus, eo imprimis quod « fulgens sidus julii idus », ubi praesertim subintellexeris « ante », ab idibus ipsis differat.

Neque occurrit ut et nos summi illius viri laudes innovemus, cum antiquitas nostra undique ejus nomen resonet; neque ullus sit qui, lecto ejusdem vel uno opere, virum summa sanctitate, sapientia, et perspicacia eximie donatum agnoscat.

Utinam surgat aliquis nostrum qui Humberti vitam et indaget atque scribat (2)!

II. Multa egregie scripsit Beatus noster, quae ab auctoribus indicantur; scilicet.

---

(1) Echard, T. I, p. 143, col. a. — (2) In libro de *Vitis Fratrum*, pluries de Beato nostro agitur, quod observat Echard, *loc. cit.*, scil. juxta editionem Duacensem, P. IV. Cap. II. § 4; Cap. XVI, § 2; et P. V. Cap. III. § 6. Quae melius paparebunt ex editione accuratiori ejusdem libri de *Vitis Fratrum*.

*

1. *Officium ecclesiasticum universum tam nocturnum quam diurnum, ad usum Ordinis Praedicatorum.*

2. *Expositio Regulae Sancti Augustini.*

3. *Expositio super Constitutiones ejusdem Ordinis.* Quod opus infectum remansit.

4. *Liber de instructione officialium Ordinis Praedicatorum.*

5. *De eruditione praedicatorum.*

6. *De modo prompte cudendi sermones.* Opus istud, est quasi pars altera praedicti, etsi diversum propter diversitatem objecti habendum sit.

7. *Liber de Praedicatione Crucis.*

8. *Liber de his quae tractanda videbantur in concilio generali Lugduni celebrando sub Gregorio Papa X.* — Hic liber summi momenti est tum historicae tum dogmaticae rei emolumento. Inde pariter disces quantae fuerit auctoritatis Beatus noster, cui S. Pontifex tantam demandaverit provinciam ut concilio illi, cui affuturi erant SS. Thomas, Bonaventura, B. Petrus a Tarantasia, ipse prae caeteris indicaret ab omnibus tractanda. Intelliges rursus ipsum tunc temporis excogitasse Bullarium Ecclesiasticum, Catechismum, Commentarium in totam Scripturam, aliaque innumera quae etiam nostrae aetatis esse omnino videntur.

9. *Vita B. Dominici.*

10. In libro de *Vitis Fratrum* maximam habuit partem, siquidem ipso jubente et inspiciente opus prodiit.

11. *Chronicon Ordinis* ab anno MCCIII ad anno MCCLIV.

12. *Epistola de tribus votis substantialibus religionis.*

13. *Epistolae encyclicae ad Ordinem*, aliaeque multae de rebus nostris.

14. *De veris et falsis virtutibus.* Quod aureum opus et *Paradisus animae* audit, et sub nomine Alberti Magni vulgatum est; cum tamen et quamplurimi codices, et primariae ex typis editiones, et dicendi genus suadeant illud B. Humberto tribuendum esse.

Alia opera ipsi assignantur, sed minus certo; de quibus necnon et de praedictis vide Echard, (1) vel alios.

III. Hic nos igitur edimus opera quae de *vita regulari* sunt; scilicet:

1. *Epistola de tribus votis substantialibus religionis*, qua de vita religiosa in genere agitur;

2. *Expositio Regulae Beati Augustini,* ubi de vita regulari Fratrum Praedicatorum specialius sermo est, etsi aliis utilissimum etiam futurum sit opus;

3. *Expositio super Constitutiones Fratrum Praedicatorum* scil. in *Primam Distinctionem* earumdem;

4. *De Officialibus Ordinis Praedicatorum,* qui liber quasi expositio *Secundae Distinctionis* (2) apprime dici potest, siquidem, testante ipso Humberto, « sciendum quod istae duae Distinctiones differunt in hoc quod prima Distinctio continet de his quae pertinent ad vitam fratrum; secunda de iis quae pertinent ad officia et regimen Ordinis, sicut patet diligenter intuenti (3); »

---

(1) *Op. et loc. cit.* — (2) Quod opus in variis Constitutionum nostrarum editionibus additum est, licet mirum in modum deturpatum. Hoc idem et ipse Ven. mem. P. Fr. Vinc. Jandel id in animo habuerat praestare, siquidem in litteris datis 5 aprilis, 1867 de nova *Constitutionum* editione cudenda, haec habuit: « In secundo tomo.... poni poterunt Officia V. P. Humberti. » — (3) *Exposit. Constit.* cap. XXI.

5. *De eruditione praedicatorum,* quo edocentur praedicatores de modo sese habendi inter annuntiandum Dei verbum;

6. *Epistolae encyclicae* omnes e Capitulis Generalibus ad Ordinem missae.

Hinc futurum est ut hisce constituatur quasi integra legum nostrarum commentatio de mediis atque fine Ordinis nostri.

Qui rerum complexus prima fuit ratio cur de illis simul edendis cogitatum a nobis fuerit. Altera est quia hujusmodi commentatio elaborata est a viro nedum rarissimo, sed quasi unico perspecta rerum prudentia et sensu; qui Ordinem rexit eo temporis spatio quo summi in ipso floruerunt viri, scientia, virtute, zelo, si unquam fuerunt, conspicui; indeque eximiam experientiam rerum innatae sapientiae conjunxit. Qui iterum tota sui longissima vita insudavit ipsi melius cognoscendo, quod ipsemet aliquando testatus est, ubi Expositionem suam Regulae ad Supremam Auctoritatem Ordinis mittens, haec habet: « Quae redacta in scripto dilectioni vestrae, quae in hujusmodi delectari solet, mittere dignum duxi, ut per diligentiam vestram examinata prius postmodum fratribus, si visum fuerit expediens, publicentur, quorum utilitati communi desidero quod sum, quod sapio, quod possum, sicut novit secretorum Inspector, quamdiu vixero deservire. (1) »

Quantum autem verum sit illud ipsa comprobant facta, quum inter commentandas Constitutiones nostras e vivis ereptus sit, quin operi manum ultimam admovisset.

---

(1) *Exposit. Regulae, Prologo.*

IV. Quonam tempore varia illa conscripta fuerint opera nonnisi in genere dici potest.

Epistola de tribus votis a Beato nostro jam Ordinis generali Magistro facto edita est, quod fert ipse ejusdem titulus. Quo autem anno hucusque invenire non licuit, quanquam ex eximia patientiae commendatione ibidem contenta pronum sit inferre scriptam esse eo tempore quo Beatus noster, una cum toto Ordine, contra Guillelmum a Sancto Amore, non sine discrimine maximo, causam Mendicantium vehementer impugnatam tueretur, sui scil. circa supremi in Ordine officii initia.

Expositio Regulae post provincialatum in Provincia Tusciae saltem fuit exarata: quod colligimus tum ex rerum experientia ibidem jam perspicue apparenti, tum ex relatione alicujus italici proverbii, a nobis infra notandi. (1) Quinimo post ipsius a summo Ordinis regimine spontaneam absolutionem fuisse conscriptam potius censemus, eo quod in Epistola eidem expositioni praemissa, Capitulum Generale (2) alloquutus, ea utitur dicendi ratione qua apparet ipsum auctoritate morali apud patres gaudere specialiori, siquidem ait: « Cogitanti mihi de sermone qui exiit inter Fratres de Regula Beati Augustini noto vobis, et timenti ne forte sermo hujusmodi aliquibus vestrorum esset occasio minoris devotionis ad ipsam.... » Praeterea mortem qua proximam innuit, ubi dicit: « utilitati com-

---

(1) *Exposit. in Regulam*, p. 471. — (2) Alloquitur ibidem auctoritatem in Ordine summam, utpote cui jus competat libros pro Fratrum usu approbandi; hujusmodi vero auctoritatem non esse Magistri Generalis patet ex hoc dicto in plurali: « timenti ne aliquibus vestrorum.... »

muni desidero quod sum, quod sapio, quod possum..... quamdiu vixero, deservire. » (1)

Expositio in Constitutiones prodiit in ultimis auctoris annis, quod patet eo quod in finem perducere a morte impeditus fuisse ubique traditur, tum eo quod in prologo ipse referat experientiam « quam habuit in multis et variis negotiis Ordinis. »

Liber de officialibus eodem forsan tempore prodiit.

Liber de eruditione praedicatorum conscriptus exiit Lugduni, proindeque ante annum 1240, dum ibidem lectorem et praedicatorem ageret auctor. Etenim in codice Rhemensi libri *De modo prompte cudendi sermones* ad calcem (2) legitur: « Explicit summa ad omnes status, composita Lugduni a fratre Humberto de Romanis, de Ordine Fratrum Praedicatorum. » At vero in cod. Avenoniensi (3) quo insimul includuntur, et quidem eiusdem manus, duo opera de praedicatione, scilicet *De eruditione praedicatorum,* et *De modo prompte cudendi sermones*, in fine primi operis leguntur sequentia: « Circa materias sermonum sive collationum notandum est quod interdum multis difficilius est invenire materias utiles et laudabiles, de quibus fiat sermo, quam inventa materia de ipsa sermonem contexere. Et ideo expedit quod praedicator semper habeat in promptu materias ad praedicandum vel conferendum de Deo, sive ad omne genus hominum, sive in omni diversitate negotiorum, sive secundum varietatem omnium festorum, sive secundum proprietates missarum temporis, sive proprietates sanctorum in

(1) *Exposit. in Regulam,* p. 471. — (2) Cf. Echard, T. I, p. 146. Hodie in Bibliotheca publica asservatur, sub n. 460, 433. — (3) Biblioth. publica. n. 183.

festis eorum. Porro diversitates hominum quibus praedicare contingit possunt sic assignari... »

Ex quibus arguere licet alterum opus esse quasi continuationem prioris : unde et istud eodem tempore compositum censeatur oportet.

V. Iam de editionis nostrae rationibus nonnihil dicendum est. Quia igitur ea quae typis edita prodierunt, turpiter et insulse imminuta ac immutata fuisse nobis ex codicum collatione constiterit, hinc codicibus quasi unice fidem quoad huiusmodi opera adhibuimus, excepta *Epistola de tribus votis*, quae sanctius propter brevitatem sane servata est.

Epistolae istius *de tribus votis* plurimi occurrunt ubique codices. Nos in editione nostra adhibuimus illum qui Parisiis in Biblioteca Nationali sub numero 13611 exstat, saec. XV. conscriptus; aliumque Basileae in Bibliotheca publica asservatum sub n. B. VII, 10, qui saec. XIII videtur esse. (1)

Editiones typis excusas binas adhibuimus, nempe illam quam dicimus Florentinam, etsi absque loci designatione prodierit. Cum tamen in principio appareat lilium Florentinum, atque Florentinorum auctorum, imprimis S. Antonini opera simul eodem volumine comprehendat, hanc Florentinam diximus. Est autem anni 1466 prout notatur in fine voluminis, ante rerum indicem. (2) Eadem

---

(1) In eadem Bibliotheca alii ejusdem operis occurrunt codices, sub nn. scilicet 10706, 10719 et 13605. In Bibliotheca publica Vindobonae quatuor ejusdem Epistolae asservantur codices. - Alii alibi inveniuntur, quos referre hic sane superfluit. — (2) Scil. post *Tractatum de veris et falsis virtutibus*, qui explicite B. Humberto ibidem tribuitur. Eidem tribuitur iterum in codice Salmanticae in Biblioth. Publica existenti.

editio an. 1495. Venetiis, apud Joannem Emerich rursus excusa est.

Demum adhibuimus et textum ejusdem Epistolae, qualis legitur in *Bibliotheca Maxima Patrum*, D. de la Bigne, Tom. XXV, p. 653, atque editionem etsi rarius quae prodiit Vallisoleti anno 1752.

Expositionem Regulae ex solis codicibus retulimus, siquidem editiones typis vulgatae vix mediam partem textus eamdemque deturpatam omnimode exhibent.

Primus exstat in Bibliotheca Vatic. Fund. Ottobon, N. 569, saeculo XIV adscribendus Dicitur autem Spirensis, quia in fine legitur. « Liber iste est Dominorum Theunōrum in Spira. » Egregiae notae dicendus est, nobisque praecipuae fuit ubique auctoritatis.

Secundus eadem Bibliotheca Vatic., Fund. Vat. n. 521, habetur. In fine legitur: « Qui scripsit scribat semperque cum Domino vivat. Fr. Laurentius Lobregat, quem Deus ad coelestia regna perducat. Amen. Et fuit completus iste liber sive scriptus per dictum fratrem anno Dom. MCCCCXXXVI, ultima februarii, conventu Ylerdensi. » Hinc vocatur Codex Ilerdensis. Minoris autem habendus est auctoritatis, prout recentior, nec adeo accurate conscriptus.

Tertius habetur Windobonae, seu Viennae, apud Praedicatores, atque saeculi item XV existimetur oportet. In fine etenim legitur « Scriptum per me Eberardum Fromolt, anno Domini. 1464. » Hunc nos maximi facimus eo praesertim quod R. P. Fr. Vinc. Laporte summa cura nobis eumdem legerit.

Quartus erit Tolosanus, qui in Bibliotheca Urbana, sub n.° 417. Hic iterum Saeculi XIV est, neque spernendae

auctoritatis. In eo tamen desiderantur Capitula varia a LXXXII ad LXXXIX. Supplementi causa adhibuimus quoad ista Capitula alterum codicem ejusdem operis, ab illo desumptum, atque in eadem Bibliotheca, n.° 169, asservatum, cui deest et principium et finis.

Quintus exstat Gratianopoli in Bibliotheca publica, num. 340, et saeculo XIV exeunti adjudicari debet. Iste codex nitido licet charactere scriptus non summae, tamen auctoritatis tibi habendus erit. (1)

Expositionem in Primam Distinctionem Constitutionum primo edimus ex duobus Codicibus, Viennensi scil. et Barcinonensi.

Cod. Viennensis in conventu nostro habetur. Hic saeculi XIV esse censendus est.

Cod. Barcinonensis ejusdem fere aetatis exstat Barcinonae in Bibliotheca Urbana, sub n.° 724 asservatus.

Huic et alius additur, qui Barcinonensis minor apud nos audit. Iste saeculi XV est, minorisque auctoritatis. (2) Visitur sub num. 827. Quem nonnisi raro retulimus.

Liber de officialibus ex duobus codicibus iterum editur, scilicet ex Florentino et Viennensi.

Ille in Bibliotheca Nationali Florentiae exstat, sub

---

(1) Alii alibi extant ejusdem operis codices, praesertim Parisiis, in Bibliotheca dicta de l'Arsenal; Valentiae in Delphinatu, in Bibliotheca publica; - Basileae, Barcinonae in Bibliothecis item publicis. Cod. Basileensis recentior quidem est, sed commentariis adornatus plurimis. Praeter illum Viennensem, quo usi sumus, tres alii exstant Vindobonae in Bibliotheca Urbana. Hic addere libet in eadem ista Bibliotheca haberi sub num. 3815 codicem, cui titulus: *Tractatus Humberti de obedientia.* — (2) Hujus operis alii codices, a nobis tamen non visi, asservatur in Bibliothecis Francofortii ad Moenum et Darmstadii. Compendia habentur in Archiv. O. P., et in Bibliotheca Basileensi, etc.

n.° 1157, D, 9, et saeculo XIII tribuendus est. Eximiae notae est.

Iste in Bibliotheca publica Vindobonae sub num 1509 ejusdemque temporis existimandus erit, et quidem gravis momenti. (1)

Liber de eruditione praedicatorum, non omissis variis editionibus hucusque vulgatis, praesentim in *Bibliotheca Maxima Patrum*, T. XXV, exhibetur ex cod. Avenionensi, in Bibliotheca Urbana, n.° 183 asservato, (2) et quidem saeculi XIV ineuntis.

Epistolae Encyclicae habentur imprimis ex codd. Ruthenensi et Florentino *Capitulorum Generalium,* ut alias dicetur, scilicet in *Collectione Capitulorum Generalium.*

En documenta quibus freti textum Beati Humberti lectoribus nostris exhibemus.

Quorum codicum variantes lectiones, cum alicujus visae sunt momenti, imis paginis adductae sunt. De quo hic imprimis istud notandum censemus, nempe textum ipsum semper alcui codicis auctoritati inniti: ubi autem nonnulli gravius discrepant, tunc adnotatae sunt hujusmodi discrepantiae. Omissiones tamen, seu textuum hiatus non notavimus, ubi ex amanuensium oscitantia procedere certo videbantur. — Scripturarum autem aliorumque auctoritates nihil immutavimus ad recentiorum editionum normam, tum quia textus veteres per se fidem faciunt, tum quia inde melius habetur auctoris referentis sententia, tum demum quia et ipsi cum sua veteri qualicumque forma ad historiam pertinent.

---

(1) Codex alius habetur in Biblioth. Basileensi, cum adnotationibus multis. — (2) Hujus operis praeterea exstat codex in Bibliotheca Barcinonensi.

VI. Nunc unum superest ut gratias iis agamus qui nobis in re nostra fautores fuerunt: imprimis Rño P. Mariae Josepho Larroca, quo auspice prodiit editio ista.

A. R.do Patri Fr. Vincentio Ligiez multum debemus, qui nos et consilio et opere adjuvit.

At vero R. Patri Fr. Vincentio Laporte Provinciae Tolosanae alumno, summas tribuimus gratias, eo quod eximia patientia atque acumine et prudentia codices Viennenses perlegerit, atque variantes lectiones transmiserit.

Alii sunt, praesertim in Conventu nostro Tolosano, quibus plurimum favoris debemus et laboris, imprimis in legendis codicibus Salmanticensibus et Tolosano: his omnibus gratias summas publice et ex corde rependimus.

En quae in hac editione nostris aliorumque curis praestare licuit.

Opera B. Humberti ad Vitam Regularem attinentia prae manibus habes: lege, observa, (1) condona si quid erratum est, atque pro nobis ora.

J. M. J. D. J.

---

(1) Hic advertere liceat patres nostros, qui saeculo XV Ordinis reformationi vel informationi tanto zelo studuerunt, imprimis Operibus B. Humberti divulgandis institisse, quod patet ex frequentiori codicum numero illi aetati tribuendorum.

EPISTOLA

BEATI HUMBERTI

QUINTI MAGISTRI ORDINIS PRAEDICATORUM,

QUAM SCRIPSIT DE TRIBUS VOTIS SUBSTANTIALIBUS RELIGIONIS,
ET QUIBUSDAM VIRTUTIBUS
EIS ANNEXIS ET MAXIME NECESSARIIS DEO SERVIRE VOLENTIBUS,
QUAM PER TOTUM ORDINEM AD PROVINCIAS SINGULAS MISIT (1)

I. Salutatio et argumentum epistolae.

Filiis gratiae et cohaeredibus (2) gloriae, Fratribus charissimis de Ordine Praedicatorum universis, frater Humbertus, eiusdem Ordinis Magister et servus, vitam ducere Deo gratam, sibi fructuosam, angelis jucundam, daemonibus terribilem, hominibus exemplarem.

Nulla sunt omnino reputanda, dilectissimi, quae divinae laudi non militant et honori. Inde est quod officii necessitate ac fraterna (3) charitate compellimur vestris auribus, nunc scribendo, nunc monendo, saepius inculcare quae vos bona facere, et quae mala deceat declinare. (4)

Sed cum pateat quod secundum affectivam et intellectivam vires geminas sit et animae perfectio (5) bipartita, virtus videlicet et scientia, decet his nimirum virum evangelicum adornari, ut per primum in

---

(1) Qui Epistolae titulus varius in variis editoribus codicibusve legitur, utpote qui nostri auctoris non est: hunc nos, qua pleniorem, a *Bibliotheca Maxima Patrum, T. XXV, p. 653,* mutuo accepimus. — (2) Cod. Paris: Filiis gratiae cohaeredibus... — (3) Edit. Bign.: superna. — (4) Cod. Basil. et Edit. Flor.: quae vos bona facere, et mala doceant declinare. — (5) Cod. Basil.:... geminas, sint gratiae et animae perfectio.

bonum, et per alterum dirigatur in verum; per primum ardeat, per secundum luceat; per primum potens sit in opere, per reliquum in sermone, illius exemplo qui coepit facere et docere. *Act. 1.* Denique, praesentem epistolam dignum duximus charitati vestrae transmittere, quae vos moneat et doceat ad regularis observantiam disciplinae. (1)

Igitur ab obedientia, quae est unum de substantialibus religionis, (2) nostrum principium inchoamus, ad laudem et gloriam illius qui origo est omnium bonorum atque finis. Amen.

II. Exhortatio ad obedientiam.

Diligenti studio, fratres charissimi, satagamus (3) virtutum exercitiis insistere, quibus Christo conformemur, et ad perfectionis semitam informemur, atque per gloriam reformemur. Et quis ambigat obedientiam talem esse? Hanc etenim Salvator noster in tantum amplectitur, quod usque ad mortem factus Patri obediens, *Philip. 2.*, crucis supplicio condemnetur. Per hanc multarum gentium pater Abraham terram suam et cognationem suam egreditur, et usque ad immolationem filii sui, quem habuit charissimum, inclinatur. *Gen. 22.* Per hanc Josue terram promissionis invasit, et hostes gladio suo stravit. *Jos. 14, Num. 13, Exod. 17.*

Monemus igitur et hortamur in Domino ut obedientiae bonum eo servemus sollicitius, quanto sine ipsa regularibus non est salus: scientes certissime quod est acceptum (4) munus apud omnipotentem Deum obedientia, qua pro Christo nobilissimum quod est in anima captivatur, libertas videlicet voluntatis. (5) Quare dignum et justum est ut quanto quis arctius nunc per obedientiam astringitur, (6) tanto plus postmodum in coelestibus gloriosius elevetur. Hoc ipsum certe nobis innuit exemplum ubi frater, cui quatuor ostensi sunt ordines bonorum, eum qui obedientiam servavit summum vidit. *In Vitis Patrum.*

III. Detestatio inobedientiae.

Sed in contrarium valde detestabilis est (7) inobedientia. Nam idololatriae sceleri comparatur. 1. *Reg. 15.*

---

(1) Edit. Bign.: instruat et moneat ad regularis observantiae disciplinam. — (2) Edit. Vall.: unum de substantialibus religiosorum votis. — (3) Cod. Paris.: unum satagamus. — (4) Cod. Paris.: quod est accepta multum. — (5) Cod. Basil. libertas videlicet et voluntas. — (6) Cod. Basil. frangitur. — (7) Edit. Flor. et Vall.: agnoscitur esse.

Per hanc vel spirituale furtum committitur, vel rapina. Nam si occultè contrariamur obedientiae, furtum est; si manifestè, rapina est: quia in utroque rem alienam invito domino contrectamus. Voluntatem enim, quam pro Christo reliquimus, contra justitiam usurpamus. (1) Non igitur immeritò pater noster Adam immortalitate et innocentia propter inobedientiam spoliatur; ac de Paradisi amoenitate ejectus, in hanc vallem miseriae relegatur. *Gen. 3.* Per quod aperte criminis hujus enormitas declaratur.

IV. De his quae vitiant obedientiam.

Sicut sunt multa quae reddunt obedientiam commendabilem, (2) sic sunt plura que ipsam faciunt vitiosam. Sunt enim nonnulli qui ut citiùs absolvantur, malè exercent (3) injuncta sibi officia; in aliis verò invenitur extorta licencia; alii licenciam accipere non curant; alii contra negatam licentiam id quod placet facere non formidant; alii jubenti praelato contradicunt, et tamen faciunt; alii devote quidem obedientiam sustinent, sed executionem negligunt; alii ne mandatum ad eos perveniat, se abscondunt; alii, quod pejus est, se tales exhibent, ut praelatus nihil eis audeat injungere, vel mandare; alii dicunt se nescire, vel non posse quod mandatur, mendacium quodammodò conjungentes inobedientiae, cum eos ignorantia vel impotentia non impediat, sed voluntas.

Quidam quoque nolunt ea que injunguntur facere, timentes ne ab ipsis talia quasi ex consuetudine requirantur; alii perficiunt, sed cum murmure; vel non voluntariè, sed coactè; alii perficiunt quidem obedientiam, sed tristè, vel etiam nimis tardè.

Sunt etiam quidam qui quod volunt obtinent minis vel precibus importunis. Et si quandoque negatur eis licentia, domum commovent, et seipsos conturbant. Hi omnes, si veram obedientiam adverterent in sua conscientia, (4) de praedictis se gravitèr accusarent. Sed heu! nonnulli sunt qui colant culicem, et camelum glutiunt. *Matth. 23;* qui parvas negligentias in se puniunt, et majores non advertunt,

---

(1) Cod. Basil.: voluntatem enim propriam pro Christo relinquimus, quam... — (2) Cod. Basil.: obedientiam laudabilem, sic sunt plurima... — (3) Cod. Paris.: exequuntur. — (4) Edit. Vall.: hi omnes si bene adverterent, verè in suis conscientiis...

quasi statum hunc periculosum minimè recognoscant. Tales autem si amatores puri cordis essent, non tàm malum actum quàm malum statum corrigere laborarent.

V. Qualis debet esse obedientia.

Ut autem obedientia vestra omnipotenti Deo sit acceptabilis, studete habere promptam sine dilatione, devotam sine dedignatione, voluntariam sine contradictione, simplicem sine discussione, ordinatam sine deviatione, jucundam sine turbatione, strenuam sine pusillanimitate, universalem sine exceptione, perseverantem sine cessatione.

VI. Quòd obedientia debet esse prompta.

Bonus itaque frater adeo sit paratus et non turbatus, ut inveniatur ad obedientiam semper promptus. Quapropter, dilectissimi, sitis sicut aurum ductile, et quasi virga (1) flexibilis, quae rectificatur ad libitum artificis, vel curvatur. Sitis ut rotae volubiles, quae secundùm impetum spiritûs movebantur. *Ezech.* 1. Sitis ut jumentum apud Deum, *Psalm.* 72., cujus dorso indifferenter quaelibet imponuntur. Certè syllaba indifferens (2) multum est grata versificatoribus, quia poni poterit in omni loco: sic et promptus frater ad obedientiam Deo gratus est et hominibus, quia nihil respuit injunctorum. Legistis, charissimi, quia stellae vocatae dixerunt: Adsumus. *Job.* 38. Per quod apertè datur intelligi quàm conjuncta debeant esse vox jubentis et operatio exequentis. Talis ille bonus monachus extitit, qui vocatus, imperfecta dimissa littera quam coeperat, statim venit, ut dicitur in *Vitis Patrum*. Sed quidam è contrario, velut quadrati lapides, ad obedientiam vix moventur; de quibus ait Sapiens, *Eccle.* 10.: Qui transfert lapidès, affligetur in eis. Cum enim praelatus ponere quosdam in obedientiae bono nititur, per contradictionem rebellium fatigatur.

Ad obedientiae autem promptitudinem animemur (3) per exemplum. Nautae enim imperanti in mari (4) nulla dilatione differtur executio. Injungitur nobis aliquid, et inobedientes erimus nos praelato? Pudeat quòd interdùm servi nostri conducti pro parvo pretio (5)

---

(1) Codd. Basil. et Paris.: quasi virgula flexibilis. — (2) Cod. Basil.: dictio indifferens. — (3) Cod. Basil.: animemini. — (4) Edit. Vall. et Cod. Paris.: nam cum imperamus manui, nulla... — (5) Cod. Basil.: Nam cum imperantis manui

promptiores sunt ad peragendum gravia, quàm nos simus praelatis nostris pro gloria sempiterna.

VII. Quòd obedientia debet esse devota.

Sit post haec devota obedientia vestra, fratres. Ea namque devotione suscipiendum est quod injungitur, ac si Dominus praecepisset. Non enim homini, sed in homine Deo certissimè obedimus. Dubium namque non est quin acceptum offeratis sacrificium Redemptori, dum propter ipsum alienae vos subjicitis voluntati. Utinam, fratres, simus cum Christo per obedientiam crucifixi, ut, sicut ille membra habuit clavis ligata, sic mandatis superiorum nostrorum membra nostra omnia sint captivata; scientes certissimè quòd tantò liberiores apud Deum erimus, quantò nunc pro illo devotiùs nos arctamus.

Denique virtus haec non sine causa victimis antefertur, *1. Reg. 15.*, quia hìc mactatur in holocaustum omnipotenti Deo voluntas propria; sed ibì tantummodò caro aliena. In jejuniis, et vigiliis, et orationibus possunt aequari nobis saeculares, quos, quia in abdicatione propriae voluntatis et obedientia praecellimus, eosdem judicaturi cum Christo in extremo examine (1) praecedemus. *Matth. 19.* Unde summoperè cavendum est ne in his duobus etiam in minimo claudicemus.

VIII. Quòd obedientia debet esse voluntaria.

Voluntaria quoque sit obedientia, quae non virga, vel calcaribus indigeat; sed moveatur sibilo dulciori. Multùm enim est laudabilis obedientia quae praeceptum servat; laudabilior quae consiliis et admonitionibus obtemperat; sed omni laude dignissima, quae praecipientis animo se conformat.

Sed sunt nonnulli qui potiùs a majoribus suis audire volunt placita, quàm, ut placeant, facere audita; qui praelatum sibi, non se illi cupiunt obedire. Isti non magistrum gentium dicentem, *Act. 9.*: Domine, quid me vis facere? sed caecum, cui dixit Dominus, *Marc. 10, Luc. 18.*: Quid vis ut faciam tibi? satagunt imitari.

Patet ergò esse, fratres mei, duplicem obedientiam: unam quidem necessitatis, et aliam charitatis. Illa praeceptum respicit; haec con-

---

nulla dilatione differtur exsecutio, injungatur vobis aliquid, et inobedientes eritis vos praelato? Pudet quod interdum servi nostri conducti pro pretio... — (1) Cod. Paris.: extremo judicio.

siliis et admonitionibus acquiescit. Illa necessitate quadam arctatur; haec charitatis amplitudine dilatatur. Illa per coactionem est servorum; haec per libertatem spiritûs est filiorum. Et istam utique tantò magis acceptam, quantò minùs debitam esse constat.

IX. Quòd obedientia debet esse simplex.

Tam simplex sit etiam obedientia vestra, fratres, ut injuncta sine discussione facientes, judicetis de vestro nec minimum vos habere. Nam quisquis intentionem praecipientis judicat, bellum intrinsecùs sibi parat. Per hoc enim quod causas mandatorum, quas ignorat, discutit, in labyrinthum erroneum se ponit. Certè per hoc obedientiae bonum minùs purum redditur, (1) cum quis praelatum irrationabilia jubere praesumptionis oculo intuetur. Verumtamen, etsi praelatus interdùm minùs utilia vestro judicio jubet, movere vos ad inobedientiam illud non debet. Nam, etsi ille erraverit sic jubendo, nequaquam vos deviabitis, senioris mandatum, nisi contra Deum quid praecipiat, exequendo. (2) Si enim ea quae per obedientiam facitis non sunt interdùm utilia monasteriis, semper tamen utilia erunt vobis. Quid enim profuit quòd quidam Patrum virgam aridam longo tempore jussus rigavit, nisi quòd in terra convalescens, virtutem obedientiae et obedientis meritum demonstravit? *Hier. in Vitis Patrum.*

Obedientiae sane fastigium in hoc est quod quasi stultum se quis faciat in hoc mundo: nihil scilicet discernens, nihil judicans ex his quae fuerint imperata; sed cum omni simplicitate ac fide illud utile, illud sapiens esse judicans, quod sibi lex Dei, vel examen superioris indixerit. (3) Et verè, si per hunc modum evacuati fuerimus spiritu proprio, replebimur non immerito tunc divino. Attendite quòd in tantùm omnis creatura suo obedit sine discussione Creatori, ut de ipsa faciat quidquid suae placuerit majestati, per quod manifestè instruimur, ut simpliciter jussa facientes, nequaquam superioribus nostris per inobedientiam reluctemur.

---

(1) Cod. Paris.: Certe obedientiae munus purum non efficitur. — (2) Edit. Flor. et Cod. Paris.:... minus utilia vestro judicio videtur jubere, vos id ad obedientiam non debet movere. Nam etsi ille erraverit in jubendo, nequaquam vos deviabitis seniorum mandatum, cum nihil contra Deum praecipiat, exequentes. — (3) Cod. Basil.: injunxerit.

X. Quòd obedientia debet esse ordinata.

Oportet nihilominùs obedientiam esse ordinatam, ne, si ordo ejus pervertitur, obedientiae quoque opus per consequens depravetur. Unde considerandum est quòd, sicut ratio nostra debet esse subdita Creatori, sic voluntas obediat rationi, atque sensualitas voluntati. Nam quandò recalcitrat voluntati sensualitas, vel rationi voluntas, aut Creatori ratio, debitae subjectionis in anima perit ordo; et tunc justo Dei judicio nobis ab inferiori nostro resistitur, cum à nobis nostris superioribus non paretur.

Ordo quoque obedientiae, considerata praelatorum differentia, tenendus est ut majores minoribus in hujusmodi praeferantur. Duobus enim praelatis contraria praecipientibus, acquiescendum modis omnibus est majori. Unde, cum Deus praelatus supremus sit, contemnenda sunt prorsùs mandata hominum, quando quidquam praecipitur (1) contra Deum. Oportet enim, ut ait Petrus, *Act. 5.*, Deo magis quàm hominibus obedire.

Patet igitur quòd nunquam sunt mala propter obedientiam perpetranda, licet propter eamdem interdùm bona sint rationabiliter omittenda. Scitis etenim contemplativam vitam in multis activam praecellere; et tamen, cum ab illa subditus ad istam trahitur, quod propter mandatum negligit, virtute obedientiae in meritorum cumulo compensatur. (2)

XI. Quòd obedientia debet esse jucunda.

Post haec sciendum est quòd nequaquam ex tristitia, aut ex necessitate sit quod injungitur faciendum. 2. *Cor. 9.* Jucunda etenim obedientia praelatum ipsum jubentem laetificat, obedientiae laborem (3) alleviat, securitatem quoque conscientiae praestat. Si quis autem moestus obtemperat, cum Simone Cyrenaeo in angaria crucem portat. *Matth. 27.* Currus non unctus sub onere murmurat, et sic is qui cum tristitia obedientiam exequitur, carere unctione Spiritûs Sancti declaratur. (4) At verò gaudens cum Andrea crucem suscipit quisquis onus quod imponitur nec corde renuit, nec (5) signo quolibet contradicit.

---

(1) Edit. Flor.: quandocumque praecipitur. — (2) Cod. Basil.: et bonum quod propter mandatum negligitur, in meritorum compensatur cumulo. — (3) Edit. Flor.: obedientiae onus. — (4) Edit. Flor.: se declarat. — (5) Codd. Paris. et Basil.: at non gaudens... corde renuit, vel...

Sunt autem quidam qui ex desiderio faciunt etiam laboriosa, dummodò sint placita; alii cum gravitate etiam facilia suscipiunt, quia jussa sunt. Istud fieri persuasione diaboli certum est, ut hoc nobis grave faciat in quo majus meritum esse constat; et aliud nobis offerre satagit gaudiosum, quod saluti nostrae minùs perspicit fructuosum.

XII. Quòd obedientia debet esse strenua.

Non tantùm levia, sed ardua propter obedientiam sunt agenda. Est enim obedientia pretiosa, cum obtemperatur in placitis: non tamen quia placita, sed quia injuncta; pretiosior verò super aurum et topazion, cum obeditur in contrariis, in quibus, licet sensualitas interdùm remurmuret, (1) erit tamen ratio semper prompta, exemplo Christi, qui, quamvis calicem passionis à se transferri peteret, voluntatem tamen suam Patris subjecerat voluntati. *Matth. 26.* In obedientia, fratres mei, multùm valet ad merendi (2) efficaciam difficultas operis cum promptitudine voluntatis.

Quandò per claustralem vitam religioni jungimur, mundo morimur, et terrenis actionibus quodammodò sepelimur. Quare nostras per obedientiae bonum voluntates continuè mortificemus, ut illi qui per obedientiam sanguinem suum (3) fudit, semper vivere valeamus.

Nunquam igitur ad jussum senioris respondere praesumatis: Non possumus, aut Nescimus, cum pares, imò infirmiores vobis aggressos, propter obedientiae bonum, etiam impossibilia secundùm (4) humanum judicium cognoscamus. Vires enim Deus omnipotens administrat corpori, ubi voluntas fervens ad id quod injungitur adest menti. Unde quidam sanctorum Patrum mandato senioris obtemperans suprà spem, virtute divina, non propria, saxum movit. *Ex Vitis Patrum.*

Ex his colligere poteritis quòd obedientiae discretio est ut sit aliqualiter indiscreta; ut ea pro bono quis aggrediatur obedientiae quae aliquandò videantur secundùm mundi sapientiam carere ratione. Hinc

---

(1) Cod. Basil.: voluntas remurmuret. — (2) Edit. Bign.: ad merendi effectum. — (3) Edit. Bign.: qui pro nobis pretiosum suum sanguinem..... — (4) Cod. Basil. et Edit. Flor.: cum patres nostros aggressos propter obedientiae bonum etiam importabilia, secundum...

est quòd vir obediens loquitur victorias, *Proverb. 21*, quia voluntatem quae se naturaliter inclinat ad prospera, per coactionem obedientiae curvat etiam in adversa. (1)

XIII. Quòd obedientia debet esse universalis.

Nec semel tantùm debet quisque quod jubetur facere, sed semper et in omnibus obedire.

Sed dicunt in corde suo desides et rebelles: Videmus quòd hi qui ad obedientiam sunt difficiles, ab oneribus sunt liberi, (2) et ab officiis sunt securi. Ipsis enim ubique defertur et parcitur, cum alii, qui se ad omnia (3) paratos exhibent, nunc officiis, nunc laboribus incessabiliter onerantur. Quis ergo posset, inquiunt, omnia que jubentur custodire? Sanè, si cordis oculum aperimus, apertè considerare possumus quòd illis pro eo quòd eis parcitur, est dolendum; et istis, pro eo quòd sibi non parcitur, est gaudendum. Quòd enim interdùm parcitur rebellibus suo vitio deputent, non virtuti. Fit namque istud ne pejor scissura fiat, et concutiatur calamus conquassatus. *Isai. 42.* Sic Deus non praecepit dari libellum repudii, sed permisit. *Matth. 19.*

Exultent autem isti (4) qui oneribus praegravantur, quia, dum multiplicantur super eos onera, multiplicatur et materia meritorum, et per consequens gaudium praemiorum. Otium insuper eis tollitur, peccatorum poena minuitur, tentationum occasio removetur.

Sciendum autem quòd licet omnes homines obedientia stringantur aliquali, huic tamen propter votum regulares sunt ampliùs obligati. Nam patrifamilias obediendum est in bona suae domûs ordinatione, regibus in reipublicae gubernatione, plebanis in divinorum praeceptorum (5) expositione et sacramentorum administratione, praelatis ordinum in disciplinae observatione, summo praelato Deo in declinatione vitiorum et custodia mandatorum.

Vos igitur, fratres, qui ad obedientiam specialiter vos ligastis, nec quidquam excepistis, exemplum Psalmistae sequimini dicentis, *Psalm. 118* (6): Ad omnia mandata tua dirigebar.

---

(1) Edit. Vall.: quia voluntas quae se inclinat naturaliter ad prospera, per coactionem obedientiae ut curvetur etiam in adversa necesse est. — (2) Edit. Flor.: ab omnibus sunt liberi. — (3) Edit. Bign.: ad obedientiam. — (4) Edit. Vall.: exultant autem justi. — (5) Cod. Paris.: mandatorum. — (6) Edit. Bign. et Codd. Basil. et Paris.: dicentis ad mandata Dei se esse directum. — Caetera

A memoria quoque vestra non decidat quòd qui in uno praecepto senioris offendit, praecedentes observantias omnes perdit. *Jacob.* 2.

XIV. Quòd obedientia debet esse perseverans.

Vestra denique obedientia sit perseverans. Cùm enim professionem facitis, usque ad mortem vos obedituros in posterum obligatis. Quia igitur exitus, et non principium, acta probat, felici jucunditate perpetuò coronandus usque in finem obedientiam non relinquat. Cui ergo placet ut Veritas sibi promissa solvat, ipse quoque quod promisit finaliter non omittat. Qui enim, secundùm Christi sententiam, *Matth.* 10 et 24, perseveraverit usque in finem, hic certissimè salvus erit.

XV. De abdicatione proprietatis.

Ad aliam observantiam (1) regularem manum mittamus, ut qualiter sine proprio vivere debeatis doceamus. Igitur ex primitivae Ecclesiae perfectione discere poteritis (2) quòd habere cuncta communia debeatis. *Act.* 2. Creaturae idipsum vobis indicant in communicando bonum quod habent, et invicem sese donant; mutuò quoque sibi serviunt membra corporis, communitatem rerum per hoc indicantia vobis.

XVI. Quaedam moventia ad abdicationem proprietatis.

Abdicationem rerum Christus nos suo exemplo docuit. Beatus Dominicus nobis moriens hoc legavit.

Scriptura quoque Sacra idem figuris multiplicibus demonstravit. Nam crucifigendus Christus vestibus suis spoliatur. *Joann.* 19. Per quod nobis quàm nudos omni proprietate nos esse conveniat, declaratur. Ipse quoque non habuit ubi caput suum, sicut asseruit, *Matth.* 8, *Luc.* 9, reclinaret.

Sanctus etiam Dominicus legavit nobis, migrans ad Dominum, humilitatem, charitatem et voluntariam paupertatem.

Idipsum exemplo suo tradidit idem Pater, idest quod pauper erat pecunia, sed dives exstitit vita pura.

Denique legitur, *Apoc.* 12., quòd mulieris amictae sole pedibus

---

hic desunt usque ad art. XIV, sed inveniuntur in fine sequentis articuli. Hic tamen melius ponenda sunt, quia ad rem melius faciunt, nec si ammanuensis errore omitti facilius potuerunt et inferius referri, eadem tamen facilitate hîc prius apponi. — (1) Edit. Flor.: ad aliam observationem. — (2) Cod. Paris.: Doceri igitur ex Ecclesiae primitivae perfectione discrete poteritis...

luna supponitur, per quod esse calcanda nobis cuncta mutabilia demonstratur.

XVII. Quòd abdicatio proprietatis multipliciter vitiatur.

Sed heu! sunt aliqui qui bonum paupertatis vitiant, nunc possidendi desideriis, nunc verbis inordinatè prolatis, nunc etiam factis in virtutis hujus praejudicium demonstratis. Nonnulli sunt enim qui ad ea quae profitendo contempserant, appetitibus accensi nunc anhelant, obliti quòd apud Ponderatorem spirituum ipsa perversa voluntas, priusquàm etiam ad actum prodeat, condemnetur. E contrà quidam Patrum, quia rapere cucumerem concupivit, in sole acriter se afflixit, ut vexatio talis intellectum sibi tribueret, et sic malum in se desiderium temperaret. *Ex Vitis Patrum.* Hi verò qui habere divitias, quas foris habere non poterant, nunc affectant, si veri Christi discipuli essent, per angustam portam quae ducit ad vitam, *Matth.* 7., exonerati ab omni impedimento intrare sollicitè laborarent.

Invenimus etiam interdùm quosdam in quibusdam rebus adeo delectari, ut nec ad concedendum ea fratri petenti velint aliquatenùs inclinari.

Alii quaternos, vel res alias nituntur a fratrum aspectu abscondere, (1) ne non possint petentibus negare, quibus potius contemnenda essent haec transitoria, et fraternae (2) charitati omnia postponenda.

Pudet autem dicere quòd nonnunquàm pro vilissimis rebus sic accenduntur, ut si quis vel digito ex his quidquam contrectare praesumpserit, tam indignatione cordis contra ipsum, quàm verborum insolentiâ moveantur.

Inveniuntur et alii qui sic dicunt: Nisi mihi detur hoc vel illud habendi vel accipiendi licentia, nequaquàm domum de caetero in talibus promovebo.

Sunt et alii qui tales se exhibent, ut praelatus ex his quae habent auferre non audeat, vel quod ad tempus concedant injungere non praesumat. Et si abstulerit quidquam talium, turbationem in domo concitant et tumultum. Sed quia per talem indignationem in praedictis rebus aliquale jus sibi vindicant, proprietarios quodammodò se

(1) Cod. Basil.: a fratribus abscondere· — (2) Cod. Paris.: supernae.

demonstrant. Pro his enim nequaquàm turbationem sibi assumerent, nisi res illas, pro quibus moventur, ad se pertinere aliqualiter judicarent.

Sunt item nonnulli qui denarios sine licentia nec accipiunt nec expendunt, et tamen, quia licentiam sibi denegari nulla ratione volunt, apud Deum excusabiles non existunt.

Alii dum dare vel accipere quid desiderant, insidiosè praelati sui absentiam expectant, ut a minore praelato licentiam habere (1) valeant, quam negandam à majore credunt probabiliter, aut formidant. Isti quidem apud homines forinsecùs se excusare poterunt (2); sed apud Deum, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, perfectionis semitam derelinquunt.

Quidam etiam comestibilia, vel potabilia sibi missa, vel soli contendunt habere, vel illis solummodo quibus placet distribuere, nec fratres alios, secundùm dispensationem eorum quorum interest, participes volunt esse.

Sunt et alii quibus auctoritas est tradita, qui monasterii res indignis conferunt, aut incautè perire sinunt, aut superfluè res expendunt. Qui nonnunquàm circa curam suî reperiuntur satis prodigi, sed quoad alios satis avari. Hi, si rectè adverterent quòd eleemosynae sunt pauperum quibus vivunt, eas cum magna timoris reverentia et prudentia aequaliter dispensarent.

XVIII. Qualiter debent esse veri amatores paupertatis.

Veri autem amatores paupertatis sine licentia nihil accipiant, nec dent vel habeant, neque celent vel mutuent, neque furentur. Quamvis enim nobis necessaria habere liceat in communi, nullus tamen quidquam habeat in speciali. Ecce pater noster Augustinus tantae paupertatis extitit, quòd testamentum nec moriens fecit ullum.

Et sicut proprium non licet habere claustrali, sic et operari studeat in communi.

Sciendum est autem quòd religiosis postponenda sunt quaedam actu pariter et affectu, ut proprietas rerum quibus se privaverunt; quaedam affectu, sed non actu, ut interdùm est per activam vitam

(1) Cod. Paris.: obtinere. — (2) Cod. Basil.: excusari potuerunt.

dispensatio temporalium ; quaedam actu, sed non effectu, sicut pro bono obedientiae quandoque intermittitur contemplatio supernorum. Sed heu! videmus multos bonum paupertatis appetere : nolunt tamen ipsam cum defectu seu penuria sustinere. (1) Apud omnipotentem verò Deum tunc paupertas pretiosa redditur, cum eam voluntas devota cum difficultatis molestia comitatur. Sanè ad retinendam acceptae nuditatis virtutem, ita vosmetipsos ab omni proprietate reddatis extraneos, ut tamquam peregrinos et nihil habentes, piis monasterii largitionibus vos noveritis (2) vestiendos deinceps et alendos.

Ex praemissis (3) ergo colligite ut possidendorum in vita presenti nec quidquam inordinatè concupiscatis, nec inhonestè acquiratis, nec sine licentia quidquam recipiatis vel detis, nec praeter voluntatem praelati aliquid habeatis, (4) nec licentiam extorqueatis, nec contra fraternam charitatem quidquam teneatis, nec inutiliter expendatis.

XIX. De multiplici nocumento proprietatis.

Ostendunt proprietarii se vacuos esse Dei gratia, qui contra professionem suam possidere satagunt aliena. Mala est compensatio quae bursam ditat, et animam Deo privat. Quantùm enim religiosus arcam onerat rerum proprietate, tantùm sibi gravat conscientiam puritatis egestate.

In *Dialogorum libro* legimus quemdam religiosum paucos denarios abscondisse, cujus sepultura, extra coemeterium quidem facta, maledictionem pro benedictione meruit sic habere : Pecunia tua tecum sit in perditionem, positis denariis apud ipsum.

Tales, si decedunt impoenitentes, pejores sunt inferno, qui moriente Christo restituit aliena.

Isti pro re transitoria pretiosum pignus obligant, quia pro talibus animam suam damnant, et se gaudiis coeli privant. Unde frater qui se et sua Christum secuturus reliquit, de his se vitiosè postmodùm intromittit ; iste talis insipientem se ostendit, quia molam asinariam de collo amotam resumit, et in spinas quas evaserat se projicit, ac luto quo extractus fuerat se immergit. Iste velut canis

---

(1) Cod. Basil. : cum defectuum penuria. — (2) Cod. Basil. : nosmetipsos reddamns.... nos noverimus. — (3) Cod. Basil. : Ex praedictis. — (4) Edit. Flor. : teneatis.

ad vomitum revertitur, 2. *Petr. 2.;* et retrò aspiciens mittendo manum ad aratrum, *Luc. 9.,* perficit curvum sulcum. Talis, inquam, (1) si uxorem Loth in statuam salis conversam, *Gen. 19.,* attenderet, ad ea respicere quae reliquit minimè festinaret. Minùs est sapiens qui divitias asino congregat, sed de propria inopia nihil curat: huic est similis qui contra professionem suam res sibi colligit, sed per defectum spiritualium fame perit.

Per hoc quoque quòd sua pretiosiora seipso aestimat, gradum vel ordinem diligendorum aut neglìgit, aut ignorat. Iste cùm sit mundo mortuus, fame mori formidat. Cùm de compedibus sit solutus, iteratò se illaqueat. Cùm sit in navi, aquam haurit ut se sub mergat; cùm sit in horto, sal spargit ne fructus gratiae sibi crescat. Benè talis dici potest idololatra, quia fiduciam habet in pecunia, quae in illo solùm qui juvare perfectè poterit est habenda.

O quàm iniustè res hic ponderat, qui postponendum pro (2) paucis denariis Christum putat! Immò talis interdum flagitium Judae superat, quia ille nonnunquàm pro uno solido se damnat: iste autem venditurus Dominum triginta cum denariis aestimabat. *Matth. 26.*

Naturae ordinem hic pervertit, quia terram super omnia diligit, quam inter elementa rerum Creator infimam ordinavit. Tu itaque, frater, si currere ad coelum expeditè satagis, nequaquàm prementes sarcinas amplectaris. (3)

XX. De utilitate paupertatis.

Sufficiat autem vobis, fratres charissimi, paupertas, et abominetur anima vestra transitorias substantias, quia, Christo vobiscum manente, divites nimis eritis, nihil temporalium habentes; et sine illo pauperes eritis et egeni, cunctas etiam divitias mundi obtinentes. Ille ergo sit vester thesaurus, qui solus animae desideria replere potest, et sine illo est omnis vacua creatura. Quare, si propter paupertatem esuritis, si sititis, si nudi estis, si sustinetis incommoda, (4) ille vobis solus sufficiat, cujus dulcedinis magnificentia omnia mundi commoda propter se dimissa incomparabiliter recom-

---

(1) Edit. Vall.: Talis namque... — (2) Cod. Basil.: proprietatis denariis. — (3) Cod. Paris.: Tu itaque, frater, si currere vis ad coelum expedite, satage ut nequaquam... — (4) Cod. Paris.: si nuditatis sustinetis incommoda.

pensat. Attendite, fratres mei, quod sicut securum pauper transitum per latrones (1) facit, sic et monachus nihil habens, cum decedit, diaboli securus transit laqueos et evadit. Elementa levia sursum tendunt: sic et fratres qui se omnibus perfecte nudant, libere coelos petunt. Exemplum horum nobis est pauper Lazarus, qui, *Luc. 16.*, fuit tandem ab angelo in sinum Abrahae deportatus.

XXI. De castitate.

Amplectenda est post haec velut unum bonum de religionis principalibus ipsa castitas, quae divinae visioni nos aptat, quae naturam superat, et angelicis spiritibus nos conformat. Haec est enim, inquam, quae fidelem animam Christi sponsam efficit, quae sequentes Agnum canticum novum instruit, *Apoc. 14,* et Deo proximum esse facit. Talibus inhaereatis nuptiis, ubi talamus est cordis munditia, amplexus gratia, proles opera bona, dos felicitas sempiterna. O quam regales sunt illae nuptiae, ubi anima Christo per amorem jungitur, ubi laeva ejus imbecillitatem nostram adjuvans in merito sub capite nostro ponitur, et dextra illius nos in praemio amplexatur!

XXII. Similitudines quaedam de castitate.

Castitas vestimentum est nuptiale, quo decorabimur discumbentes in convivio Summi Regis. Hoc byssino indumento qui caruerit, de nuptiis aeternis confusibiliter expelletur. *Matth. 22.* Videte quomodo confusi sunt valde servi David, quibus vestes (2) usque ad nates praescindebantur, 2. *Reg. 10.*, quia confusi nimis erunt apud Altissimum, qui tegumento nobilis continentiae nunc spoliantur. Omni laude dignum est in carne praeter carnem vivere; et inter spinas esse, sed spinarum aculeos non sentire. Salamandrae tales sunt similes, quae in igne non comburitur; et pisci, qui aqua circumdatur et non submergitur; atque grano, quod neque inter zizania suffocatur. Isti mira faciunt in hoc mundo: majus enim miraculum est de carne propria fomitem extirpare libidinis, quam ejicere daemonia vel febres de corporibus alienis.

XXIII. De tribus modis incontinentiae.

Tribus modis incontinentes errant, dum vel cogitatione, vel delectatione, vel consensu circa idem vitium laborant. Hujus figuram nobis Sacra Scriptura evidenter

---

(1) Cod. Paris. et Edit. Flor.: sicut securum iter pauper transit per latrones, sic.... — (2) Cod. Paris.: quorum videlicet vestes....

innuit, cum in primorum Parentum peccato serpentem, et mulierem, atque virum litteraliter introducit. *Gen. 3.* Sit itaque cor vestrum per castimoniam thronus eburneus, sit lectus floridus, sit fons clarus, sit ubique hortus conclusus, amoenus paradisus, sit arca extrinsecus et intrinsecus deaurata, et virtutum delectabilis apotheca.

XXIV. De cogitatione mala.

Primo ergo super corda vestra, fratres mei charissimi, ponere Christum sicut signaculum (1) satagite, *Cant. 8.*, et ne vagentur ad inania prohibete. Cor etenim cerae simile dicitur, quae per impressionem sigillo quolibet figuratur. Quare pulchris (2) imaginibus mentes vestras imprimite, ac sic eas interna (3) gloria decorate.

Studeamus etiam pigmenta bonarum cogitationum in ignem desideriorum nostrorum mittere, quo valeamus sancti amoris (4) incenso in conspectu Altissimi redolere. Desiderium enim nostrum ignis est, et secundum materiam quam imponimus, vel foetorem vel boni odoris fragrantiam excitamus. (5)

Cor quoque nostrum molae continue currenti comparatur, quae vel lolium (6) vel triticum comminuit, secundum arbitrium imponentis.

Faciamus igitur ut Salomon, qui aurea scuta (7) supra templum posuit, 3. *Reg. 10.*, ad innuendum quod quisque talis esse debet qui ad resistendum volatilibus cogitationibus se praemunit. Sciat vestra fraternitas quod cogitando quis perversa raptorem in thesaurum suum mittit, malum semen jactando nutrit, (8) sagittas diaboli absque clypei oppositione recipit, incurvando se Satanae Christum de solio dejicit, porcos in hortum suum devastandum introducit, lutum in fontem conscientiae suae immittit, (9) flores relinquens ad stercora se convertit.

XXV. De delectatione.

Quasi proles matrem, sic delectatio malum sequitur cogitatum. Quisquis voluerit vitare consequens malum,

---

(1) Edit. Bign.: ponere salutis signaculum. — (2) Cod. Paris.: pulcherrimis. — (3) Edit. Vall.: aeterna. — (4) Edit. Flor. et Cod. Paris.: summi amoris. — (5) Edit. Vall. et Cod. Paris.: excitat. — (6) Cod. Paris.: vel oleum. — (7) Cod. Basil.: vela; Cod. Paris. et Edit. Flor.: auream urnam. — (8) Cod. Paris.: cogitando quae perversa sunt, raptorem in thesaurum suum intromittit, semen jactando diabolum emittit seu nutrit... — (9) Cod. Paris.: in fonte conscientiae mittit.

praecaveat antecedens, sciens quòd qui delectationibus carnalibus mentem dederit, a supernis se influxibus (1) elongabit. Absit enim ut divina consolatio infundi debeat vasi inquinato! Nam cor immundum sedes est Satanae, cui non decet Christum per gratiam consedere. O quàm indigna commutatio, incommutabile bonum spernere et rebus mutabilibus adhaerere; fontem dulcedinis relinquere, et turbato rivulo se replere! Ergo, si de peccatis interdùm vos cogitare contingat, non hoc ex delectatione, sed amara compunctione fiat, sicut pater multarum gentium Abraham eversas urbes a longè conspexit, (2) *Gen. 19.;* et Hieremias suae civitatis excidium (3) dolens planxit. *Thren. initio.*

XXVI. De consensu.

Caeterùm si contingat ut illicita cogitatio interdùm vos invadat, (4) summoperè cavendum est quòd usque ad consensum delectatio non decurrat. Cum enim diabolus inclinare vos nititur ad peccatum, ad suum incurvare transitum vos hortatur. Sed mendax est et pater mendacii, quia minimè non permissus transilit, (5) *Job. 1.*: qui si in consensu vestro advenerit, pedem figit.

Considerandum tamen est duplicem esse consensum (6) qui nos maculat, dum vel malum facere decrevimus, (7) vel cum non in opus, sed in delectationem motùum consentimus. Quandò enim delectatio cogitationis usque ad voluntatem delectandi pertrahitur, tunc morosa et rea criminis, etiam absque perpetratione operis, judicatur. Et si taliter delectantes se apud Omnipotentem rei sunt, videant quo reatu constringantur, qui per cogitationes (8) praevenientes ad illicita se compellunt.

XXVII. Quales debent esse qui continentes sunt.

Studeamus ergo, fratres, corporis habere continentiam atque mentis, quae nobis per cinctionem lumborum, *Luc. 12.,* atque mamillarum cum zona aurea, *Apoc. 1.,* declaratur. Si verò tentatio carnis vel daemonis ad illicita nos incitat, mentem tamen stantem fortiter haec non frangat.

Sed multùm interest habere virtutes politicas, vel purgatorias

---

(1) Cod. Paris.: influxionibus. Edit. Flor.: consolationibus. — (2) Edit. Vall. et Flor.: civitates a longe conspexit subversas. — (3) Edit. Flor. et Cod. Paris.: incendium. — (4) Edit. Vall.: mordeat. — (5) Edit. Flor. et Cod. Paris.: perversus transibit. — (6) Cod. Paris.: quod duplex est consensus qui... — (7) Cod. Paris.: vel malum decrevimus. — (8) Edit. Bign.: tentationes.

aut purgati animi, quia tantò sunt extremae prioribus meliores, quantò jam post triumphum quietem sincerae possident puritatis. Quamvis enim omni laude plenum sit carnalibus desideriis resistere, multò tamen laudabilius est tentationum incitamenta non sentire. Nam quamvis obtinet in bellorum conflictibus quis triumphum, tamen vulnerum interdùm ictus recipit et plagarum. Motus etiam quem cum labore pugnae quis comprimit, (1) quandò se pacem habere speraverit, tunc insurgit. Nequaquàm enim dimicans ab hoste securus esse poterit, quem post victoriam intra suos dominantem terminos derelinquit. (2) Securior David erat postquam a praeliis, subjectis hostibus, quieverat, quàm cum bellorum discriminibus subjacebat. 2. *Reg. 11.* Status ille tranquillus in arca Noë designatur, in qua cuncta quiëtantur animalia et pacantur. *Gen. 8.* Ad pacem hanc laudabilem tunc venimus, quandò contra vitia insurgentia non quasi ex necessitate pugnare compellimur, sed ea potiùs, cum se primum oculo rationis obtulerint, velut colubrum horrore nimio detestamur. *Eccli. 21.*

XXVIII. De circumstantiis luxuriae.

Non solùm opùs luxuriae nefarium, sed ad illud incitantes circumstantiae sunt vitandae: quales sunt incautus visus, tactus, osculum et amplexus, frequens colloquium atque risus.

XXIX. De visu incauto.

Etenim, quia mors per fenestras nostras ingreditur, *Jerem. 9.*, necesse est ut visus ipse cum magna diligentia observetur, ne, dum incautè exteriora aspicimus, (3) divitias intrinsecas (4) amittamus. Certè, si David visum ab incauto intuitu restrinxisset, in tantae tentationis mala minimè incidisset. (5) 2. *Reg. 11.* Pudicitiam quoque Dina perdidit, quia ad videndum mulieres regionis circumiens in suî se custodia non conclusit. (6) *Gen. 34.* Ad tegendum visum nostrum exemplum Salvator noster nobis tradidit, qui nec proprios in derisione (7) velari oculos recusavit. *Marc. 14.*

---

(1) Edit. Flor. et Cod. Paris.: interimit. — (2) Edit. Flor. et Cod. Paris.: poterit, quamdiù contra eum dimicans victus non fuerit. — (3) Edit. Flor.: aspectus incautè exteriora inclinantes aspicimus. — (4) Edit. Bign.: affectum inclinantia respicimus, divitias intrinsecùs... — (5) Cod. Paris.: cecidisset. — (6) Edit. Flor. et Cod. Paris.: occurrens, visus in sui se custodiam non conclusit. — (7) Cod. Paris.: in contumelia.

Quocircà (1) scandalizantem oculum, secundùm Domini consilium, *Matth. 5.*, eruamus, ut visum videlicet, ne vanitates hauriat, avertere studeamus.

XXX. De contactu.

Cavendi sunt praetereà contactus non solùm lascivarum, sed bonarum etiam foeminarum: quamvis enim bona sit terra, bona quoque sit pluvia, tamen ex earum commixtione lutum efficitur. Eodem modo licet bona sit manus viri et bona manus foeminae, ex contactu tamen illarum nonnunquàm lutosa cogitatio vel affectio generatur. Si picem etenim quis tetigerit, manum utique sordidabit. *Eccli. 13.* Quis autem stultus credit se manum in ignem mittere, et incendium non sentire? *Prov. 6.* Unde quidam sanctus, quando per aquam matrem propriam transportabat, manum pallio, ne illam tangeret, involvebat. *Ex Vitis Patrum.*

XXXI. De amplexibus et osculis.

Si ergo secundùm Apostoli dictum, 1. *Cor. 7.*, bonum est mulierem non tangere, nequaquam illam expedit osculari.

Concupiscentia tamen quosdam falsò sic decipit (2) et excaecat, ut dicant talia licere, cum eumdem Apostolum constet osculum indulsisse. 1. *Cor. 16.* O quàm miserabiliter perit judicium rationis, cum affectus ad aliquid faciendum incipit dominari! Format enim sibi mens captiva conscientiam qualemcumque, dum tamen perficiat quod affectat. Ipsa verò conscientia post facti perpetrationem amaris stimulis mentem pungit, quae ad malam partem devians, veritatis semitas derelinquit. Amplexus quoque mortales non desiderant, qui ad æternas nuptias se parant. Ornatos namque lampadibus munditiae et oleo laetitiae decet esse, *Matth. 25.*, qui superni sponsi amplexibus cupiunt interesse.

XXXII. De remediis contra luxuriam.

Remedia luxuriae sanè sunt familiaritates suspectas devitare, sibi non nimis confidere, occasiones tentationum fugere, sensus exteriores claudere, cogitationes malas restringere, carnem domare, motibus insurgentibus resistere,

---

(1) Cod. Paris.: quo contra. — (2) Cod. Paris.: concupiscentia cum quodam sale sic desipit...

bonis se semper exercitiis occupare. Quem enim antiquus hostis vacantem viderit, hunc suis negotiis occupabit.

Sciendum denique quòd est nobis contra alia vitia pugnandum: sed incontinentiae malum potissimè fugiendum. Quoniam, sicut infirmus per potum frigidae aquae ardorem febrium non minuit, sed accendit; sic remedia concupiscentiae quaerens in his miseriis, desiderium nec satiat, nec extinguit.

XXXIII. De resistentibus contra luxuriam.

Omni custodia necessarium est cor custodiri., (1) *Prov. 4.*, quia constat illud multipliciter impugnari.

In resistendo quoque necesse nobis est ut ibi simus in nostra custodia cautiores, ubi pugnas experimur hostium fortiores. Nam et diabolus ibi ponit frequentiùs tentationum laqueos, ubi magis sentit nos incautos; et ibi studet fortiùs nos debellare, ubi novit nos ampliùs aegrotare. (2)

Pax et concordia cunctis est laudabilis, nisi contra vitia pugnaturis: quod optimè innuitur ubi turris David aedificata cum propugnaculis, decorata fuisse mille clypeis omnique armatura fortium memoratur. *Cant. 4.* Unde et antiquo populo propter exercitium praeliandi Jebusaeus relinquitur, *Judic. 1.*, et Machabaeis in sabbato pugnandi licentia tribuitur, 1 *Mach. 2.*, ut quàm gratum Deo sit bellum contra vitia declaretur. Fratrem illum diligenter recogitate quem vidit senex per diversarum specierum coram se formatas imagines impugnari, quas, quia per negligentiam non repulit, cordis sui pulchritudinem in conspectu Dei omnia cernentis maculavit. *Ex Vitis Patrum.* Sed è contrario benè sibi frater ille tentatus consuluit, qui, ut magis oblivisceretur talium, mulierem sibi luteam figuravit. *Ibid.*

Ad innuendum custodiam cordis nostri Cherubim flammeo gladio ad viam ponitur Paradisi. *Gen. 3.* Studeamus autem maximè caput serpentis conterere, hoc est tentationum principiis resistere, ut sic hostem, dum est debilis, opprimamus; ut nequitiam in semine destruamus, atque ad petram, id est Christum, nostros parvulos allidamus, *Psalm. 136.*: et, si adversarius noster saepiùs tentationibus

---

(1) Edit. Bign.: omni studio necessarium est cor custodiri. — (2) Cod. Paris.: derogare.

nos examinat, ipsa frequentia nos taedio non afficiat, ne simus sicut lapides, quos stillae cadentes non violentiâ sed frequentia tandem cavant, juxta illud: Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo. Liquet hoc in patre quodam, qui annis quadraginta (1) tentatus fortis athleta Christi perstitit, sed postmodùm unius noctis spatio victus cessit. *Ex Vitis Patrum.*

XXXIV. De humilitate.

Matrem virtutum humilitatem, fratres charissimi, libenter amplectamur, quam et verbis Christus docuit, et exemplo nihilominùs demonstravit. Qui etiam se mitem et humilem corde dixit, nos ad imitationem suî provocans: Discite, inquit, a me quia mitis sum et humilis corde. *Matth. 11.* Scitis de quodam apud antiquos patres recipiendo, ad mortuorum ossa misso, ut illis exhiberet ignominiam et honorem, quatenùs sicut haec ad utrumque insensibilia cerneret, sic et ipse laudes vel vituperia de caetero non curaret. *Ex Vitis Patrum.*

XXXV. De his per quæ humilitas habetur.

Ad perfectam humilitatem istis gradibus pervenietis, si videlicet defectus vestros cum dolore et emendationis proposito recolatis; si propriam excellentiam ex corde fugiatis; si contempti non contemnatis; (2) si vos verè mortuos mundo aestimetis; si nulli, nisi soli Deo, placere appetatis; nec ulli displicere, nisi soli Domino Deo, timeatis; si humana vobis praesentia nihil adjiciat honestatis, aut minuat solitudo; si vos inutiles non superficie verborum pronuntietis, sed veraciter reputetis; si desideretis viles videri; si omne quod est contra communem cursum Ordinis, quod vos potest reddere notabiles, declinetis; si singularem sensum relinquatis; si vos ipsos in vestris conscientiis accusetis, et alios excusetis.

XXXVI. De signis humilitatis.

Signa humilitatis sunt gratiam hominum negligere, sententiis aliorum acquiescere, correctiones libenter audire, caput inclinare, vestes notabiles non ferre, risum temperare, ampullosa verba (3) non proferre, tortuosum incessum vitare, majorum praecepta sine discussione perficere, aequalibus ad

---

(1) Edit. Flor. et Cod. Paris.: viginti. — (2) Cod. Paris.: si vos ipsos contemnatis. — (3) Edit. Sicard: post repulsam verba...

obsequia paratum esse, minores non contemnere, simplici gradi (1) viâ, nunquam duplicitatis aut fictionis vestigium praetendere, in litibus nolle victoriam obtinere.

XXXVII. De utilitate humilitatis.

Ut humilitatis fructum agnoscatis, noveritis (2) quia cinis est virtutum carbones (3) in fervore conservans, fundamentum spirituale aedificium ne cadat sustentans, et scala ad coelestia nos sublevans.

Ipsa enim humilitas virtutes caeteras conservat, Capiti nostro nos assimilat, actiones (4) pulchritudine suâ ornat. Haec est quae Deo est amabilis, in seipsa est laudabilis, multipliciter nobis utilis, proximis exemplaris.

Humilitas certè est virtus quae obtinet absentia, stabilit praesentia, recuperat jam amissa.

XXXVIII. Quòmodo quis humilis debet apparere.

Si quis igitur perfectè humilis esse nititur, velut surdum, mutum, caecum, immò quasi stultum exhibere ex intimis se conetur: ut videlicet nihil audire, vel loqui, vel videre cupiat, quod ipsum a proposito suo retrahat, et a bono propter derisionem aliquatenùs non recedat.

Humilitatem quoque perfectus quisque (5) teneat sine fictione, ut, sicut illam exhibet forinsecùs in opere, sic deferat eam in corde. Non sitis ergo sicut illi qui humilitatem quidem diligunt, sed contemni nolunt; quia tales, si humilitatem vere noscerent, nequaquam illam in contemptu propriae excellentiae consistere dubitarent.

In vestimentis servetis tale medium, ut nec curiositate nec pretiositate sint notabilia, nec etiam vilitate nimiâ deturpata. Superbia nonnumquam de suo interitu convalescit. Dum enim quis abjicere se nititur, de hoc ipse multotiès inaniter gloriatur.

Eodem modo, cum pro Christo quis jejunaverit, saepè vana gloria per hoc surgit. Unde cum quidam frater quaereret cur magis in congregatione quàm in solitudine jejunare posset, responsum est

---

(1) Edit. Flor.: gradientes. — (2) Edit. Flor. et Cod. Paris.: fructum noveritis, agnoscite. — (3) Cod. Paris.: virtutem carbonum... — (4) Cod. Paris.: caput nostrum simul ac actiones... — (5) Cod. Paris.: perfecte quisque...

ei: Quia digitus eum in monasterio pasceret, sed in solitudine nullus jejunii testis esset. *Ex Vitis Patrum.*

XXXIX. De nocumentis superbiae.

Nocumentum ergo superbiae in hoc perpendatur quòd duo sunt in operibus bonis: gloria videlicet et utilitas, quorum primum sibi Deus reservavit, sed reliquum nobis dedit. Unde, si Dei partem nobis habere contendimus, absque dubio partem alteram amittemus. Sicut enim ventus pulverem projicit, sic vanitas virtutes dissipat et dispergit. Hoc enim certissimè sciendum est quòd nunquam obedientiae bonum, nec patientiae virtus, nec perfectionis puritas obtinebitur, si humilitatis sinceritas amittatur.

XL. De conservatione humilitatis.

Si igitur humilitatem diligitis, per haec quae conscripsimus illam conservabitis: si videlicet in vobis pensaveritis facilitatem cadendi, difficultatem resurgendi, et incertitudinem perseverandi; si cognitionem habere studueritis propriae fragilitatis, et considerationem fratris alterius melioris; si saepè cogitaveritis mortem imminentem; si Dominum cuncta quae agitis (1) attenderitis intuentem; si nihilominùs ipsum Dominum usque ad mortem turpissimam humiliatum pensaveritis; si gloriam et honorem qui sequentur ignominiam ponderaveritis.

XLI. De patientia.

Denique, fratres mei, virtutum clypeum patientiam apprehendite, quae in Sanctis Dei mirabilia operatur. Facit enim ipsa patientia vincere puellam fragilem totum mundum: immò sine pugna vincit adversarium, et amaritudinibus mundi pascitur, (2) et contrariis delectatur. Apostoli certè dignos se habitos gaudentes judicabant, quia pro Christi nomine contumelias sustinebant. *Act. 5.*

Si benè consideramus, non sunt condignae passiones hujus temporis, quas sustinemus, ad magnitudinem passionum (3) Christi, *Rom. 8.*, nostrorumque delictorum, et infernalium tormentorum, atque coelestium praemiorum.

Proinde lætati sunt patres nostri pro diebus quibus humiliavit eos Dominus, et annis quibus viderunt mala, *Psalm. 89.*, sicut

---

(1) Edit. Flor.: si nihilominus Dominum quae agitis attenditis... — (2) Edit. Bign.: amaris pascitur. — (3) Cod. Paris.: ad magnitudinem Christi passionis.

apertè nobis Beatus Dominicus ostendit, qui loca insidiarum transiens, incessit alacriter et cantavit. Idem quoque Pater fuit Carcassonae libentiùs quàm Tholosae, quia recepit ibi molestias, hìc honores.

Exemplum patientiae nobis exhibuit qui dicebat: Nonne dissimulavi? nonne silui et jam quievi? *Job. 3.* Dissimulavit quidem foris per opera, ne impatientiae signum ostenderet; tacuit a verbis inordinatis, ne vel ore dura verba proferret; quievit et corde, ne seipsum vel intrinsecùs turbaret.

XLII. De utilitate patientiae.

Patientia est adamas, quo mens incommodis non frangitur; medicina, per quam ab omni laesione curatur; et clypeus quo ne laedi valeat communitur. Ab alio certè laedi non poterimus, nisi priùs contra nosmetipsos intrinsecus dimicemus.

Tribulationis fructum ille novit, qui pretium injuriantibus erogavit. *Ex Vitis Patrum.*

Hunc fructum Sacra Scriptura satis innuit, ubi tribus pueris ignis in nullo nocuit, sed vincula tantùm (1) solvit. *Dan. 3.*

Idem ostendit artificium, quia lapis ad hoc tunditur aut sculpitur, ut in solemni loco postmodùm collocetur. Sic et nos nunc in mundo premimur, ut in templo coelestis patriae, ubi nullus sonat malleus, collocemur. Nam gaudium tristitia praecedit, qua, vel pro exigentia (2) culpae, vel perfectione gratiae, vel augmento gloriae nunc ferimur. O labor, ó dolor, ó beatae lacrymae, quas ab afflictorum oculis manus omnipotentis absterget! *Apoc. 21.*

Coelorum regnum eorum dicitur qui propter justitiam persecutionem patiuntur. *Matth. 5.* Cum vero in persecutione duo sint, culpa videlicet et poena, meliorem partem habet patiens quam persequens, cum culpa sit laedentis, et poena tantummodò sustinentis.

Puritatem suae dilectionis in nobis omnipotens Deus ex hoc probat, quòd eos quos amat, arguit et castigat. *Apoc. 3.* Hinc est quòd in signum clementiae ab Assuero rege contra Esther aurea virga extenditur, *Esther. 3. et 4.*, quo nos esse consolandos virga correptionis dominicae figuratur. (3) Si enim suis dilectoribus tempora-

---

(1) Edit. Flor., et Cod. Paris.: sed vinculatos solvit. — (2) Edit. Bign.: experientia culpae. Edit. Flor.: purgatione culpae. — (3) Cod. Paris.: signatur.

liter benefaceret, plures sibi non pro (1) se, sed pro donis potiùs adhaererent. Fuerunt qui velut dextera utebantur similiter et sinistra, *Judic. 3.*, de quibus quid aliud dixerim, nisi quòd, sicut ad meritum vitae convertebant prospera, sic et adversa: (2) immò, ut veriùs dicam, nihil talibus adversum esse poterit, pro quibus adversitas ipsa militans cumulat semper meritum, et tandem ducit in gaudium.

Patet igitur quòd homo patiens de felle favum mellis elicit, malum in bonum convertit, amarum quasi lac sugit, moerorem in felicitatis aeternae gaudium mutat. Usque ad tempus enim patiens expectabit, ut postea jucunditatis redditio subsequatur. *Eccli. 1.* Certè peccantes ad refrigerium venire non poterimus, nisi vel hic per aquam tribulationis, vel tandem per ignem purgatorii transeamus. *Psalm. 65.* Facilior est autem aquae transitus, quàm ignis. Si adversitatum utilitatem sciremus considerare, vix in centum annis Domino possemus pro infirmitatis unius beneficio respondere. Unde *in Vitis Patrum* sapienter ille bonus frater doluit, plorans quòd eum Dominus omni anno per infirmitatis molestiam non visitavit.

XLIII. Qualis debet esse verus patiens.

Velimus igitur bona agere, fratres mei, et mala pati. Et si cordis tranquillitatem cupimus habere, debemus non quod nobis fit, sed quod aliis irrogamus ponderare; ferre libentiùs injurias quàm inferre; flagella Dei sine murmuratione sustinere, ac injurias proximi sine rancoris odio tolerare; iram fratris studiose curare, quam illum contra nos sentimus, quamvis irrationabiliter, concepisse. Exemplum de hoc sumamus a David, qui, quando citharam psallendo tetigit, in Saüle malum spiritum mitigavit. 1 *Reg. 16.* Si pœnam ex culpa meremur, doleamus; si autem innocenter patimur, gaudeamus, quia jucundius est cum Christo sustinere molestias innocenter, (3) quàm cum latrone pati justè, *Luc. 23.*; multòque majoris gloriae pro divina laude quàm pro meritis mala ferre.

Sunt igitur agendae gratiae Deo pro prosperis et adversis, sicut non solùm cantat diebus, sed etiam noctibus philomela.

---

(1) Cod. Paris.: non propter se. — (2) Edit. Vall. et Flor... sicut ad meritum vitae convertebantur per prospera, sic et per adversa. — (3) In Edit. Bign. deest « innocenter. »

Sine querela tam activè quàm passivè vos servetis, fratres charissimi, ut nec querelam moveatis de aliis, nec de vobis cuiquam tribuatis materiam querelandi.

De nullo gaudeatis, nisi quòd pro Christo militatis; nec de aliquo doleatis, nisi quòd a Conditoris gratia vos elongatis. Nam impatientia contra peccatum tantummodò est indulta. Haec enim, dilectissimi, tyronum Christi victoria (1) est ut cedant laedenti, et indulgeant persequenti.

Sitis igitur, fratres, velut aromata, quae trita magis fragrant; (2) sicut (3) aurum quod fornax non consumit, sed examinat; sicut granum, quod à palea flagellum separat; sicut navis, quam ventus non impedit, sed ad littus agitat; sicut gemma, quam sculptura non destruit, sed decorat.

Ad perfectam igitur patientiam venire cupientes, gradibus his utamur, ut videlicet malum pro malo nunquam reddamus, malo non resistamus, (4) mala toleremus, injuriantem placemus, inimicum diligamus bonum pro malo rependamus, gaudenter injurias suscipiamus, ad plus sustinendum parati simus, in tribulatione Deo gratias referamus, adversitates pro Domino affectemus.

Maximè verò valet ad sustinendum convitia, si ad responsionem talionis non simus faciles, sed immobiles velut muti, et quasi qui hoc non audierint, vel adverterint, (5) sicut surdi. *Psalm. 37.*

XLIV. De malis impatientiae.

Multa mala impatientia operatur. Rationis etenim oculum caecat, Sancti Spiritûs donum conturbat, ac pacis dulcedine mentem privat.

Haec draconi (6) comparatur, quia, sicut ille ignem vomit, sic importunus homo impatientiae verba fundit. Ira enim febribus similis est, quia non solùm animus, sed et corpus per eam inordinatis motibus commovetur. Immò dico iram febribus pejorem, quia cum

---

(1) Edit. Vall.: haec enim, dilectissimi, thronus Christi et victoria est... — (2) Edit. Bign.: velut radices quae contritae magis fragrant. — (3) Edit. Bign. hic perpetuò habet « sitis » pro « sicut. » — (4) Edit. Bign.: malo resistamus. Edit. Flor.: bono non resistamus. — (5) Cod. Paris.: quasi hoc non audieritis, vel adverteritis sicut surdi. — (6) Edit. Vall. et Flor.: diabolo.

per febres homo semel vel bis per diem vexetur, per iram uno die multotiès agitatur.

Cum autem tribulatio sit quaedam rasura, quisque quandò per hunc modum raditur, quietus sedeat, ne si sub rasorio insolenter se moverit, pejus malum per impatientiam sic incurrat. Quando ergo de detrahente se quis vindicaverit, plùs amittit, quia tribuit tunicam innocentiae tollenti pallium bonae famae. Si quis vero a Domino vindictam poscit, ipsum Deum quodammodo tortorem, et sese (1) judicem facit.

Quid de ira dicam? Per ipsam etenim cor accensum palpitat, os clamorem format, (2) sensus quid loquatur ignorat, excaecantur oculi, non cognoscuntur noti, facies ignescit, lingua (3) praepeditur, corpus tremit.

XLV. Quòd in quibusdam patientia deformatur.

Sunt autem nonnulli qui patientiam, non ex propriis, sed ex virtutibus concipiunt alienis: qui volunt esse tunc solummodò patientes, cum non fuerint ab aliis irritati.

Sunt et alii qui foris injurias dissimulant, rancorem tamen in interioribus servant. Horum patientia est sicut calceus (4) non unctus, qui ab exteriori quidem laesione pedem defendit, sed interiùs (5) pedem rumpit. Isti sunt lupis similes, qui plagas in pelle foris bene sustinent et vulnera, sed corruptionis recipiunt faciliter in interioribus detrimenta. (6)

Sunt item alii qui proprias injurias studiosè vindicant, sed injurias Dei persequi minus curant, non advertentes aliquando per zelum, aliquando per vitium iram esse: prima contra injuriam Dei, secunda contra injuriam propriam commovetur. Et illa est gratiae, ista culpae; illa praemium cumulat, ista poenam importat. (7)

Sed cavendum est valdè ne intantùm animus per iram turbetur, ut quod vitio furoris agitur fieri per zelum rectitudinis aestimetur.

---

(1) Cod. Paris.: pro se. — (2) Cod. Paris.:... cor accenditur sive palpitat, os in clamorem sonat. — (3) Cod. Paris.: lingua impeditur. — (4) Edit. Flor.: sotularis. — (5) Edit. Flor.: intrinsecus. — (6) Edit. Bign.: decrementa. — (7) Cod. Paris.: illa praemium, ista poenam importat.

Interdùm enim vitia virtutibus se palliant, et actus qui possunt fieri meritoriè, reddunt noxios ac depravant. Sic fit nonnumquàm ut in correctione fraterna ira charitatem excaecet, cum potiùs è contrario charitas iram debeat excaecare.

Sunt et alii qui personis, et non vitiis irascuntur. Nos autem si charitatis ordinem inspicimus, hoc videmus quòd est diligenda natura, quam Deus condidit, et detestanda sunt crimina, quæ quis ex instinctu proprio, vel certè diaboli, perpetravit. Possumus tamen interdùm homini non ex rancore irasci, et pro bono suo cupere illi malum poenae. Cum quis ex sanitate corporis, vel affluentia divitiarum, vel aliis ex gratiis extollitur, aut peccatis aliis implicatur, ut sibi bona subtrahantur hujusmodi benè et rationabiliter possumus exoptare, (1) ut, deficiente causa, deficiat (2) et effectus.

XLVI. Qualiter patientia acquiratur.

Ut autem jucundiùs nobis adversantia sustinere possimus, studeamus hoc sollicitè possidere, videlicet memoriam passionis dominicae, considerationem retributionis divinae, ac dulcedinem dominicae charitatis. Pensemus et nostra mala merita Deique beneficia, poenam purgatorii quae nobis per tribulationem diminuitur, et peccatum quod dimittitur, et gratiam quae perficitur, et Dei gloriam ad quam ordinamur, praemium quod augetur, atque cautelam qua per hanc non modicùm erudimur.

Sed laborandum nobis est ne per ipsam nos contingat inde poenam (3) incurrere, unde possemus gratiam et gloriam expectare. Videmus enim quòd per aequalem motum pigmentum redolet (4) et lutum foetet, et quòd in eodem igne aurum rutilat et foenum fumat. Certè tribulatio calcar est ad boni operis fervorem, pigritiam nostram excitans, et ventus ad portum gloriae nos impellens. Caeterùm, cum injuriosè molestamur, citiùs in nobis rancorem extinguimus, si per dissimulationem primos motus reprimamus. Est enim irae natura quòd signis exterioribus prolata crescit, sed occulta (5) minuitur et languescit.

---

(1) Cod. Paris.: laudabiliter expectare. — (2) Edit. Bign. desinat. — (3) Edit. Flor.: ne per ipsam nobis contingat quandoque poenam... — (4) Edit. Flor. et Cod. Paris.: pigmentum videlicet fragrat. — (5) Cod. Paris.: dilata.

XLVII. De ordinatione hominis quoad Deum

Omni nisu vos exhibete laudabiles, fratres mei, coram Deo sinceros mentis puritate, et coram hominibus praeclaros decenti disciplina. (1) Exhibete vos semper in tali servitio timoratos ac devotos. Sollicitè Deo placita investigate, et ardenter ea concupiscite ac implete. In charitate et ex charitate cuncta facere satagite, ut et Deo largiente habeatis charitatis habitum, et per vestrum studium ejus motum. Si enim unum istorum in vestris actionibus defuerit, nequaquam apud Deum meritorium opus erit. Id ergo quod in usum venerit, devotè ad Deum referte, et ei propter seipsum per amorem infatigabiliter inhaerete.

Via vobis sit ad Deum tam prospera quàm adversa sustinere, ut in successibus cum gratiarum actione sitis humiles, et in adversis seu contrariis patientes.

De nullo gaudeatis, nisi quòd Christo militetis; nec de aliquo doleatis, nisi quòd ab ejus gratia vos elongetis. (2) Soli Deo placere appetatis, sibique solummodò displicere timeatis. Sola vobis ea quae vos Deo jungunt dulcescant; sola quae sibi contraria amarescant.

Totam vitam vestram ad Dei gloriam ordinate, semper illi de beneficiis suis gratias agite, et quidquid ad laudem ejus non pertinet quasi amissum penitùs reputate.

Vilescant vobis omnia praeter (3) Deum, nec quaeratis aliquid in transitoriis, quod est contra Deum. Delectet vos omne (4) tristabile quod ordinat vos ad Deum.

Sit vobis Deus in honore gaudium, in moerore solatium, et in tribulatione defensio; sit vobis cibus in jejunio, in paupertate abundantia, in infirmitate saluberrima medicina. Quapropter si esuritis, ille vobis sit convivium; si sititis, ille vobis sit vinum conditum; si nudi, sit ipse vestitus; si infirmi, sit ipse medicus; si vigilatis, sit ille lectulus; si fatigati ex itinere, sit quies et umbraculum vobis ipse. Sit, inquam, Deus cordis vestri speculum quo vos componatis, sit sigillum cui vos imprimatis, sit via per quam ambuletis, sit gemma

---

(1) Edit. Bign.:... sincerae mentis et coram hominibus decentis disciplinae. — (2) Quam sententiam suprà n.° XLIII jam legi adverte. — (3) Edit. Bign.:.. propter. — (4) Edit. Flor. et Cod. Paris.: affectetis omne tristabile.

quae vos ornet, (1) sit fons qui vos lavet, sit panis qui vos confortet, sit electuarium quod vos sanet, sit clavis quae corda vestra sibi aperiat, mundo claudat. Et si vires corporis deficiant, semper tamen in obsequio Conditoris bonae voluntatis desideria inardescant.

Diligite quod Deus diligit, et odite tantummodò id quod odit.

Quantùm est in vobis, semper studeatis habere intellectum Deum cognoscentem, affectum Deum diligentem, diligentiam ipsum quaerentem, sapientiam ipsum invenientem, conversationem sibi placentem, perseverantiam ipsum fiducialiter expectantem. Quid plura, fratres? Adoremus Dei potentiam, miremur sapientiam, amemus clementiam, desideremus pulchritudinem, alliciamur per dulcedinem, veneremur aeternitatem, imitemur humilitatem, magnitudinem inquiramus, perfectionem laudemus, misericordiam speremus, justitiam ejus timeamus.

XLVIII. De ordinatione hominis quoad seipsum.

Corpus vestrum solummodò sit in mundo, sed animus sit in coelo. In tantùm mentes vestrae sint intentae superiùs, ut praesentia velut transacta quodammodò reputetis. Mundus sit vobis exilium, et patria vestra coelum.

Frequenter ad Deum cor dirigite propter familiaritatis ejus amicitiam subintrandam, licet hoc ipsum fiat breviter; et propter accidiam removendam studiis spiritualibus vos paulatim assuefacite. Orationis usum vobis facite et imprimite: nec tamen bonum tamquam ex consuetudine, sed ex devotionis dulcedine adimplete.

Orationes furtivas quaerite.

Illis quoque orationibus libentiùs insistite, quae affectum vestrum ad fervorem videantur magis excitare.

Videte ne dum corpus est in choro, tunc animus sit in foro.

Existentes in itinere, sic vos exhibeatis bono modo sociis affabiles, ne ipsa socialitas ab orationum consuetarum fructu faciat vos inanes.

Quotidiè manè surgentes, cuncta quae facturi estis Deo offeratis. Finito die, de commissis illa die vobis ipsis, convocatis cogitationibus, locutionibus et operationibus, capitulum teneatis.

---

(1) Hic plura desunt. in Edit. Flor. et Vall.

In lectione studeatis intellectu proficere et affectu.

Sic illa bona, quae ex affectu quandoque facienda concipitis, compleatis (1) ne propter illa bonum obedientiae, vel id ad quod tenemini, negligatis. Et breviter, ut summo bono conjungi familiarius valeatis, ab omni negotiorum saecularium strepitu sitis exuti (2), a vanitatibus speculatorum praesentium avulsi, a cunctis infructuosis cogitationibus extranei, et mundi blandimentis ac illecebris crucifixi.

XLIX. De ordinatione hominis ad proximum.

In omni actu, fratres charissimi, studete semper vobis proficere ad meritum, et proximis ad exemplum.

Circa servitia fraterna sitis jucundi, spontanei et parati, nec ulli sitis propter usum proprii corporis onerosi. Gratiam, quam accepistis, aliis libenter (3) impendatis. Id quod vobis deest, ab habentibus humiliter requiratis. Delictum fraternum non indignatio, sed compassio prosequatur. (4)

Accusate proprios defectus, et supportate misericorditer (5) alienos, semper cogitantes vos perpetrare potuisse similia et majora, nisi divina vos misericordia custodisset. Et certè, licet non advertatis, jam forsitan in majoribus defectibus laboratis, in quibus et vos indigetis ab aliis supportari. Habet enim fructum quilibet vermem suum.

Monete delinquentes humiliter, et arguite patienter. Pacem cum hominibus, et bellum cum vitiis habete. In omni bono servate concordiam, et non in malo. Fratris iracundiam etiam sine ratione contra vos conceptam consideretis compescere, sicut vestram. Quaelibet transitoria fraternae postponite charitati. Sic homines diligatis ut eorum vitia non ametis.

Et dilectio debetur hominibus secundùm meritum; sed veneratio secundùm officium, et aetatem. Debetis ergo plùs honorare superiores; sed plùs diligere meliores. Praelatis obedientiam, aequalibus concordiam, inferioribus (6) beneficium exhibete. Contendite majoribus per timorem subjici, aequalibus per charitatem obsequi: sed minoribus per humilitatem coaequari.

---

(1) Edit. Flor. et Vall.: facite. — (2) Edit. Flor. et Vall.: ut supremo bono conjungi valeatis, sitis ab omnium negotiorum strepitu exuti... — (3) Edit. Bign.: liberaliter etiam aliis impendatis. — (4) Edit. Bign.: persequatur. — (5) Edit. Flor. et Vall.: humiliter. — (6) Edit. Flor.: melioribus. Edit. Vall.: minoribus.

Sitis praecipientibus parati, obedientibus modesti, maledicentibus taciti, laudantibus verecundi.

Negligentes et reprehensione dignos ita cautè declinate, ut ipsos praesumptuosè non judicetis; et tamen ea quae faciunt fugiatis. Quoscumque ferventiores in bono cernitis, eorum familiaritatem avidiùs appetatis. Quamlibet virtutem velut apes prudens semper à melioribus deflorate; nec quid minùs quis habeat, sed quid virtutis possideat, cogitate. Universa verò quae videritis minùs aedificationis habentia, velut caeci, et qui penitùs nihil vident, (1) transeatis. Nunquam enim eorum qui malè agunt auctoritate, vel consuetudine animati, vel exemplo, id quod deterius est faciatis.

L. De his que spectant ad praelatum.

Ad vos autem spectat, ò Praelati, speculum subditorum esse, dominium non amare, nunquam vituperare, (2) sine contumelia corrigere, sine superbia gubernare, sine crudelitate castigare, cum charitate (3) fovere, venerationem non exigere, aequalitatem servare, culpas propter timorem vel amorem non dissimulare, ex rancore vel odio non punire, in poenis misericordiam cum justitia temperare, communi aliorum victu et vestitu contentos esse, ad bonum monere, nec moribus contradicere, verbo et exemplo praeesse, pro diversitate culparum et personarum nunc vinum nunc oleum exhibere, sicut potestate sic virtute caeteros praecellere, non solùm praeesse sed et prodesse, circa interiora et exteriora sollicitudinem habere, spiritualia et temporalia providè dispensare, quae sunt contra ordinem non licentiare, (4) rationabiles licentias non negare, curis superfluis vos subtrahere, sed necessariis non deesse, cum his qui in levitate ambulant, vos non miscere, maturitatem honestam praetendere, (5) praelaturam pro libertate vel commodo non tenere, amare communia, superflua non appetere, res contra honestatem non acquirere, de reddenda ratione continuè cogitare.

Ad vos, inquam, spectat, ò Praelati, esse in actione providos,

---

(1) Edit. Flor.: et qui penitùs haec non viderint. — (2) Edit. Flor.: imperare. — (3) Edit. Bign.: pietate. — (4) Edit. Flor.: dispensare. — (5) Cod. Paris.: apprehendere.

in contemplatione suspensos, in conversatione humiles, in dictis veraces, in factis stabiles, in regimine fideles; vobis esse parcos, sed aliis liberales; in capitulo strenuos, (1) extrà pios; rebellibus esse patres, humilibus esse matres.

Sic ergo vos habeatis ad subditos ut parati sitis semper infirmis subvenire, sanos ad bonum stimulare, tentatos confortare, peccantes corripere, devotos diligere, pigros excitare, indiscretè ferventes retrahere, religiosos ad exteriora mittere, dissolutos in domo tenere, seniores in dubiis consulere, juniores (2) secundùm regulam nutrire, simplices non contemnere, verecundis parcere, praesumptuosos inclinare, turbatos consolari, omnesque vobis commissos Domino commendare.

LI. De ordinatione in se quoad dispositionem cordis.

Ut perfectiùs possitis, fratres charissimi, finem attingere quem intenditis, ad quid mundum relinquentes veneritis cogitate sollicitè.

Voluntates vestras frangite, et mundo vos mortuos aestimate.

De cordibus vestris abjicite curiosas cogitationes, indignas affectiones, sinistras intentiones, violentas occupationes, tristitiam inutilem, privatum amorem, et sensum utique singularem.

Illud coram oculis Dei cogitare pertimescite, quod in praesentia hominum erubescitis operibus exercere.

Conetur igitur quisque cor habere quod sit quasi hortus arboribus virtutum virens, ut apotheca sanctarum affectionum aromatibus redolens, ut coelum divinarum illuminationum sideribus fulgens, ut flos supernum rorem suscipiens, ut arca thesaurum mirificum in se claudens, ut fons devotionis rivulis semper manans, ut speculum dominicam imaginem repraesentans.

O beatum cor quod exhibet se solium in quo Deus (3) sedeat, thalamum in quo quiescat, sigillum cui similitudinem suam imprimat, cellarium quod vino suo impleat, librum in quo memoriam suam scribat, aurum quod pro beneplacito suo flectat!

Conetur iterùm atque iterùm quisque cor habere Deo devotum,

---

(1) Edit. Bign.: in capitulis esse stenuos. — (2) Edit. Flor.: minores. — (3) Cod. Paris.: solum ubi Deus.

cogitationibus discretum, in tentationibus cautum, a rancore extraneum, a judiciis alienum, desiderio aeternorum languidum, amore vulneratum, cognitione (1) fulgidum, in operibus timoratum, contemplatione elevatum, in bono sollicitum, contritione scissum, munditia sanctum, timore custoditum et gratia decoratum.

Denique diligentissimè studeamus, fratres, ut toto corde recedamus a peccato, detestando culpam; toto corde convertamur ad Dominum, agendo poenitentiam; et toto corde quaeramus Dominum, supplicando veniam; toto corde adhaereamus Domino, ipsum super omnia diligentes; toto corde serviamus Domino, ipsum laudantes; toto corde sequamur Dominum, ipsius semitas imitantes. Ista meritò debemus Domino, qui beneficia praestat innumera cordi nostro. Ipse namque Deus corda nostra illustrat sapientia, gubernat bonitate, cibat dulcedine, invitat pulchritudine, immutat potentia, (2) charitate unit, promissis allicit, flagellis erudit, comminatione concutit, ac beneficiis emollit. Ipse Deus dulcissimus corda nostra intuetur probando, alloquitur informando, tangit excitando, visitat consolando, vivificat justificando, et aperit irradiando (3): de quibus omnibus gratiarum actiones nobis sibi referre convenit indefessè.

LII. De ordinatione hominis in se quoad custodiam oris.

Nunquam frater sileat loquenda, vel proferat tacenda. Quandò verò loqui proponit quis, ipsa verba priùs in animo temperet, quatenùs honestè, modestè, veraciter et dulciter quod voluerit illud proponat. Lingua enim mendax, dupliciter elata vel inflammata, Deo est et hominibus odiosa. *Proverb. 6.* Diligenter ergo, charissimi, respicite quid vel quibus, quandò vel ubi, qualiter vel quantùm, vel certè qua de causa loquamini, ne sermonibus vestris, si debitae circumstantiae defuerint, generetur mala conscientia in cordibus propriis, vel certè scandalum in animo auditoris.

Haec autem tria, videlicet gestum, vocem, significationem in vestris locutionibus attendatis, ita ut gestus sint disciplinati, vox lenis, significatio semper vera.

---

(1) Edit. Flor.: cogitatione. — (2) Edit. Bign.: juvat. Hic, quoad verborum dispositionem, discordant codd. et editt. — (3) Cod. Paris.: irrogando.

Verbis nolite contendere; sed nec in litibus victoriam curetis obtinere.

Vitanda sunt semper verba quae vel loquentibus, vel audientibus sunt nociva. Ab hiis itaque locutionibus est abstinendum, quae vel illius qui loquitur, vel ejus cui loquitur, vel illius de quo loquitur, non conveniunt honestati.

Tempus etiam loquendi, considerandum est, *Eccle. 3.*, quia quandoque nihil, quandoque aliquid dicendum est. Sed nullum tempus invenitur quandò mala, vel etiam bona omnia sint proferenda.

Aliquandò etiam tacere debemus propterea quod alter loqui coepit, ne sermonem ejus interrumpere videamur.

Aliquandò tacendum est propterea quod auditorum animos (1) ad id quod dicere proponimus advertimus imparatos.

Aliquandò tacendum est propter multiloquium devitandum, vel etiam propterea quod ipsi eorum quae sumus loquuturi nondùm formam congruam concepimus proponendi.

Senes loquantur de discretione consulendi, juvenes de instantia operandi, sapientes de mysterio Scripturarum, simplices de exemplis bonorum operum, hi qui exteriora tractant de sollicitudine vitae activae, qui quietam vitam ducunt de dulcedine vitae contemplativae, praelati de dispensatione temporalium et spiritualium, subditi de obedientia praeceptorum. (2)

Cum igitur propter aedificationem nostram loqui volumus, ad hoc illos quorum doctrinâ possumus ad virtutem provehi, eligamus. Cum verò propter aliorum aedificationem loquimur, ad illos quos speramus per nostram exhortationem posse corrigi, convertamur.

Ad hoc autem doctrina nostra intendat ut hortemur ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad quietem importunos, ad fervorem tepidos, ad silentium verbosos, ad verbum exhortationis tacitos, ad mansuetudinem impatientes, ad vigilantiam negligentes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam praecipites et procaces.

Cavendum est insuper ne frater in loquendo membra inordinatè

---

(1) Cod. Paris., Edit. Flor. et Vall.: propter auditorum animos quando ad id... — (2) Cod. Paris.: praelatorum.

moveat; (1) neque oculorum nutibus, nec vultûs transformatione vel transmutatione sermonis sui gratiam decoloret.

Devitetis itaque verbum amarum, superbum, detractorium, adulatorium, maledicum, juratorium, superfluum, otiosum.

Sicut autem absenti non debetis detrahere, sic nec praesentem aliquatenùs deridere. Insipientibus non debetis illudere, nec sapientibus invidere.

Sitis muti in otiosis, sed loquaces in fructuosis; in sermonibus vestris non cor in lingua, sed linguam in corde potiùs teneatis. Sanè, cum ad loquendum veneritis, pauca verba et rationabilia proferatis.

Taciturnitatem diligatis, et tumultum hominum fugiatis: per silentium namque conscientia serenatur, poena vitatur, pax conservatur, et mens per contemplationem expeditiùs elevatur. Quantò enim plùs a negotiorum strepitu vos subtrahetis, tantò Deus vicinior erit vobis.

LIII. De exercitio bonorum operum.

His virtutibus, fratres charissimi, singulariter pollere satagite, quae specialiter pertinent ad regularis observantiam disciplinae, quales sunt abdicatio proprietatis, cum obedientiae bono ac munditia castitatis. Et quoniam per votum religionis ad magna vos ligastis, magna quoque in operibus demonstretis. Multò namque meliùs est in minoribus promissionibus esse devotum, quàm in majoribus negligentem.

Vestrum ordinem servetis opere: sed omnes alios charitate.

Quotidiè in aliquo virtutis exercitio proficite, et in bonum conati laborate sollicitè. (2) Navis enim quae contra ictum fluvii ducitur, retrocedit, nisi sursùm cum magno labore continuò moveatur.

Secundùm statum in quo Deus vos posuit, meliora semper quae ad illum pertinent adimplete.

Habeatis in poenitentia (3) vitam, in desiderio verò mortem. Disciplinam exterius servate, conscientiam interiùs expurgate. Subtiliter investigate mala propria, et dignè corrigite indagata.

---

(1) Cod. Paris. et Edit. Bign.: Hoc etiam sollicitè considerandum est quòd frater inter loquendum membra non moveat... — (2) Cod. Paris.: in bonum conamini sollicitè laborare. — (3) Cod. Paris.: poena. Edit. Sicard.: in patientia.

Communem reprehensionem audientes, non illam ad alios, sed ad vos ipsos humiliter retorquete.

Quia certi estis de perpetrata culpa, doleatis; sed quia incerti estis de venia, timeatis.

In omnibus actionibus vestris extrema fugite, et semper in medio vos tenete. Unde tali moderamine carnem stringite, quasi centum annis victuri; sed vitia sic fugite, quasi crastinò morituri.

Circa servitia fraterna sitis prompti, nec ulli circa usum proprii corporis onerosi.

Estote, fratres, humiles sine fictione, maturi sine ponderositate, agiles sine levitate, timentes sine desperatione, sperantes sine praesumptione, obedientes sine contradictione, hilares sine dissolutione, patientes sine murmuratione. Estote, inquam, compositi ad morum disciplinam, pii ad misericordiam, immobiles ad constantiam, in oratione devoti, et in vestrî custodia circumspecti.

Curate mala praeterita plangere, praesentia mala spernere, futura cavere, in bono finaliter perdurare. (1)

Quamvis nihil honestatis humana praesentia vobis debeat adjicere, vel solitudo minuere, tamen ibi magis servate disciplinam, ubi vel pluribus generat scandalum neglecta, vel formam imitationis tribuit custodita.

Noctem ordinetis silentio et orationi, diem verò bonis exercitiis et labori. Diem detis proximo, noctem Deo.

Laboris causam, non laborem in labore cogitate.

In bonis fortes estote, sed in malis vos debiles exhibete.

In agendis denique talem ordinationem quoad omnes et singulos observetis, ut sit videlicet in praelatis diligentia, in subditis obedientia, in omnibus simul pax et concordia, in choro devotio et disciplina, juxta altare maturitas et reverentia.

Devoti sint senes, laboriosi sint juvenes.

Sit humilitas in habitu, parcitas in victu, sobrietas in potu.

Sit in claustro non rumor, sed lectio; in capitulo non lis, sed confessio.

---

(1) Cod. Paris., Edit. Flor. et Vall.:... spernite... cavete... perdurate.

Et intentio fratrum non versetur in causis, sed in psalmis.

In conventu quoque sint assidui, in curiis verò rari.

LIV De exercitiis virtutum.

Sicut spectat ad justitiam operatio boni, sic declinatio quoque mali.

Quapropter laudabiliter vivatis: nec tamen laudem hominum appetatis. Non gloriemini de multis diebus quibus in religione diù vixistis, sed de paucis quibus ordinem observastis.

Hypocrisim fugiatis, et in veritate coram Deo ambuletis, *Isai. 38,* sicut et in vestimentis ovium forinsecùs apparetis. Nimis enim parùm est in ingressu religionis tantùm habitum mutare: sed mores et vitam laudabile est. Igitur simplici gradientes via, nunquam duplicitatis aut fictionis vestigium praetendatis.

Quidquid contra communem usum est, vel quod vos potest reddere notabiles, id fugite quasi pestem.

Justitiam nunquam deseratis propter verecundiam vel timorem.

Dissolutiones non faciatis, nec vos cum eis qui in levitate ambulant commisceatis. Studete visum à vanitate, aures à rumoribus, cor a malis cogitationibus claudere, et linguam à sermonibus otiosis, manus à contactibus impudicis, pedes ab evagationibus cohibere. Ab omni denique vos subtrahite, quod in Conditoris posset vos obsequiis impedire.

Otia declinetis, nec cellas inutiliter occupetis.

Crebra munuscula, frequentemque missionem cingulorum, et cultellorum, et hujusmodi devitetis.

Nolite non fienda insipienter appetere, aut facienda per accidiam fastidire.

Diligentissimè caveatis ne quandò vel in labore minùs patientes, vel in obedientia praeceptorum minùs alacres, vel in operibus charitatis inveniamini negligentes. In certo semper statu et certa (1) conscientia vos ponatis; nunquam etiam in illo statu vivere praesumatis, in quo moriendo decedere non audeatis. (2)

Excessum in habitu caveatis, ne vestimenta vestra sint in ge-

---

(1) Edit. Sicard.: secura. — (2) Edit. Flor.: velletis;. Cod. Paris.: voletis.

nere pretiosa, vel in qualitate nimis mollia, vel in colore splendentia, vel in formatione signum habentia vanitatis.

Gestum quoque corporis ubique cum distinctione disciplinae exerceatis: sic videlicet ut singula membra vestra suum teneant officium, nec usurpent in suis actibus alienum. Unde nec loquatur manus, nec os audiat, (1) nec oculus officium linguae sibi sumat; sed unumquodque membrum tam decenter opus suum impleat, quatenùs aspectum intuentium non offendat.

Facies autem humana, cum sit speculum disciplinae, in tanto majori custodiâ (2) est habenda, quantò minùs potest abscondi, si quod peccatum in ea fuerit, vel celari.

Discursus inutiles semper caveatis diligenter. Nam sicut de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis, sic è contrario mens paulatim ad quietem (3) componitur, (4) quandò motus corporis inordinatè fieri non sinuntur.

Corpus non colatis, nec solatiis transitoriis haereatis. Terrenae namque delectationes jucundant falsè, dùm sunt; et contristant veraciter, dum (5) non sunt.

Hoc quoque specialiter attendendum quòd, sicut malum opus nunquam est laudabile, (6) sic etiam bonum opus reprehenditur quodammodò, si non fit tempore opportuno. Justitia enim et veritas non deficiunt, quandò tempus debitum in his expectatur. Fructus namque non semper provenit cum semen jacitur, sed (7) tunc demùm quandò suo tempore seminatur.

LV. De temperantia servanda in cibo et potu.

Corpus ut serviat nutriatis, et ne lasciviat edometis. (8) Sic abstinentiam exerceatis ne posteà comedentes ipsum jejunium superfluitate nimia compensetis. Non sapor ciborum, sed fames comedendi vobis excitet appetitum. In mensa studeatis necessitati providere, non appetitui. Caro etenim

---

(1) Edit. Bign.: indicet. — (2) Edit. Bign.: studio. — (3) Edit. Flor.: requiem. — (4) Cod. Paris.: ad quietem corporis imponitur. — (5) Cod. Paris., et Edit. Flor.: postquam. — (6) Edit. Vall.: sicut malum opus reprehenditur, sic... Edit. Flor.: sicut malum opus quandoque est laudabile. — (7) Cod. Paris.: fructus enim non dum semen jacitur, sed... — (8) Edit. Flor.: Corpus ut serviat nutriatur, et ne lasciviat ordinetur.

est pascenda, sed vitia extinguenda. Unde corpori non sunt danda superflua, neque necessaria subtrahenda. Cum igitur sufficientem cibum sumpsistis, si postmodùm delicatiora vel meliora superveniunt, non propter illa stomachum oneretis.

Et quod de cibo diximus, de potu quoque ac somno et indumento, de aliis quoque corpori necessariis intelligatis, ut numquam in illis curetis voluptati (1) satisfacere, sed necessitati naturae. Illud etiam praetereundum non est, quòd ante sumptum cibum magis hilares nos esse convènit, ne videamur propter abstinentiam turbari; posteà verò tacitos et modestos, ne putemur in crapula inflammari.

Ante prandium doctrinae tempus est et orationis; postmodùm autem operis et laboris. Tunc enim exercendus est animus, quandò ad studium spirituale levis est; et tunc reprimenda est caro, quandò calores incentivi per cibum solent ampliùs excitari.

LVI. De venialibus vitandis.

Sicut libenter vitatis peccata gravia, sic cavete, fratres, ne multa vos molestent venialia vel minora. (2) Saepè etenim de peccatis minimis venitur ad magna (3), sicut ignis validus nonnumquàm surgit modicâ de scintillâ. Vitanda sunt igitur peccata venialia, quia nos in malis assuefaciunt, et fervorem charitatis diminuunt, profectum dedecorant, animam maculant, ad poenam obligant, animae potentias in operibus suis lassant, et a gloria nos retardant. Numquam enim a quocumque facies Dei videbitur, donec per venialium peccatorum poenitentiam ultimus quadrans persolvatur. *Matth. 5.*

Haec sunt quoque quae gaudium coeleste indirectè nobis minuunt, quia opera bona nostra, per quae crescere nobis posset aeternorum cumulus praemiorum, convertere nos oportet ad solutionem hujusmodi debitorum. Curemus ergo per omnis mali declinationem esse potiùs innocentes, quàm committendo etiam culpas levissimas esse poenitentes.

LVII. Exhortatio bona, atque conclusio.

Ecce, fratres charissimi, qualiter in multis vos instruxi, qui et ipse indigeo erudiri. In loco namque peregrinationis nostrae, quamdiù pravum est cor ho-

---

(1) Cod. Paris.: voluntati. — (2) Edit. Flor.: vel levia. — (3) Edit. Flor.: ad majora.

minis, proclivum ad vitia, languidum ad virtutem, mutuis exhortationibus indigemus. Hinc est quòd omni virtute vos precor et moneo, contestans per eum qui suo reverendo sanguine nos redemit et vitae nobis portas pia morte reseravit, (1) ut vestrae professionis vestrique propositi non immemores, semitarum memineritis antiquarum, *Jerem. 6.*, per quas antecessores nostri currere festinarunt in spiritu vehementi, et jam regnant cum Christo perpetua requie consolati, (2) ad quam cum et nos divina suffragante gratia pervenerimus, erit animabus nostris cognitio primae veritatis, dilectio summae bonitatis et divinae fruitio majestatis. Erit et corporibus nostris claritatis pulchritudo, agilitatis promptitudo, subtilitatis aptitudo, et impassibilitatis invictissima fortitudo. Ibi erit affluentia divitiarum, influentia bonorum omnium ac honorum. Ibi gaudebimus suprà nos de divina intuitione, extra (3) nos de loci amoenitate, intrà nos de corporis et animae glorificatione, juxtà nos de angelorum societate. (4) et hominum unanimitate. Quid plura? Ibi evasio periculorum, distinctio mansionum, concordia voluntatum. Ibi amoenitas vernalis, candor lucis aestivalis, ubertas autumnalis, et requies hyemalis. Ibi, inquam, vita sine morte certum sine sorte, dies sine nocte, libertas sine timore, gaudium sine moerore, requies sine labore, regalis dominatio sine fine.

Haec nobis praestare dignetur, qui est principium sine principio, et finis omnium sine fine. Amen.

---

(1) Cod. Paris.: ad vitam pia morte reparavit. — (2) Edit. Bign.: beata requie perpertuo consolandi. — Cod. Paris.: perpetua requie consolandi. — (3) Edit. Flor.: infra. — (4) Edit. Bign.: de associatione Angelorum.

EXPOSITIO REGULAE B. AUGUSTINI

SECUNDUM

B. HUMBERTUM

MAGISTRUM ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM. (1)

PROLOGUS.

Cogitanti (2) mihi de sermone qui exiit inter Fratres de regula beati Augustini noto vobis, et timenti ne forte sermo hujusmodi aliquibus vestrorum esset occasio minoris devotionis ad ipsam, transtuli partem studii cui libenter, cum vacat, intendo, ad cogitandum de ea.

Et ecce occurrunt mihi quaedam quae pertinent ad laudem ipsius; quaedam per quae patet quam competenter conveniat statui praedicatorum, cum additione quorumdum quae ad paupertatem pertinent; quaedam in prosecutione expositionis ejusdem quae declarant quomodo mores Fratrum Praedicatorum ex regula sunt educti, et alia quaedam quae legere volentes fratres aedificare poterunt in in multis, ut puto, et ipsos in amore et reverentia ad ipsam confirmare. (3)

Quae redacta in scripto dilectioni vestrae quae in hujusmodi delectari solet, mittere dignum duxi, ut per diligentiam vestram examinata prius post modum fratribus, si visum fuerit expediens, publicentur, quorum utilitati communi desidero quod sum, quod sapio, quod possum, sicut novit secretorum Inspector, quamdiù vixero deservire.

---

(1) Qui titulus quum auctoris non sit, varius in variis legitur documentis. — (2) Quae epistola occurrit in Codd. Basil. Spir. Vienn. etc.; desideratur autem in aliis pluribus, imprimis in Cod. Grat. — (3) Addit Cod. Vien.: et alios non paucos fructus spirituales afferre.

PROOEMIUM

I. Quae sit utilitas hujus libri.

Viris religiosis non modicum expedit ut clare intelligant totam sententiam regulae sub qua vivunt, ut sciant ad quid tenentur, ex obligatione ex professione contracta.

Expedit etiam ut advertant quae rationabiliter sunt in ea tradita, ut ex hiis (1) majorem habeant devotionem ad illam.

Insuper, quoniam multum prodest eis ut considerent utilitatem eorum quae continentur in ea, ut libentius illa observent, proinde, cum regula beati Augustini contineat quaedam obscura, et quaedam valde rationabiliter ordinata quae multi non solent advertere, quoniam multa etiam eorum quae continentur in ea, immo fere omnia sint perutilia, expositio sequens declarat ipsius dubia, elucidat rationem eorum quae ibi sunt tradita, ostendit quam utilia contineantur in ipsa, ut degentes sub illa, et maxime Fratres Praedicatores qui sub ipsa vivere elegerunt, sciant ad quid obligantur ex illa, et ad scita devotionem habeant, et ex devotione hujusmodi diligentius observent quae continentur in ea, opitulante gratia Jesu Christi.

II. De laudibus regulae beati Augustini.

Inter multas et varias regulas sub quibus religiosi diversi militant in Ecclesia, quaedam sunt quas tradiderunt viri quidam qui catalogo sanctorum non adscribuntur; aliae sunt quas sancti quidem ediderunt, sed tales qui non fuerunt eminentes in sapientia; aliae verò quas etsi sancti vel perfecti in sapientia tradiderunt, tamen non fuerunt multae auctoritatis. Certum est autem quod sanctitas in anima viri plus interdùm valet ad proferendum salutares sententias quam sapientia; interdum autem simplicitas licet sancta, si per sapientiam non dirigatur, minus lau-

(1) Cod. Grat.: ex hoc.

dabiliter profert sententiam; sententia vero prolata a sanctitate et sapientia quibus deest auctoritas minus acceptatur. Quanta ergò et quali acceptione digna est regula quae a viro sanctissimo, sapientissimo et eximiae auctoritatis, beato scilicet Augustino episcopo, tradita reperitur?

Amplius, in principio cum oriri coeperunt religiones in Ecclesia, fuèrunt duo genera religiosorum, scil. anachoretae sive solitarii, et coenobitae, scil. in congregatione viventes. Post tempus multum, beatus Benedictus cujus regula est in grandi auctoritate in Ecclesia (1) Dei, composuit regulam ad exemplar vitae coenobitarum priorum, sicut patet per ea quae dixit in fine regulae suae de regula Basilii, et institutis patrum. Beatus vero Augustinus suam formavit ad exemplar vitae apostolicae, ut (2) patet per illud quod de eo cantatur et legitur quod coepit vivere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam; et in quodam sermone dicit ipse: Apostolica enim vita volumus (3) vivere. Quis autem dubitat vitam apostolicam vitae cunctorum viventium praeferendam? Quanta ergo magnificentia extollenda est regula quae a tali deducta est exemplari!

Amplius, antiquitas multum confert ad laudem scripturarum, quia quanto scriptura antiquior, tanto per plurium legentium examen transiens nec passa calumniam, tanto judicio plenius approbatur. (4) Cum ergo regula beati Augustini non solum modernas regulas sed etiam regulam beati Benedicti multis annis praecesserit, sicut patet ex chronicis, et etiam omnes alias quibus utitur ecclesia Latinorum, et per tot virorum illustrium et Conciliorum judicia transierit, quis audeat amodo aliquid in ea calumniari?

Consideranti igitur quis eam fecerit, et ad quod exemplar, et quo tempore, apparet laus ejus consurgens ab auctoris conditione, ab exemplaris a quo fuit educta perfectione, a temporis antiquitate. (5)

Praetereà, multae sunt regulae quae imponunt multas observantias corporales; regula vero beati Augustini magis consistit circa spiri-

---

(1) Cod. Sp.: pro Ecclesia. — (2) Cod. Vien.: apostolorum. — (3) Cod. Sp.: volens. — (4) Cod. Grat.: approbata. — (5) Cod. Sp.: et temporum.

tuales actiones, ut sunt dilectio Dei et proximi, (1) unitas cordium, concordia morum et similia, ut patet fere per totum. Quis autem nesciat exercitia spiritualia praevalere exercitationibus corporalibus, sicut spiritus praevalet corpori, et lex spiritualis legi carnali? Quantò ergo plus versatur circa spiritualia quam circa corporalia, tanto digna est laude majori.

Item quaedam sunt regulae quae tot imponunt onera in humeros eis se supponentium, quod eos frequenter obruunt prae multitudine onerum. (2) Aliae verò sunt quae etsi graviora (3) quaedam imponant, tamen adeo pauca quod in periculosa libertate quandoque relinquunt quoad multa professores suî. Regula vero beati Augustini talem in hoc servat mediocritatem quod nec nimia multitudine vel paucitate mandatorum cadit in extremum vitiosum, sed remanet in medio, circa quod omnis virtus consistit.

Item, notandum est quod Augustinus in regula sua primò ponit mandata; sed (4) quia tradita non prosunt nisi serventur, ideo secundò ponit ea quae faciunt ad eorum observantiam, ubi dicit: « Ut ergo cuncta ista, » etc. In traditione vero mandatorum, primò ponit mandata Dei dicens: « Ante omnia, » etc.; secundò, sua. In tradendo autem sua, primo ponit modum tradendi dicens: « Haec igitur sunt; » secundo explicat singula. (5) etc. Et nota quod religionis status (6) est degentium insimul: ideo requiruntur in ea quaedam pertinentia ad statum congregatorum, circa quem (7) tradit mandata dicens: « Primum propter quod, » etc. Item est status agentium poenitentiam, et ideò tradit mandata circa opera poenitentiae dicens: « Orationibus instate, » etc. Item est status excellentis honestatis, et ideo tradit mandata ad hoc pertinentia dicens: « Non sit notabilis, » etc. Item est status subjacentium multis necessitatibus propter paupertatem, et ideo tradit mandata per quae caritativè subveniatur praedictis necessitatibus dicens: « Vestes vestras, » etc. Item est status spiritualis fraternitatis, et ideo tradit mandata circa mutuam

---

(1) Cod. Grat.: proximorum. — (2) Cod. Grat.: oneris. — (3) Cod. Vien.: graxia. — (4) Codd. Sp.: et Grat.: secundum quod. — (5) Cod. Sp. addit: Primum, etc. — (6) Cod. Vien.: religio est status. — (7) Cod. Vien.: quae.

dilectionem quae specialiùs in fratribus reperiri debet dicens: « Lites aut nullas habeatis, » etc. Item est status subjectionis, et ideo tradit (1) mandata circa obedientiam dicens: « Praeposito tanquam patri obediatur, » etc. Et de hiis omnibus sufficienter determinatur, (2) sicut patebit in expositionibus sequentibus.

Quid, obsecro, plus oportet in aliqua tradi regula quam mandata Dei et hominis circa praedicta sex, et circa observantiam horum adjuvantia? (3) Quae omnia continet regula beati Augustini, et sic continet plenè que requiruntur in religione.

Consurgit igitur laus ejus iterum a mandatorum spiritualitate, quoad substantiam; mediocritate, quoad quantitatem (4); plenitudine, quoad sufficientiam.

III. Quare praedicatio magis competat statui religioso quam saeculari.

Dicto de laudibus regulae beati (5) Augustini, antequam dicatur quomodò competat statui praedicatorum, notandum (6) est quod status religiosus magis competens videtur praedicatori, quam status saecularis multis de causis.

Certum est enim quod status religionis excelsior (7) est quàm status saecularis. Sicut autem praedicatoris est in alto stare, cum praedicat, ita et altus status convenit ei, juxta illud *Isaiae, 40:* Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion. Magis ergò ei competit status religiosus quàm saecularis, qui est status imus.

Item, praedicatoris est non solùm praecepta, sed et consilia praedicare: quomodo autem credet aliquis de consiliis illi qui illa renuit accipere sibi? Potius videtur quod illa reddat aliis suspecta, cum ipse nolit ea sibi. Ratione ergo consiliorum quae expedit (8) interdùm praedicare, (9) quae religiosus implet, magis competit ei praedicare quàm saeculari qui non implet illa, quia possunt in eo praedicante consilia scandalizari multi, et dicere quod est dictum de phariseis:

---

(1) Hic ubique Codd. Sp. et Vien. habent « tradidit » pro « tradit. » — (2) Cod. Vien determinat. — (3) Cod. Vien. et Grat.: adjutoria. — (4) Cod. Il.: qualitatem. — (5) In Cod. Grat. plerumque deest vocabulum «beatus,» « beati » ante sanctorum nomen. — (6) Cod. Sp.: monendum. — (7) Cod. Sp.: excellentior.: — (8) Codd. Il. Grat.: oportet. — (9) Cod. Vien.: praedicari.

Dicunt et non faciunt *Matth. 23.*; nec sequntur illius exemplum qui coepit facere et docere. *Act. 1.*

Item, praedicatorem oportet praedicare non solùm bonis et malis, sed etiam perfectis et imperfectis, mundanis et mundum contemnentibus, carnalibus et spiritualibus, utentibus voluntate propria et non utentibus, et omni varietati non solùm bonorum et malorum, sed etiam bonorum et meliorum. (1) Quis autem dubitet quin magis competat illi in quo plura signa majorum bonorum apparent praedicare illis qui sunt in majoribus bonis, quam illi in quo non apparent hujusmodi signa? Certum est autem quod in religiosis manifestè sunt plura signa majorum bonorum quam in saecularibus. Et inde ut prius.

Item, status religiosus est status contemplationis: ea verò quae praedicantur maximè colliguntur in contemplatione, juxta verbum beati Gregorii dicentis: In contemplatione hauriunt quod postmodùm in praedicatione effundunt. Probabile est ergo quod status religiosus plus habeat quod praedicari oporteat quàm saecularis, quantò magis est contemplativus, et sic magis ei competit praedicatio, quia (2) non solùm per viam doctrinae, sed etiam per viam contemplationis habet quod praedicet abundè.

Item, homini qui est in sua libertate timendum est de praesumptione, si sit facilis ad praedicandum, cum praedicatio sit opus excellens; si verò sit tardus, timendum est ei de negligentia. Magis autem expedit alieno imperio (3) praedicare quàm motu proprio; propter quod dicitur *ad Rom. 10*: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? Quis autem magis tenet statum nuntii quam religiosus, cui dicitur: Vade, et vadit; veni, et venit? Et inde ut supra.

Item, in executione officii praedicationis de facili et in multis contingit offendere, propter quod fructus praedicationis impeditur, aut cum predicantur non predicanda, aut cum non servatur tempus aut modus, aut mediocritas, et aliis modis innumerabilibus. Expedit

---

(1) Cod. Il.: non solum bonorum sed etiam bonorum et malorum. — (2) Cod. Sp.: quae. — (3) Τὸ « imperio » deest in Cod. Grat.

ergo praedicatorem habere correctorem in multis, ne fructus (1) praedicationis impediatur. Ideo Dominus misit discipulos binos, ut unus corrigeretur per alium. (2) Nec debet odire disciplinam (3) correctionis, qui aliis enarrat Dei justitiam. Certum est autem quod religiosi frequentiori et diligentiori subjacent correctioni quam saeculares. Et ideo securius per eos exercetur praedicatio. Et inde ut supra.

Consideranti igitur unde oporteat praedicare, quia de excelso; et quae, quia consilia interdum; et quibus, quia non solum malis vel bonis quibuscumque, sed etiam in magno culmine bonorum constitutis; et unde haurire quae praedicantur, quia in contemplatione; et quid debeat impellere ad praedicandum, quia non proprius motus, sed alienum imperium; et quantum cavendum sit praedicatori ab offendiculo, propter quod necessaria est predicatori frequens correctio, patet liquido quod magis competit praedicatio statui religioso quam saeculari. Et hoc confirmat Chrysostomus super *Mattheum, 13,* super illo verbo: Exiens Jesus de domo, dicens sic: Ostenditur nobis ex hoc loco quod parentes, et domum, et caetera hujusmodi relinquere debet, qui fit proprie (4) praedicator. Et Gregorius in illa homelia: Designavit Jesus, dicens sic: Qui praedicationis officium suscipit, dignum non est ut onus rerum saecularium portet, ne dùm hoc ejus collum deprimit, ad praedicandum coelestia non consurgat.

IV. Quare regula beati Augustini magis competit praedicatoribus.

Ostenso quod praedicatio magis competit religioso quàm saeculari, notandum est quod inter regulas approbatas ab aliquo, (5) regula beati Augustini magis conveniens est praedicatoribus quam aliae.

Constat enim quod praedicatores debent esse litterati. (6) Quam conveniens ergò est ut sub regula viri tam excellentis litteraturae, qui suos discipulos vult adeo studiosos esse ut nulla dies praetereat quin codices revolvant, sicut patet ex ipsa regula, ubi dicitur: « Co-

---

(1) In Cod. Sp. ad marg. legitur « al. fructus » quae lectio optima est. In codicibus passim habetur « cursus. » — (2) Cod. Vien.: ab alio. — (3) Cod. Sp.: disciplinas. — (4) Cod. Sp.: populi. — (5) Cod. Vien.: ab antiquo. — (6) Cod. Il.: viri litterati.

dices certa hora singulis diebus petantur », militent illi quorum est assidue discere et docere!

Item, cum beatus Dominicus, pater Fratrum Praedicatorum, profectum in omni bono, et fructum circa salutem animarum acquisierit sub ista (1) regula, quam conveniens est ut ejus filii in hoc ejus imitatores existant, ut ad ejus similem profectum perveniant!

Item, cum regula beati Augustini deducta sit tanquam ab exemplari a vita apostolica, quam praedicatores omnes summè debent imitari, multo magis competit ista regula praedicatoribus quam aliae.

Item, cum regulae monachorum et jura dicant multa propter quae videtur quod monachus, qui dicitur unius (μόνου) custos, (2) debet sibi soli vacare, quod est contra statum praedicatorum, nihil autem tale dicatur de regularibus canonicis per regulam eorum vel jura; immo cum parochias habeant, et quasi in modico a statu clericali differant cui competit circa alios vacare, patet quod magis competit haec regula praedicatoribus quam aliquae (3) regulae monachorum.

Item, quaedam sunt regulae quae imponunt multa per quae sui professores multum differunt a communi vita hominum, sicut in habitu cucullato, vel in officio duodecim lectionum, et quibusdam aliis. Hujusmodi autem diversitates quandoque impediunt fructum animarum, et e contrario conformitates conferunt fructum. Propter quod Paulus fiebat omnia omnibus, eis se conformans, ut omnes lucrifaceret. 1 *Cor.* 9. Cum ergo regula beati Augustini non imponat aliquas hujusmodi extraneitates, magis praedicatori competit.

Item, in statuendo novum ordinem praedicatorum oportuit aliqua

---

(1) Cod. Sp.: ipsa. — (2) Neque adèo quis mirabitur auctorem nostrum, aliunde doctissimum, partim errare in etymologiis enucleandis. Hic « monachus » a μόνος et *cus (τὸς)*, infra autem « anachoreta » ab ἀνὰ et *cor* derivaturus est. Cujusmodi et alia referri possent exempla. Sciunt qui in hujusmodi disciplinarum historica notitia jejuni omninò non sunt, quanta ingenuitate hic peccaverint non medii aevi auctores modo, sed quoad ipsam Graecorum linguam, summi viri Plato, Aristoteles, Chrysippus, et alii. Adverte caeterùm auctori nostro, sicut et suppariibus, minùs curae esse ut etymologias traderet, quam ut ex ipsis consonantiis per quamdam accomodationem argueret. — (3) Cod. Grat.: aliae.

nova condere statuta circa studium, paupertatem et hujusmodi, quae adderentur (1) super regulam eorum. Oportuit ergo talem eligere regulam quae non haberet aliqua quae contrariarentur hujusmodi statuendis, sed talis esset cui hujusmodi convenienter superadderentur et aptarentur: talis autem est regula beati Augustini. Cum enim pauca contineat, nisi spiritualia quaedam et quae ratio dictat mandata, quod non invenitur in aliis regulis, convenienter possunt ei apponi (2) statuta omnia pertinentia ad statum praedicationis. Et inde ut supra.

Competit ergo haec regula Fratribus Praedicatoribus ratione auctoris sui, ratione patris eorum, ratione exemplaris a quo educta est, ratione vitae activae a qua non excluduntur ejus professores, ratione conformitatis cum vita hominum communi, ratione statutorum praedicatoribus competentium, quae idonee recipit.

V. Quare status paupertatis magis competit praedicatoribus quam abundantiae.

Sed notandum quod licet sub ista regula beati Augustini liceat habere possessiones et redditus et non habere, melius fuit praedicatores sub ea degentes hiis carere, quam haec habere, quia multo plus competit praedicatio evangelica pauperi voluntario quam diviti, quod sic patet.

Certum est quod praedicatori Evangelii incumbit praedicare Christum pauperem et evangelicam paupertatem. Quis autem dubitet quin hujusmodi praedicatio majorem effectum habeat, et magis deceat in ore pauperis quam divitis?

Item, nullus dubitat quin (magis) expediens sit praedicatoribus modernis imitari vitam excellentiorum praedicatorum quàm minùs excellentium. Certum est autem quod Apostoli fuerunt excellentissimi: ergo convenientius est vitam eorum imitari quam aliorum quorumcumque. Ipsi vero pauperrimam vitam duxerunt in praedicatione, in fame, in siti, in frigore et nuditate. 2 *Cor.* 11. Et dictum est eis: Nihil tuleritis in via, etc. *Luc.* 9. Et inde ut supra.

Item, temporalia multum occupant et inducunt sollicitudinem multam. (3) Dominus autem adeo voluit praedicatorem esse vacuum ab omni occupatione ipsum impediente, quod propter hoc etiam dixit :

(1) Cod. Sp.: adduntur. — (2) Cod. Grat.: supponi. — (3) Cod. Vien.: multis.

Neminem in via salutaveritis, *Luc. 10,* scil. neminem esse salutandum. Et Paulus ne retraheretur a praedicatione, cessabat etiam a baptizando. 1. *Cor. 1.* Status autem paupertatis non habet hujusmodi impedimenta. Unde quidam zelator animarum, cum longo tempore praedicasset in tanta humilitate quod nolebat ducere nisi asinum, tandem expertus quod cura et sollicitudo quam habebat de asino, mox (1) cogitando quid comederet, mox ne eum amitteret, mox ne male custodiretur, et similia, dimisit ipsum, et posuit se ad eundum pedes, ne ejus animus sic impediretur circa asinum, et liberius vacaret praedicationi. Quanto ergo magis dimittenda sunt praedicatori majora, quae possent eum impedire in praedicationis officio! Et inde ut supra.

Item, praedicatoris est praedicare non solùm in locis populosis, sed etiam in modicis et pauperibus, exemplo illius qui circuibat (2) castella docens *Matth. 9,* et illorum qui praedicabant ubique. *Marc. 16.* Quomodo autem hoc possunt implere praedicatores divites, qui ducunt equos et familiam, pro quibus non solùm delectabilia quibus uti solent non invenirentur, sed nec etiam necessaria pro equis et familia?

Item, fructus praedicationis colligitur in confessionibus et in consiliis animarum, et ideo talem expedit esse praedicatorem ad quem fiducialiter accedant omnes auditores pro hujusmodi. Certum est autem quod personae pauperes et miserabiles audacius accedant ad virum pauperem et in habitu humili, quam ad divitem et in habitu glorioso, quia similia (3) ad sibi similia facile sociantur, *Eccli. 13.,* et eorum copiam magis habere possunt. Non autem solum hujusmodi personae, sed etiam magnae personae tam viri quam mulieres, nobiles etiam et divites, litterati et laici, sicut certum est per experientiam, facilius istis committunt animarum suarum (4) secreta, quam divitibus et abundantibus in saeculo. Et inde ut supra.

Item, ad faciendum fructum in praedicatione requiritur interdùm magna mora in uno loco; sed expensae quas requirunt divites non permittunt eos longam moram in uno loco contrahere. Pauperes

---

(1) Cod. Vien. habet « modo » pro « mox » ubique. — (2) Cod. Vien.: per castella. — (3) Cod. Il.: animalia. — (4) Cod. Sp.: animorum suorum.

verò possunt facile in uno loco diù morari, cum expedit, propter fructum animarum.

Et sic patet quod magis competit (1) status paupertatis voluntariae quàm status abundans praedicatoribus, quia oportet eos paupertatem praedicare, et excellentes praedicatores expedit imitari, et liberiores esse ab occupationibus aliis, et loca paupertati subjecta circuire, et tales esse ad quos fiducialiter omnes pro consiliis salutis accedere velint et possint, et qui possint interdùm diù morari in uno loco pro fructu animarum. Et ex hoc patet quod etsi magis competat praedicatoribus regula beati Augustini quam alia, tamen addendus fuit status paupertatis supra ipsam regulam a Fratribus Praedicatoribus, ut conjunctis in unum religione et paupertate, quae duo, sicut ostensum est, competentia sunt valdè praedicatoribus, eorum praedicatio efficacior redderetur.

(1) Codd. Sp. et Grat.: expedit magis.

INCIPIT REGULA

BEATI AUGUSTINI EPISCOPI

VI. De expositione tituli regulae.

Jam ad expositionem accedendo, notandum est circa hoc opusculum quod primò ponitur titulus operis, secundo opus tituli.

Titulus autem talis est: **Incipit regula beati Augustini episcopi.**

Sed attendendum est quod quidam libri habent: « speculum », ubi dicitur (1) hic « regula ». Propter hoc enim quod in fine dicitur: « Ut autem vos in libello hoc tanquam in speculo » etc., putaverunt quidam quod regula beati Augustini esset ille liber qui dicitur Speculum beati Augustini, et ideo dixerunt in titulo: Incipit speculum beati Augustini. Sed hoc est erroneum. Speculum enim beati Augustini non dicitur ejus regula, sed est liber quidam in quo collegit mandata Dei: qui dicitur speculum quia in eo legendo potest quilibet videre quantum profecerit vel quid ei desit, sicut dicitur in legenda beati Augustini in fine. Posset tamen dici quod sicut duplex est speculum, scil. generale, quod quandoque ponitur in aula communi, in quo (se) respiciunt omnes, et speciale quod ponitur in camera in quò se domina respicit: ita duplex est opus beati Augustini, quorum utrumque dicitur speculum. Sed unum est generale, scil. liber praedictus, quod pertinet ad omnes, et alterum speciale, scil. regula, quod pertinet ad solos religiosos suae professionis.

Melius tamen est ut ponatur in titulo regula quam speculum.

Sed iterum notandum est quod regula quaedam est divina, de qua dicitur *Philipp. 3.*: In eadem permaneamus regula; Glosa: id

(1) Cod. Il.: habetur.

est, rectitudine vivendi: et haec habet diversa capitula de obedientia, continentia, jejuniis, silentio et hujusmodi multis; alia humana, quae secundum diversos modos rectè vivendi quos tradiderunt diversi variatur, ut dicatur alia Basilii, alia Benedicti, et sic de aliis. Cum ergo dicitur haec regula beati Augustini dicitur ad differentiam regulae Dei quae pertinet ad omnes Christianos, et ad differentiam aliarum regularum quae sunt traditae ab aliis viris diversis.

VII. Quare hoc opus dicatur regula.

Dicitur autem hoc opusculum regula dupliciter: regula enim uno modo dicitur a rectitudine quasi rectula, sicut est illa qua utuntur scriptores, lignarii et caementarii; alio modo dicitur a regendo, et ita dicitur regula in grammatica et aliis scientiis.

Juxta primum modum dicitur hoc opus regula, quia sicut per regulam distorta diriguntur, juxta illud Senecae: Nisi ad regulam prava non diriges; sic per hoc opus distortae vitae diriguntur, et fiunt prava in directa, et fiunt semitae rectae.

Item, per regulam gibbi removentur, ut patet in caementario: sic per hoc opus gibbi superbiae et superfluitatum complanantur, et montes et colles humiliantur.

Item, per regulam res quadrantur, ut quinterni (1) et lapides, juxta illud 3 *Reg. 6.*: Opere quadro ad regulam; sic per istud opus fiunt homines quadrati in virtutibus cardinalibus, ut patet in textu, ut sint aptiores aedificio coelesti.

Item, per regulam habilitantur res diversae, ut fiant aptae conjunctioni in unum, ut patet in caementariis: sic per istud opus fiunt diversi unum in Domino, unanimes habitantes in domo.

Item, per regulae applicationem relinquuntur in pergameno diversae lineae multae et rectae: sic per istud opus executioni mandantur diversae virtutes in homine, quae nihil aliud sunt quam lineae rectae, quia virtus est bona qualitas mentis qua recte vivitur, unde omnis virtus est quaedam rectitudo.

Item, sicut scriptor qui de regula non curat frequenter distortè scribit, si ea vero utatur, recte: sic discipuli beati Augustini regulam

(1) Cod. Vien.: quaterni.

negligentes distortè vivunt; qui autem secundum eam operantur, rectissimè.

Item, sicut ex applicatione regulae quandoque res quae videbatur recta apparet distorta, vel gibbosa quae apparebat plana; sic procul dubio si diligenter comparetur vita multorum sub hac regula degentium ipsi regulae, apparebit vel distorta vel gibbosa plus quam antea crederetur.

Hiis ergo de causis et aliis similibus recte dicitur hoc opus regula primo modo.

Secundo modo potest dici regula, quia sicut regula in scientiis docet artem sciendi, sic opus istud artem vivendi; et sicut per regulam regit se quis in scientia, ita per hoc opus in vita: et tamen sicut regula habet exceptionem, ita regula interdùm recipit dispensationem.

Notandum autem quod tria tanguntur circa auctorem regulae hujus, quae faciunt ad ipsius excellentiam regulae: sanctitas, cum dicitur beati; litteratura, cum dicitur Augustini; auctoritas cum dicitur episcopi: quae tria non inveniuntur in aliquo aliarum regularum auctore.

Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista praecepta sunt principaliter nobis data.

VIII. De expositione regulae, siveopere tituli.

Quia mandata Dei non sunt relinquenda propter mandata hominum: immo super illa debent omnia alia fundari, quia sine illis alia nihil prosunt, ideo sanctus Augustinus ante mandata sua proponit duo mandata Dei, et ostendit (1) illa praecipue servanda cum dicit: « quia ista praecepta sunt principaliter nobis data. » Quia vero plenitudo legis est dilectio charitatis ad Deum et ad proximum, ideo non ponit mandata singula, vitans prolixitatem, sed hoc solum in quo omnia alia complentur. Et utinam attendant praedicatores, hujus regulae professores, quantùm hoc mandatum de charitate eos implere conveniat!

---

(1) Codd. Vien. et Grat.: ante mandata sua, proposuit mandata Dei ostendens.

IX. Quare charitas in genere magis necessaria est praedicatori.

Licet enim (1) omni homini necessaria sit charitas, tamen principaliter (2) praedicatori. Si enim linguis hominum et angelorum loquatur, charitatem autem non habeat, factus est, secundum Apostolum 1 *Cor. 13.*, velut aes sonans aut cymbalum tinniens, quod aliis prodest eos vocans, sibi vero nocet seipsum confringens. (3) Quid autem prodest homini si totum mundum lucretur, detrimentum autem suî faciat? *Matth. 16.*

Item, praedicatoris interest instructum esse, maximè de necessariis ad salutem, juxta quod dicitur de praedicatore egregio Joanne, scil.: Ad dandum scientiam salutis plebi ejus. *Luc. 1.* Certum est autem quod interdum, ubi deest alia scientia, charitas instruit de hiis plene, juxta illud 1 *Joan. 2.*: Unctio scil. charitas, docet de omnibus, scil. necessariis ad salutem.

Item, utilius est in praedicatione incendere quàm instruere. Sed, sicut dicit sanctus Bernardus, qui non ardet per charitatem non incendit, quia charitas inflammat verba, et facit ardere ut faculam. Quam modicae est igitur efficaciae praedicatio, si charitas desit!

Item, grande vitium est in praedicatore torpor vel pigritia, propter quod dicitur ei, *Prov. 6.*: Discurre, festina; et, 2 *Tim. 4.*: Insta oportunè, importune. Charitas autem non solum sollicitat praedicatorem, sed etiam compellit, nec quiescere permittit, juxta illud, 2. *Cor. 5.*: Charitas Christi urget nos.

Item, dicitur, 1. *Joan. 3.*: Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Ergo qui habet charitatem Deî compatitur proximo (4) in suis necessitatibus temporalibus: multo magis etiam in spiritualibus. Charitas ergo inducit compassionem circa animas. Sine hujusmodi autem compassione nunquam debet esse praedicator, exèmplo illius qui dicit, 2. *Cor. 11.*: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Propter

---

(1) Codd. Vien., Sp. Grat.: autem. — (2) Codd. Vien.: specialiter. — (3) Codd. Grat. Sp. Il.: constringens. — (4) Codd. Vien., Grat.: aliis.

hoc enim dicitur in *Job. 39.*, de praedicatoribus: Incurvantur ad foetus suos, scil. per compassionem.

Item, valde vitiosum est in praedicatore in praedicatione sua alia (1) quam quae Dei sunt quaerere. Charitas autem in hoc dirigit, quia secundum Apostolum, 1. *Cor. 13.*, Charitas non quaerit quae sua sunt, sed quae Jesu Christi.

Item, praedicatoris est intendere summopere aedificationi, (2) et suum studium et vitam ad hoc dirigere: hoc autem fit per charitatem, quia etsi sciencia inflet, et circa inflatoria versentur charitate carentes, tamen charitas aedificat, et quaerit quae sunt aedificatoria, et sermones bonos qui sunt ad aedificationem.

Item, qui manet in Deo et Deus in eo, hic fert fructum multum, sicut dicitur *Joann. 15.*, exemplo vitis et palmitis. Sed qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo, sicut dicitur 1. *Joan. 4.*: ergo talis est aptus ad fructum multum (3) afferendum. Sed haec voluntas debet esse in praedicatoribus, juxta illud quod de eis dicitur: Ut fructum multum afferatis. *Joan. 15.* Quantum ergo necessaria est eis charitas, sine qua fructu carent, et quae multum valet ad tantum fructum afferendum!

Item, praedicatori incumbit multa sustinere in praedicatione sua, exemplo illius qui dicit: Omnia sustineo propter electos. 2. *Tim. 2.* Charitas autem est quae omnia suffert propter electos, secundum Apostolum, 1. *Cor. 13.*, quia fortis est ut mors, cui nihil mortale resistit, et aquae multae tribulationum non possunt eam extinguere. *Cant. 8.*

Patet ergo quod charitas necessaria est praedicatori, quia facit praedicationem suam utilem, non solum aliis, sed sibi; quia instruit eum circa necessaria ad salutem; quia inflammat verba sua ad accendendum; quia movet ad compatiendum; quia sollicitat ad subveniendum; quia dirigit ad ea quae Dei sunt quaerendum; quia vacare facit utilibus ad aedificandum; quia confert ad fructum plurimum

---

(1) Cod. Grat.: aliud. — (2) Cod, Il.: ad aedificationem. — (3) Cod. Grat.: plurimum.

afferendum; quia fortificat ad omnia in praedicationis laboribus sustinendum.

X. Quare charitas est necessaria praedicatori secundum utramque differentiam.

Non solum autem charitas in genere, sed secundum duplicem differentiam, qua scil. Deus et proximus diligitur, est necessaria praedicatori. Ideo enim binos et binos Dominus misit discipulos, ut dicit Gregorius, quia qui dilectionem Dei et proximi non habet, suscipere praedicationis officium non debet. Non enim (1) praedicator ita debet curare de aliorum salute quod suam negligat, neque de se tantum esse sollicitus quod aliis non subveniat. Est ergo dilectio Dei necessaria sibi propter se, proximi autem dilectio propter ipsum proximum.

Item, praedicatoris est interdum vacare contemplationi circa ea quae Dei sunt; interdum vero intendere actioni circa proximum. Ad primum erigit dilectio Dei, circa secundum facit descendere dilectio proximi.

Item, in praedicatione est quaerenda gloria Dei, juxta illud *Isaiae 24:* In doctrinis glorificate Deum; et salus proximi, juxta illud *Luc. 1.:* Ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Primum facit quaerere dilectio Dei, secundum dilectio proximi, et sic compellente charitate faciebat Paulus qui dixit, 2. *Cor. 5.:* Sive mente excedimus, Deo, id est ad Dei gloriam; sive sobrii sumus, vobis, id est, ad utilitatem vestram: charitas enim Christi urget nos.

Item, praedicatoris est praedicare non solum aliis, sed etiam sibi, ne sit similis illi cui dicitur: Qui alios doces teipsum non doces. *Rom. 2.* Primum egreditur ex dilectione proximi, secundum ex dilectione Dei, quae idem est cum dilectione suî.

Item, praedicatoris evangelici est homines inducere ad ista duo mandata, tum quia in istis pendet universa lex et prophetae, *Matth. 22,* quae sunt hominibus praedicanda; tum quia sunt spiritualia mandata novi Testamenti.

Quomodo autem ista praedicare poterunt, nisi ipsi impleant, (2) et primo faciant quae debent alios specialiter docere?

Sic ergo patet quod utrumque praeceptum charitatis praedicatori

---

(1) Cod. Sp.: Nemo. — (2) Codd. Grat. Vien.: impleantur.

convenit, quia et de se et de aliis curare debet, et quia utrique vitae, activae scilicet et contemplativae debet vacare, et quia Dei gloriam et proximi salutem quaerere, et non solum aliis sed etiam sibi praedicare, et utrumque istorum mandatorum debet specialiter praedicare.

Patet etiam ex hiis quod Ordo Praedicatorum propter ista duo mandata debet habere aliqua statuta et consuetudines quae pertineant ad Dei dilectionem, sicut sunt statuta circa officium divinum, silentium, et hujusmodi observantias claustrales; et alia quae pertineant ad dilectionem proximi, sicut statuta circa praedicationem, doctrinam et confessiones audiendas et similia.

XI. Reprehensio eorum qui ea quae sunt proximi praeferunt propriae saluti.

Quia vero plus sibi quilibet tenetur quam proximo; et plus quiescere debet in contemplativa quàm laborare in activa, sicut operarii Salomonis plus quiescebant quam laborabant; et plus ea quae Dei sunt quam quae proximi sunt quaerere; et plus sibi quam aliis praedicare; et dilectionem Dei dilectioni proximi praeferre, quia illud est maximum et primum mandatum, ideo ponitur ordo in hiis, et recte dicitur: « Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus. »

In quo reprehensibiles apparent contraria facientes, scil. qui ea quae pertinent ad dilectionem proximi praeferunt hiis que pertinent ad dilectionem Dei, sive qui in actionibus pertinentibus ad proximum se tota die occupant, et claustrum fastidiunt. Quis enim sapiens non magis cogitet de passione (1) propria quam aliena, de propria infirmitate quam alterius. Quis habens proprium mortuum in domo, relicto eo, vadit ad plorandum (2) alienum, vel causam propriam relinquit et disceptat pro aliena?

Denique qui sibi nequam est cui bonus erit, et quis non debet magis animae suae misereri quam alterius?

Adhuc (3) notandum quod quidam religiosi vocant se dominos, quidam domnos: praedicatores vero fratres vocantur (4); et trahitur haec consuetudo ex hoc quod scil. Augustinus professores regulae suae

---

(1) Codd. Vien. et Il.: possessione. — (2) Cod. Grat.; mortuum alienum. — (3) Codd. Sp. et Grat.: Ad hoc. — (4) Cod. Vien.: nominantur.

vocat fratres, hic dicens: « fratres charissimi »; et infra: « Quod si frater tuus » etc., et alibi in locis multis.

Patet etiam quod magis competit priori ordinis subjectos frequenter vocare fratres quam filios, sive loquendo sive scribendo, cum ipse scil. Augustinus subditos vocet « fratres » ; et sic Apostolus etiam faciebat: quamvis enim interdum subditos suos vocaret filios, tamen frequentius vocabat eos fratres

---

Haec igitur sunt quae ut observetis praecipimus, in monasterio constituti.

Traditis mandatis Dei, tradit mandata sua. Unde cum primo loqueretur in tertia persona de dilectione Dei dicens: « Diligatur Deus, deinde proximus, quia ista praecepta sunt [principaliter nobis data, » innuens quod ista praecepta sunt tam sibi quam aliis a Deo data, nunc loquitur in secunda persona aliis imponens sua mandata, dicens: « Observetis. »

In tradendo autem sua mandata primo ponit in genere suum modum obligandi in verbo proposito dicens: « praecipimus » ; secundo explicat singula mandata dicens: « primum propter quod, » etc.

Sciendum autem quod quidam incipiunt hic regulam, nec habent praecedentia praecepta, et hoc accidit ex hoc quod sanctus Augustinus scribens quibusdam mulieribus religiosis suae dioecesis inserit in fine epistolae regulam istam quam tradidit eis observandam incipiens ita: « Haec igitur » etc. In regula (1) autem quam tradit viris praeponit ante illud duo mandata charitatis, et incipit ita: « Ante omnia, fratres, » etc. Qui ergo incipiunt regulam sic: « Haec igitur sunt », etc. incipiunt secundum modum regulae traditae mulieribus, et continuat haec dictio « igitur » sequentia cum praemissis in epistola. Qui vero sic incipiunt: « Ante omnia, » etc. incipiunt per modum regulae traditae viris, et tunc continuantur sequentia cum duobus mandatis praecedentibus: ut enim illa duo mandata impleantur, imponuntur praecepta sequentia.

Si autem qraeratur quare S. Augustinus in regula mulierum

---

(1) Cod. Grat.: In ista.

non praemisit duo mandata de dilectione, dici potest quod amor spiritualis mulierum (1) de facili degenerat in carnalem, et ideo timens dare huic degenerationi occasionem, noluit eis aliquid imponere de dilectione proximi.

XII. Utrum omnia quae sunt in regula sint in praecepto occasione illius verbi: «praecipimus.»

Sed numquid omnia quae continentur in regula sunt in praecepto? Videtur quod sic. Constat enim quod hoc pronomen: « haec » demonstrat omnia quae continentur in regula, et de hiis dicit: « praecipimus ». Ergo omnia sunt in praecepto.

Contra. Quod si dicatur, sequitur quod professor regulae (2) peccat mortaliter, quando facit aliquid quod sit contra regulam: ergo si non domat carnem suam jejuniis et abstinentia escae et potus, quantum valetudo permittit; vel si non versatur in corde quod profertur in ore quando psallit, et in similibus, peccat mortaliter.

Ad hoc dicunt quidam quod hoc pronomen: (3) « haec », cum sit demonstrativum rei prope positae, non demonstrat ibi nisi duo mandata prope posita (4), scil. de unitate cordium et de communitate rerum, et haec duo solum sunt in praecepto in tota regula. Sed si hoc esset verum, sequeretur quod illud quod remote dicitur: « Praeposito tanquam patri obediatur », non esset in praecepto, quod constat esse falsum.

Ideo dicunt alii quod omnia sunt in praecepto; sed cum praecepta affirmativa non ligent ad semper, non est necesse quod peccet mortaliter professor regulae, quandocumque (5) non implet omnia quae ibi dicuntur, et ideo, quamvis non semper affligat carnem suam quantum valetudo permittit, nec semper versetur in corde quod profertur in ore, non ideò sequitur quod peccet mortaliter.

Sed si haec responsio vera esset, sequeretur saltem in negativis quae obligant ad semper, quod quicumque contra faceret, peccaret mortaliter: ergo quicumque faceret in oratorio aliud quam id ad

---

(1) Cod. Grat.: in muliere. — (2) Cod. Grat.: Quod si dicatur sequitur quod professor regulae peccat mortaliter quantumcumque facit contra aliquid quod sit in regula. — (3) Cod. Il.: haec dictio. — (4) Cod. Il.: propositae,... proposita. — (5) Cod. Grat.: quantumcumque.

quod factum est, vel quicumque iret alicubi sine socio, et similibus negativis, peccaret mortaliter cum ista interdicantur: quod dicere esset crudelitas.

Ideo dicunt alii quod si omnia praecipiat S. Augustinus, tamen professor regulae ejus non peccat mortaliter faciendo contra, (1) quia non promittit obedientiam S. Augustino, sed praelato, nec vovet aliquis regulam S. Augustini, sed « secundum regulam S. Augustini » (2). Sed secundum hoc nullus peccaret mortaliter faciendo contra aliquid quod est in regula, nisi super (3) verba S. Augustini adderetur praeceptum praelati. Quod manifeste falsum est.

Ideo dicunt alii quod tota regula est in praecepto, non tamen singulis, sed professoribus omnibus insimul in eadem domo existentibus, sicut si paterfamilias praeciperet toti familiae ut purgaret tali die talem campum, totum praeciperet omnibus insimul, non singulis; sed sufficeret quod unus faceret partem unam, alius aliam et sic de singulis, dummodo totum fieret ab omnibus insimul: ita etiam impletur praeceptum de tota regula servanda, quando in eodem conventu servatur totum, licet non quilibet totum impleat. Sed secundum hoc sufficeret quod in eodem conventu aliquis observaret abstinentias, alius faceret orationes, alius portaret habitum debitum, et sic de singulis, dummodo totum servaretur: quod est ridiculum dicere.

Ideo dicunt alii quod observantia regulae est in praecepto, sed non singula quae continentur in regula, sicut observantia Evangelii est in praecepto, sed non singula quae exprimuntur in Evangelio. — Sed hoc iterum videtur minus bene dictum. Cum dicitur: « Haec igitur sunt quae ut observetis praecipimus »; hoc pronomen: « haec », cum sit discretivum, potius demonstrat singula mandata quam mandata in genere, et ita potiùs praecipit observantiam (4) singulorum, quam observantiam in genere.

---

(1) Cod. Grat.: contrarium. — (2) Ita quippe habetur in formula professionis religiosae apud Praedicatores, et quidem a principio. — (3) Cod. Grat.:... quod sit in regula, quin super.... — (4) Cod. Vien.: praecipitur observantia....

Ideo reprobatis praedictis responsionibus, dicendum quod quaedam reperiuntur in verbis divinis quae habent in se modum et intentionem praecepti, ut est illud: Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem *Joan. 15.;* quaedam vero quae habent praeceptum in intentione, quamvis non in modo, ut est illud: Non furtum facies *Exod. 20;* quaedam quae habent modum praecepti, sed non intentionem, ut est illud de sanatione surdi et muti, *Marci 7*: Praecepit eis ne cui dicerent. Quis enim audeat dicere quod intendit eos Dominus per hoc ligare ad mortale, et quod peccassent mortaliter praedicando miraculum plus et plus, quanto plus praecipiebat (1) eis ut tacerent? Et tale est illud hic: « Haec igitur sunt », etc. Non enim est probabile quod vir tam sapiens, etsi praecipiendo loquatur, intendat (2) omnia ponere sub praecepto, et tantam damnationis materiam ministrare accedentibus ad regulam suam pro salute quaerenda.

Sed oritur ex hoc quaestio quare posuit verbum praecipiendi, ex quo non intendit praecipere. Ex hoc enim quod sic loquitur videtur ministrare occasionem scrupulorum multorum, et per consequens peccatorum. Respondeo: licet non intendat omnia ponere sub praecepto, tamen suae intentionis est quod multum vult omnia servari. Ad expressionem ergo intentionis suae voluntatis (3) utitur verbo praeceptorio potius quam alio simplici verbo, ne daretur ex tenui modo loquendi pigritiae humanae occasio minus curandi de mandatis regulae. Et est simile in Evangelio *Marci, 6.:* Praecepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Illud enim verbum praecipiendi potius importat intentionem voluntatis quam veritatem praecepti.

Sed iterum surgit alia quaestio. Si enim illud verbum: « praecipimus » non importat veritatem praecepti, sed solùm voluntatis intentionem, ergo nullum praeceptum est in regula. Respondeo verum est quod nullum praeceptum est in regula (4) virtute hujus verbi. Sed multa sunt in intentione, quamvis non secundum expressionem in modo loquendi, sicut in divina Scriptura, cum nobis lo-

---

(1) Codd. Sp. Il.: praecipiebatur. — (2) Cod. Grat.: etsi per modum praecipiendi loquatur, intenderit.... — (3) Cod. Vien.: et voluntatis. — (4) Cod. Sp.: Respondeo quod verum est.... ex virtute hujus verbi.

quitur (1) eodem modo: tamen quaedam reputantur simplices exhortationes, quaedam praecepta, sicut *Lucae 6.*, cum dicitur: Si quis te percusserit in unam maxillam, praebe ei alteram, reputatur consilium; et cum dicitur in *eod. cap.*: Mutuum date, nihil inde sperantes, licet sit idem modus loquendi, reputatur praeceptum.

Si vero quaeratur quomodo possunt haec distingui et cognosci, respondeo: Per rationem. Ratio enim bene disposita, et maxime per unctionem, potest de facili judicare quod vir sapiens intendit obligare professores suae regulae ad ea quae pertinent ad obedientiam, ad castitatem, ad unitatem et similia; non autem aeque ad ea quae pertinent ad diutinam (2) domationem carnis, vel cavendam omnem notabilitatem in omni motu vel gestu et similia. Sicut ergo in divinis Scripturis per rationem et doctrinam sapienter (3) docemur quae sunt praecepta et quae consilia vel exhortationes simplices, ubi Scriptura loquitur uniformi modo, ita et in hoc opere.

Patet igitur ex praedictis quod modus tradendi mandata hujus regulae, licet secundum verbum praeceptorius videatur, tamen secundum intentionem non est praeceptorius universaliter.

Sed quid est quod dicitur: « observetis in monasterio constituti? » Numquid non extra monasterium sunt haec etiam observanda? Respondeo: Quaedam sunt quae dependent a loco, ut petitio codicum, et hujusmodi, et ad haec non tenetur aliquis extra monasterium; quaedam vero sunt quae non dependent ex loco, ut habitus honestas et huiusmodi, et haec sunt ubique observanda, quia haec determinatio: « in monasterio » non determinat hoc verbum: « observetis »; sed hoc nomen: « constituti », ut sit sensus: Vos in monasterio constituti observetis haec.

Sed cum monasterium dicatur statio vel status monachorum, quare vocat locum regularium qui non sunt monachi monasterium? Respondeo sicut omnes regulares per quamdam extensionem dicuntur monachi, et judicantur inde Non ad imparia secundum jura, sic et loca regularium omnium dicuntur monasteria. Proprie tamen locus

(1) Cod. Grat.: loquatur. — (2) Cod. Grat.: ultimam. — (3) Cod. Sp.: sapientiam.

regularium dicitur canonia a canon (κανών), quod est regula. Sed potius posuit nomen monasterii quam istud, quia magis sapit religionem. Illud enim convenit tam saecularibus quam regularibus canonicis.

Posito modo tradendi mandata, tradit singula ordinate; et primo mandata pertinentia ad statum congregatorum, inter quae primo tradit mandatum pertinens ad animorum unitatem dicens: **Primum propter quod in unum estis congregati ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una et cor unum in Deo.** (1)

XIII. De communitate.

Notandum est autem quod unum mandatum dicitur primum ad aliud dupliciter, scil. auctoritate et dignitate, sicut illud mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, dicitur primum inter omnia mandata *Matth. 22*; ordine traditionis, sicut dicitur frequenter illud mandatum prius alio ab auctoribus quod prius traditur, juxta quem modum dixit Lucas *Act. 1.*: Primum quidem sermonem feci etc. Istud ergo mandatum non dicitur esse primum ratione dignitatis, quia multa alia digniora sunt in regula, ut est mandatum de obedientia et quaedam alia; sed dicitur primum ratione traditionis, quia primo traditur: et hoc non sine causa, cum primum sit in intentione. In quo patet quanta debeat esse verecundia religiosis negligentia hujus mandati, sicut dyscolis scholaribus verecundia est discentibus grammaticam quod nondum primam litteram cognoverint alphabeti. (2)

Item, sciendum quod, sicut sunt duo genera avium, scil. solitariarum et gregatim viventium (3), sic duo sunt genera religiosorum, scil. anachoretae sive solitarii, sicut olim fuit Joannes, *Luc. 2.*, quorum mores imitatus David interdum dixit: Ecce elongavi fugiens, etc. *Ps. 54;*

---

(1) Hic in cod. Tol. ponitur rubrica ista: « Capitulum primum regulae totius. — (2) Codd. Grat. et Tol.: ... quanta debet esse discolis verecundia qui nondum primum mandatum sibi traditum compleverunt, sicut esset verecundia scolari discenti grammaticam, qui nondùm primam litteram cognosceret alphabeti. — (3) Cod. Sp.: volantium.

et coenobitae, sive communiter (1) viventes, scil. in congregatione, sicut olim fuerunt cunei prophetarum. Super quo laudavit David Dominum dicens: Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione. *Ps. 110.* Dicuntur autem anachoretae ab ana (ἀνά) quod est sursum, quasi solum sursùm cor habentes. Coenobitae vero a coenon (κοινόν), quod est commune quasi communiter viventes. (2)

XIV. De excellentia vitae coenobitarum super vitam anachoretarum.

Licet autem utraque vita sit laudabilis, tamen secunda praecellit in tribus, videlicet in praemio, et hoc post mortem; in securitate et hoc in morte; in emolumento multiplici, et hoc in vita.

Propter primum dicitur in *Vitis Patrum* quod cum essent quatuor ordines in coelo cuidam sancto viro ostensi, scil. infirmantium et gratias agentium, servientium infirmis in hospitalibus, solitariorum, et viventium in congregatione sub obedientia, et quartus appareret sublimior, quaerenti cur hoc dictum est: Quia alii omnes faciunt quod faciunt secundum propriam voluntatem; hii autem qui sub obedientia patrum vivunt, non secundum voluntatem faciunt quod faciunt, sed secundum alterius voluntatem, et ideo majoris virtutis sunt. Seneca: Hoc solum virtuti adjicies quod propriae voluntati detraxeris. Et ideo cum majori virtuti majus praemium debeatur, viventibus sub obedientia majus debetur praemium. Et ideo dicitur de Christo *ad Philip. 2.*: Factus obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Propter secundum dicitur de quodam eremita viro sancto quod cum revelata fuisset ei hora mortis propinqua, accessit ad coenobium propinquum petens ibidem recipi. Cum autem abbas eidem in hoc difficultatem exhiberet, timens ne esset eis in gravamen propter senectutem et debilitatem, et ipse responderet ne hoc timeret, quia cito moriturus esset, ut sibi fuerat revelatum, et abbas quaereret: Quare ergo vis mutare statum tuum pro tam modico tempore, cum

---

(1) Cod. Grat.: conjunctim. — (2) Meminerit lector quae supra advertenda duximus de etymologiarum scientia apud veteres: nec tamen illum praetereat quam rectius hic derivetur vox « coenobita. » Et alia passim occurrunt exempla.

multi ex hoc possint scandalizari et turbari? respondit quod securius erat transitum periculosum transire in societate quam solum, et ideo cum transitus mortis esset periculosissimus, affectabat illum magis transire in societate quam solus, expavescens illos inimicos qui ibidem exspectabant. Et receptus post paucos dies mortuus est inter fratres, in eorum societate securius pertransiens transitum mortis. O quantum expavescebat passum istum Bernardus, qui dixit: O anima mea, quis erit ille pavor, cum tibi occurrentia catervatim illa teterrima deformia monstra videbis. O quam felix et securus cui diceretur illud *Prov. 3.*: Si dormieris, non timebis, quiesces et suavis erit somnus tuus! Ne timeas repentino terrore irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in latere tuo. Sed quanto felicior et securior qui Dominum cum exercitu suo, non solum angelorum, sed etiam sanctorum fratrum, habebit in latere! Magna igitur est in morte securitas degenti in congregatione.

Propter tertium dicitur, *Eccle. 4.*: Melius est duos esse simul quam unum: habent enim emolumentum societatis suae. Quanto magis qui non solum duo, sed quammulti sunt! Habent siquidem multum emolumentum tantae societatis. Sunt autem hujusmodi emolumenta novem. Primum est sanctitatis ex societate acquisitio. Si enim tanta est virtus societatis cum muliere fideli, quod santificatur vir infidelis per mulierem fidelem, sicut dicitur 2 *Cor. 7.*; quanto magis sanctificatur quis ex societate multorum bonorum! Et ideo dicitur in *Ps. 17*: Cum sancto sanctus eris. Quantò magis cum sanctis!

Secundum est sancta in bonis calefactio. Sicut enim carbo frigidus accenditur ex adjunctione cum aliis ardentibus, ita etiam tepidi ex adjunctione ferventium calefiunt. *Eccle. 4.*: Unus quomodo calefiet? Et si fuerint duo fovebuntur mutuo.

Tertium est in bono corroboratio. *Prov. 18.*: Frater qui juvatur a fratre quasi civitas firma. Sicut enim in civitate firma unus murus alium corroborat, et turris turrim, et sic de aliis, sic in corpore unius congregationis unus ex alio corroboratur in bono.

Igitur ex societate sancta tria praedicta sequuntur, virtutis acquisitio, et hoc quoad incipientes; virtutis fervor, et hoc quoad pro-

ficientes; virtutis firmitas, et hoc quoad perfectos: et hic est triplex status virtutis.

Quartum est cadentis sublevatio quae est multis necessaria. *Eccle. 4.*: Si unus ceciderit ab altero fulcietur. Vae soli! quia si ceciderit, non habet sublevantem.

Quintum est hostium impugnatio. *Ibidem:* Et si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistent ei.

Sextum est operis cujuslibet perfectio. Quod enim non potest quis per se facere, alterius adiutorio complet. *Luc. 5.*: Annuerunt sociis qui erant in alia navi ut venirent et adjuvarent eos: venerunt et sic opus est completum.

Hoc igitur est triplex adjutorium quod consequitur quis ex societate sancta, scil. adjutorium in resurgendo, in pugnando, in operando, secundum tria praedicta.

Septimum est delicti indulgentia. *Gen. 18.*: Si invenero in Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. Si autem ratione societatis bonae tam modicae paratus fuit parcere tantae multitudini, et in tantis sceleribus, numquid non parcet paucis et in culpis modicis propter societatem bonorum?

Octavum est collatio spiritualis gratiae. *Matth. 18*: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, scil. per aliquem effectum gratiae: sic enim dicitur in hominibus et inter homines habitare.

Nonum est precum omnium exauditio. Obtinet enim multitudo quod non obtinet solus. Impossibile est preces multorum non exaudiri, secundum illud *Math. 18.*: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint fiet illis a Patre meo. Quanto magis ubi non duo vel tres, sed maxima convenit multitudo ad rogandum aliquid obtinebit! Exemplum, *Act. 4.*: Cum orassent, motus est locus ubi erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur cum fiducia verbum Dei. Glossa: Hoc postulabant. Oratio igitur congregatorum obtinuit quod petebat.

Et haec sunt tria Dei beneficia scil. delictorum indulgentia, collatio gratiae spiritualis, precum exauditio. Et sic ex sancta congregatione lucratur quis triplicem statum virtutis, triplex adjutorium,

triplex Dei beneficium: quae sunt novem emolumenta. Ex hiis patet quod volentibus religiosam vitam ducere cautius est eligere vivere in congregatione quam in solitudine.

Licet autem egregius praedicator et privilegiatus Joannes Baptista fuerit eremita, non indigens humanis auxiliis, edoctus et missus a Deo, tamen communiter praedicatoribus magis competit status coenobitarum quam anachoretarum, sicut patet ex pluribus rationibus supra dictis (1) ad hoc quod Magis competit praedicatori status religiosus quam saecularis.

Venientes autem ad congregationem propter unanimitatem dicimur congregari in unum, quia etsi propter salutem tanquam finem ultimum simus congregati, tamen ad consequendum istud quod alias consequi poteramus, elegimus cum aliis unanimem vitam ducere, ut per hanc viam ad salutem veniremus, et ita unanimitas finis immediatus est congregationis, et finis sub fine alio.

Quicumque ergo sentit animum suum ab aliis discedere recordetur finis hujus et dicat sibi: Ad quid venisti? Ad congregationem. Nonne ut unanimis cum aliis habitares, sicut dicit tibi pater tuus sanctus Augustinus?

XV. De triplici unanimitate.

Circa istam unanimitatem attendendum quod est triplex unanimitas necessaria servis Dei congregatis.

Una est in opere, de qua dicitur *Soph. 3.*: Servient ei humero uno, quod fit cum concorditer propter nomen ejus in aliquo laboratur.

Alia in ore, de qua *Rom. 15.*: Uno ore honorificetis Deum.

Tertia in corde, de qua *ad Philip. 2.*: Neminem habeo tam unanimem, quasi dicat: Etsi multos habeam unanimes, idest unum mecum animum habentes, tamen Timotheus plus est mecum unanimis. Sed ex ultima sequitur secunda et prima; unde ad *Rom. 15.*, dicit Apostolus: Orando ut unanimes, ecce ultima; et sequitur: Uno ore honorificetis Deum, ecce secunda; et post paululum: Propter quod suscipite invicem, ecce prima. Susceptio enim mutua unanimitas est

---

(1) Cod. Grat.: supra positis.

in opere. Quia ergo unanimitas animorum inducit alias, melius fuit et suffecit circa eam tradere mandatum.

XVI. De unitate animorum notabilia.

Haec est unanimitas pro qua tam devotè Filius rogavit Patrem, *Joan. 17.:* Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Quantam (1) unanimitatem cordium voluit eos habere, quam voluit esse similem illi quae est inter ipsum et Patrem! Haec est cujus exemplum tota multitudo primitivae Ecclesiae nobis reliquit, sicut scriptum est, *Act. 4*: Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Haec est quam adeo Apostolus affectabat in discipulis ut eam complementum totius sui gaudii reputaret dicens, *Philip. 2.:* Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes. Quasi diceret: Etsi multa sint in vobis dequibus gaudeo, (2) non est mihi plenum gaudium sine unitate hujusmodi. Haec est sola quae mihi gaudium potest complere.

Vae illis quos tam efficax oratio Filii ad Patrem, tam beatae (3) multitudinis exemplum, tantum Apostoli desiderium nondum movit ad servandam et sectandam modis omnibus unanimitatem fraternam!

Item, certum est quod omnis congregatio fidelium est unum corpus in Christo. Res vero contra naturam est ut unum corpus habeat plures spiritus, et requirit unitas corporis unitatem spiritus; et ideo signanter dicit Apostolus, *Eph. 4:* Unum corpus, et unus spiritus; quasi dicat: Sicut estis unum corpus, sic debetis unum spiritum habere.

Praeterea, homines qui tendunt ad diversa solent interdum diversificari in actionibus et voluntatibus, sicut si existentes in navi tenderent ad diversos portus. Ex hoc orirentur in eis voluntates et actus adeo diversi, quod unus navigaret et vellet navigare ad unam partem, alius ad aliam. Sed ubi tenderent omnes ad unum portum, non haberent hujusmodi diversitatem in se, sed unanimiter concordarent in idem. Unitas ergo finis unitatem solet inducere cordium. Cum ergo omnes qui sunt in una congregatione tendant ad unum finem, quia unum petunt et unum requirunt, debent esse unanimes

(1) Cod. Vien.: quantum. — (2) Cod. Grat.: gaudeam. — (3) Cod. Grat.: tantae.

omnes. Et ideo addit Apostolus supradicto verbo, et dicit:.... unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.

Ad hoc dicit Hugo, in expositione regulae, super hoc: Quid prodest si continet nos una domus, et separat diversa voluntas? Et ego addo: Quanta hypocrisis ut idem sit habitus, idem officium, eadem professio, eaedem observantiae, et animi sint diversi! Nonne unitatem quae servanda est interius in mentibus repraesentat uniformitas exterius servata in moribus, cum exteriora hominis, secundum Scripturam, enuntient de illo, *Eccli. 19.?* Igitur unitas corporis quoad materiam, unitas intentionis quoad finem, unitas exteriorum quoad formam requirunt unanimitatem in fratribus.

Haec unanimitas valet ad impetrandum. Quod enim non obtinet unus obtinent frequenter multi unanimiter petentes, juxta quod scriptum est in Evangelio, *Math. 18*: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis a Patre meo. Ideo dicitur *Judit 6:* Communi lamentatione et fletu unanimes preces Domino effuderunt, et hoc scilicet ut efficaciores essent preces.

Item, valet ad triumphandum, sicut unanimitas in exercitu. Unde Ambrosius: Omnis pugna unanimiter aggressa parit victoriam. Ideo dicitur 1. *Reg. 11*, de antiquis bellatoribus: Egressi sunt quasi vir unus.

Item, valet ad proficiendum in omni bono. Bonum enim quod communiter approbatur cito et facile promovetur. Ideo dicitur 1. *Esdrae 3*: Stetit Josue, et filii ejus Cedmihel, et fratres ejus, et filii Juda, quasi vir unus, ut instarent super eos qui faciebant opus. Dicuntur autem stetisse quasi vir unus propter unanimitatem quam habebant in opere promovendo. Igitur valet haec unanimitas ad impetrandum a Deo, ad triumphandum de hoste, ad proficiendum in nobis: quid autem istis utilius nobis?

Item, defectus hujus modi unanimitatis in cohabitantibus inducit amaritudinem: amarum est enim omni homini cohabitare cum uxore vel socio cum quibus non convenit ei. Et ideo dicitur e contrario: Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, i. e. unanimiter. *Ps. 132.*

Item, causa est omnimodae dissipationis, sicut divisio in civitate. Ideo dicitur, *Luc. 11:* Omne regnum in se divisum desolabitur.

Item, fugat spiritum, sicut divisio corporis animam. Ideo dicitur *Ose. 10:* Divisum est cor eorum: nunc interibunt. Quid enim est interitus nisi recessio spiritus? Maledicta divisio quae tot et tam grandia mala confert!

XVII. De hiis quae turbant unitatem spiritus.

Item, sciendum quod hujusmodi unitatem spiritus solent multa turbare. Quorum unum est sensus abundantia, cum alius dicit sic, sentit alius aliter de eodem. Contra quod dicitur, 1. *Cor. 1:* Obsecro ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, i. e. divisiones, innuens per hoc quod hujusmodi sensus abundantia divisiones facit.

Aliud est sapientiae diversitas. Cum enim alii sapientiam supernam acceptant, et secundum eam ambulant et diriguntur; alii vero sapientiam infirmam mundi, carnis vel diaboli, fit divisio et turbatur unitas praedicta. Ideo contra hoc dicitur, 2. *Cor. 13*: Idem sapite, id est eamdem sapientiam habete. Propter duo preadicta dicitur, 1. *Cor. 1.*: Sitis perfecti in eodem sensu, quoad primum; et in eadem scientia, quoad secundum. Et haec duo surgunt ex sensus singularitate.

Aliud est amor familiaris ad alterum. Hac enim occasione frequenter disjungitur quis ab aliis qui alium (1) diligunt. Contra quod dicit Apostolus, *Philip. 2:* Eamdem charitatem habentes, hoc est dilectionem communem, ut quem unus diligit alius diligat, et non inveniatur in aliquibus dilectio familiaris.

Aliud est amor propriae commoditatis. Cum enim non quaeruntur communiter ab omnibus quae sunt Jesu Christi, sed quaerit iste quod suum est, ille vero quod suum, oritur dissensio et animi dividuntur. Ideo contra hoc dicit Apostolus, 1 *Cor. 10:* Nemo quod suum est quaerat. Et haec duo proveniunt ex amore privato vel ad alium vel ad se.

Aliud est obstinatio voluntatis. Quod est cum aliquis induci non potest ad acquiescendum aliis. Quo contra dicitur in *Ps. 54.*: In domo Dei ambulavimus cum consensu. Cum consensu enim ambulant qui sibi facile mutuò acquiescunt, et hoc multum facit ad cordium unitatem.

---

(1) Codd. Vien. et Sp.: aliud; — et infra: ut quod.

Aliud est aversio a voluntate divina. Cum enim ipsa sit una, qui adhaerent semper ei unius sunt voluntatis, et qui avertuntur ab ea feruntur in diversa et habent animos divisos. Item, inquirenda est voluntas Dei, secundum Apostolum, *Rom. 12;* et facienda, prout in oratione dominica petitur, *Math. 6*, cum dicitur: Fiat voluntas tua. Et haec duo oriuntur ex propria voluntate. Cum ergo sollicite servare debeamus spiritus unitatem, secundùm Apostolum *ad Eph. 4*, cum quanta attentione cavendum est ab istis sex supradictis quae ipsam unitatem perturbant!

Ex praedictis patet circa unitatem quod cum sit triplex unitas, circa unam, scil. animorum, ponitur hic (1) mandatum. Item, patent tria motiva ad hujusmodi unitatem. Item tria quae requirunt eam. Item, triplex ejus effectus. Item, tria mala quae sequuntur ex ejus defectu. Item, tria ex quibus oriuntur sex quae ipsam perturbant.

XVIII. De mala unitate.

Sed notandum quod postquam dixit: « ut unanimes habitetis in domo », subjunxit: « et sit vobis anima una et cor unum in Deo. »

Sunt enim quidam qui conveniunt in hiis quae sunt mundi, carnis vel diaboli unanimiter, 1 *Cor. 11:* Non laudo quod non in melius, sed in deterius convenitis. Haec unitas non est laudanda, sed perniciosa. Gregorius, super illo verbo *Job. 41*: Membra carnium ejus cohaerentia sibi: Unde sicut perniciosum est si desit unitas bonis, ita perniciosum est si non desit malis.

Sequuntur autem tria mala ex hujusmodi unitate. Primum est incorrigibilitas. Ideo dicitur, *Job, eod. cap.*, corpus diaboli compactum squammis, id est defensionibus sese prementibus; una uni conjungitur, et nec spiraculum quidem, scil. exhortationis, incedit per eas. Gregorius: Qui divisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinacia uniti perdurant. Et iterum: Perversos unitas tanto magis incorrigibiles quanto unanimes facit.

Secundum est audacia in malitiam (2), *Act 7*: Impetum fecerunt unanimiter in eum. Ideo enim quia unanimes audacius irruerunt in

---

(1) Cod. Grat. et Vien.: hoc. — (2) Cod. Vien.: in malitia.

eum. Gregorius: Perversos unitas roborat dum eos concordat. Robur autem facit audaciam.

Tertium est durior persecutio bonorum. Gregorius super praedicto verbo *Job*: Membra carnium ejus: Reproborum unitas tanto durius beatorum vitam premit, quanto se eis per collectionem durior opponit.

Ista unitas non est in Deo, sed potius contra Deum. *Josue 9*: Congregati sunt ut pugnarent contra Josue animo uno, eademque sententia. Repellere enim correctionem, audacter perpetrare malitiam, persequi bonos crudeliter, nonne est pugnare contra verum Josue Salvatorem nostrum verum, Dominum Jesum Christum? Et vere hujusmodi unanimitas malorum est contra Deum. Impugnant enim eum interdum corde, interdum ore, interdum opere: corde, juxta illud *Ps. 82.*: Cogitaverunt unanimiter simul adversum te; ore juxta illud *Ps. 21.*: Aperuerunt super me os suum; non dicit ora, sed os, quia unum habebant os contra Deum; opere, iuxta illud *Act 4*: Convenerunt in civitate ista adversus puerum tuum Jesum quem unxisti Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel, facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt.

Ista societas non est sectanda, sed potius fugienda, juxta illud *Gen. 49*: In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu eorum non sit gloria mea.

Sed sunt alii qui, licet non sint in unitate cum malis, tamen non habent unum cor in Deo cum aliis, quia resistunt bono, et opponunt se reformationibus, correctionibus, restrictionibus, novis constitutionibus licet bonis, et similibus quae valent ad boni promotionem, juxta illud, *Act 7*: Dura cervice etc. vos semper Spiritui Sancto resistitis. Spiritui enim Sancto resistit qui bonum quodcumque quod a Spiritu Sancto est, semper impedit. Quo contra dicitur de Sapientia, *Jac. 3*: Bonis consentiens.

Sed sunt alii qui tanta amicitia adhaerent aliquibus, quod semper et in bono et in malo adhaerent eis. *Job. 41*: Una uni adhaerebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. Sed haec amicitia est saecularis et falsa, quia secundum Tullium haec est lex in amicitia vera ut nunquam turpe quid rogemus, nec rogati faciamus. Propter hoc, sicut

dicitur in Valerio Maximo, cum quidam rogaret quemdam amicum suum ut faceret quoddam inhonestum pro eo, et ille responderet quod non poterat quia inhonestum erat, et rogans diceret: Quid ergo mihi prodest tua amicitia, si non pro me faceres nisi honestum? ille respondit: Imo quid valeret mihi amicitia tua, si pro te facerem inhonestum? Nunquam igitur ita adhaerendum est alicui quod eum sequamur in malo, et qui contra faciunt non habent cor unum cum aliis in Deo solo, quia habent et in bono et in malo cor unum cum aliis.

Providendum igitur volenti servare mandatum de unitate cordis in Deo ne conveniat cum aliis in malo, ut faciunt primi; ne dissideat ab aliis in bono, ut secundi; ne consentiat cum aliquo communiter in malo et bono, sicut tertii: sed solum in hiis quae Dei sunt cum aliis semper cor unum habeat. Haec est enim unitas quae hic mandatur, scil. in hiis quae Dei sunt.

Tales unanimitates sunt illae de quibus dicitur 1 *Pet. 3.*: In fide omnes unanimes, scil. idem sentiendo, vel unanimiter defendendo; et *Philip. 1*: In uno spiritu unanimes collaborantes fidei Evangelii, scil. praedicandae, vel opere complendae; (1) et *Act. 1*: Erant omnes unanimiter perseverantes in oratione; et *Act 8*: Intendebant turbae hiis quae a Philippo dicebantur unanimiter audientes; et *Act 2*: Quotidie perdurantes unanimiter in templo; Glossa: Ecce contemplatio; et frangentes circa domos panem; Glossa: Spiritualem (2) vel corporalem; et *Act 5*: Erant omnes unanimiter in porticu Salomonis; Glossa: In domo sapientis, ubi simul doctrinae vacabant. Felix unanimitas quae facit unanimes, id est credere unanimiter, fidem defendere unanimiter, opera fidei adimplere unanimiter, orationibus instare unanimiter, verbo Dei intendere unanimiter, fidem praedicare unanimiter, contemplationi datum esse unanimiter, misericordiae operibus intendere unanimiter, doctrinae vacare unanimiter! Hujusmodi enim unanimitates et similes quae sunt in hiis quae ad Deum pertinent vere sunt unanimitates in Deo, ad quas restringit Augustinus unanimitatem cum dicit: « et sit vobis anima una et cor unum in Deo. »

---

(1) Cod. Vien.: praedicando.... Complendo. — (2) Cod. Vien. et Sp.: sanctum.

Hanc autem unanimitatem specialiter facit adhaesio illa qua quis soli Deo adhaeret. (1) Is enim qui adhaeret Deo unus spiritus est cum eo. 1 *Cor. 6.* Omnes qui adhaerent ei unum sunt cum eo. Quaecumque autem uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem. (2) Sequitur quod omnes ei adhaerentes unum sunt in Deo; et e contrario qui adhaerent aliis quae diversa sunt et varia diversi sunt et facile dissentientes.

Patent ex praedictis circa praedictum mandatum quatuor, scil. ordo, cum dicitur: « Primum »; auctoritas, cum dicitur: « propter quod in unum estis, congregati »: finalitas enim hujusmodi praestat sibi auctoritatem; item substantia cum dicitur: « ut unanimes habitetis in domo; » restrictio sive determinatio, cum dicitur: « et sit vobis anima una et cor unum in Deo. »

Utinam antem attendant illi qui praedicatorum statum habent quantum etiam pro aliis ab eis exigitur predicta unitas! Dicit enim sponsus sponsae, *Cant. 4:* Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum; Glossa: In unitate praedicatorum. Ipsi siquidem sunt illi de quibus dicitur *Is. 52*: Quam pulchri sunt super montes pedes evangelizantium pacem! Quomodo autem pacem aliis praedicabunt quam ipsi non habent, cum vir sanctus etiam inter illos qui pacem oderunt debeat esse pacificus, exemplo Psalmistae? *Ps. 119.*

Item, ipsi sunt qui habent Altissimo offerre pretiosas oblationes animarum. Quomodo autem erunt acceptae nisi prius reconcilientur fratri suo, cum Dominus dicat, *Matth. 5*, volenti offerre ad altare et recordanti quod frater suus habet aliquid adversus eum, quod relinquat ibidem munus et vadat prius reconciliari fratri suo?

Item, nonne ipsi sunt qui habent opus grande, salutis scil., agere, et adversus multos? Quomodo autem hoc poterunt, nisi concorditer procedant? Ideo dicitur *Philip. 1:* Unanimiter collaborantes fidei Evangelii, et in nullo terreamini ab adversariis; ubi innuitur quod unanimitas valet ad complendum opus fidei Evangelii, et adversarios debellandos.

---

(1) Cod. Vien.: Si enim.... Quod connectas cum: sequitur, infra positum. — (2) Cod. Spir.: sibi invicem cohaerent, unum sunt cum eodem.

Cogitandum est etiam quod magnitudo personarum facile inducit in claustris contentionem divisivam unitatis, sicut etiam in civitatibus in quibus est magna multitudo potentium, plures fiunt contentiones. *Judic. 5*: Magnanimorum reperta est contentio. Nonne et hoc fecit discipulos quodammodo contendere, quando facta est inter eos contentio quis eorum videretur esse major, sicut dicitur *Luc. 22?*

Item, magnificentia actuum facile generat invidiam, unde cuidam quaerenti quomodo non haberet invidos, respondit philosophus: Si nihil magnificum feceris. Invidia vero parit contentionem, juxta illud 1 *Cor. 3.*: Cum enim sint inter vos zelus et contentio. Notabiliter enim praemittit zelum, scil. invidiam, contentioni, quia ab ipso procedit contentio.

Item, varietates nationum, quas, propter varios mores et affectiones diversas, difficile est interdum convenire in unum, *Act. 6.*: Crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos.

Quam ergo facile perdunt unitatem injunctam in regula qui magni sunt, aut in scientia aut in donis aliis; qui quotidie vident in societate sua alios magnifica agentes, aut in praedicando aut in docendo, et aliis hujusmodi; qui congregati sunt de diversis locis et nationibus: nisi dono Dei et sollicitudine magna praedicta sancta unitas conservetur! Proinde, etsi omnibus generalis sollicitudo sit habenda de servanda spiritus unitate, juxta verbum Apostoli, *Eph. 4;* et omnibus sub regula beati Augustini specialis propter mandatum regulae, tamen specialissima fratribus praedicatoribus super hoc incumbit sollicitudo, propter praedicta, quia tenentur ad hoc generali et speciali et specialissima causa.

Quia vero in congregatione religiosa non solum animorum unitas, sed etiam rerum communitas inveniri debet, ideo subjungit B. Augustinus mandatum de hujusmodi communitate dicens: **Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.**

XIX. De laudibus communitatis.

Et vide quantum voluit sanctus Augustinus istam communitatem servari! Ponit enim non solum praeceptum circa unitatem, cum dicit: « sed sint vobis omnia com-

munia »; sed prohibitionem circa vitium oppositum, cum dicit: « et non dicatis aliquid proprium ».

Item, adeo vult istud servari ut non solùm non in re inveniatur proprietas, sed nec in ore. Unde dicit: « Non dicatis aliquid proprium, » exemplo primitivae Ecclesiae, de qua dicitur, *Act. 4:* Nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat.

Sed numquid mortaliter peccat frater quicumque dicit: meus liber, mea cappa et similia? Respondeo: Si dicit ex lapsu linguae, non peccat mortaliter; si autem ex proposito et animo assertivo, quod est proprie dicere, peccat mortaliter.

Sed iterum quaeritur quis erit reus transgressionis hujus praecepti: « et sint vobis omnia communia », si non servetur, cum nulli praecipiatur aliquid per haec verba? Respondeo: Quicumque facit vel omittit aliquid eorum quae ad eum pertinent per quod hoc praeceptum impeditur, ut proprietarius, vel praelatus non communicans omnia modo debito, peccat contra hoc praeceptum. Quamvis enim hoc praeceptum non fiat alicui personae proprie, tamen per resolutionem devenit ad personam. Est enim sensus: Sint vobis omnia communia, idest: habeatis omnia communia, sicut cum dicitur: Sit sermo vester: est est, non, non. *Matth. 5.*

Circa communitatem vero praedictam notanda sunt quinque: primo de laude status hujus, secundo de fructu, tertio de occasionibus proprietatis in religiosis, et remediis, quarto de persecutione hujus vitii, quinto de quibusdam dubitabilibus circa proprietatem.

Circa primum attendendum est quod in statu naturae ante peccatum erant omnia communia, unde Isidorus: Jus naturale (1) est communis omnium possessio, ut habetur *Dist. 1.;* et glossatur (2) ibidem: In statu ante peccatum.

Item, in primordiis status gratiae, *Act. 4.:* Erant illis omnia communia. Et videtur hoc durasse usque ad tempora Constantini, sicut habetur 12, q. 1. Futurum.

Item, in statu futurae gloriae erunt omnia communia. Beda super praedicto verbo, *Act. 4.:* Qui ita vivunt ut sint omnia in domo com-

---

(1) Cod. Vien.: Jus naturae. — (2) Cod. Vien: Glossa.

munia coenobitae vocantur: quae vita tanto felicior est quanto futurum statum imitatur, in quo erunt omnia communia.

Cum ergo non sit meliorem accipere vel reperire statum naturae quam statum ante peccatum, nec gratiae meliorem quam primitivum, nec gloriae quam futurum, quàm felix est ille status qui tales status naturae, gratiae et gloriae imitatur!

Circa secundum adverte quod proprietas frequenter est occasio turbationis cum proximo. Seneca: Quietissime viverent homines si tollerent haec duo pronomina: meum et tuum. Res enim communes nunquam sunt materia litis, sed cum ex concupiscentia vult eas appropriare quis, surgunt turbationes frequenter, vel cum haberi non possunt, vel cum habitae auferuntur; et impletur verbum Salomonis, *Prov. 15.*: Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam, scil. proprietatis.

Item, dat occasionem victoriae inimico, quia per proprium potest inimicus eum retinere, sicut tenetur quis ab adversario per vestem. Gregorius: Cum vestitus cum nudo luctatur, citius dejicitur, quia habet unde teneatur. Unde in *Vitis Patrum*, cum quidam frater venisset ad senem volens relinquere saeculum, sed retinere aliqua modica propter necessitatem, dixit ei senex: Si vis esse monachus, vade ad macellum, et eme carnes crudas, et pone super dorsum tuum, et sic veni ad me. Quod cum fecisset, invaserunt eum canes, et occasione carnium eum dilaniaverunt. Et eum venisset ad senem sic tractatus, dixit ei senex: Sic dilaniantur a daemonibus qui abrenuntiantes saeculo aliquid retinent sibi.

Item, impedit animum ab hiis quae Dei sunt. Ubi enim est thesaurus tuus ibi est et cor tuam, *Matth. 6.*, et sic retrahitur a Deo. Unde quidam zelator animarum, cum discurreret in asino quem solum retinuerat, praedicans assidue, et cum semel intrasset ecclesiam quamdam causa orandi, relicto asino ad portam, antequam orando finisset *Pater noster* semel, cogitavit de asino multoties utrum forte furaretur eum aliquis, et similia. Quod attendens et exiens distraxit eum, nolens ab illa hora habere quod cor suum a Deo retraheret. E contrario igitur ex communitate sequitur triplex fructus, scil. pax cum proximo, securitas ab hoste, libertas in Deum.

Circa tertium notandum quod tria sunt quae solent dare occasionem habendae proprietatis. Primum est indigentia. Magis enim eligunt aliqui aliquid habere cum peccato, quam indigere. Quo contra dicitur in *Ps. 69,* de viro justo: Ego vero egenus et pauper sum; quasi dicat quia ipsa indigentia non inducit ad aliquid habendum, imo pauper remaneo.

Contra istam occasionem duplex est remedium. Unum est liberalitas praelatorum, scil. ut liberaliter administrent de communi, ut tollatur hujusmodi occasio; *Act. 4.:* Dividebatur singulis, prout cuique opus erat; et in *eodem*: Nec quisquam egens erat inter illos. Aliud est patientia (1) subditorum. Sunt enim quidam, secundum Gregorium, qui pauperes esse volunt, sed sine defectu; non sicut Apostolus qui dicit; *Philipp. 4.:* Scio abundare et penuriam pati. O quot penurias sustinuit in victu et vestitu qui dixit, 2 *Cor. 11.:* In fame et siti et in jejuniis multis; in frigore et nuditate. Hujus ergo exemplo, maximè qui aliis praedicant poenitentiam, patienter ferre debent indigentiam. *Ps. 91:* Bene patientes erunt ut annuntient.

Secundum est diffidentia de provisione divina. Sunt enim quidam qui, quamvis nihil defuerit eis, tamen semper timent in futuro (2) sibi deesse. Contra quos dicitur, *Hebr. 13.:* Sint mores sine avaritia, praesentibus contenti. Ipse enim dicit: Non te deseram neque derelinquam. Remedium contra hujusmodi diffidentiam est in quaerentibus regnum Dei confortatio Dominica, quam facit verbo et exemplo, sive promissione et ratione: verbo, cum dicit, *Matth. 6:* Primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis; exemplo, cum dicit *ibidem:* Considerate volatilia coeli; non laborant, neque nent, et Pater vester coelestis pascit ea. Quanto magis vos modicae fidei!

Licet autem secundum hoc omnes quaerentes regnum Dei possint habere fiduciam magnam de provisione divina, tamen praedicatores qui suam et aliorum salutem procurant, magis. Beda: Tanta praedicatori in Deo debet esse fiducia, ut praesentis vitae necessaria, quam vis non provideat, tamen non sibi deesse certissime sciat.

---

(1) Cod. Sp.: Secundum remedium est... — (2) Cod. Vien.: in futurum.

Tertium est carnalitas. Sunt enim aliqui adeo circa curam carnis intenti in cibis et in vestibus, in medicinis et similibus, quod non sunt contenti necessariis quae eis competenter ministrantur, et ideo inordinate procurant alia ad satisfaciendum carnalitati suae. Contra quos dicitur, *Rom. 13:* Carnis curam ne feceritis in desideriis. Bonum remedium contra hoc est consideratio finis ad quem ducit hujusmodi carnalitas. *Rom. 8:* Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Maxime autem praedicatori cavenda est hujusmodi carnalitas, et timendus gravior finis. Unde Apostolus 2 *Cor. 9:* Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.

Circa quartum notandum quod tria sunt genera peccatorum quae persequenda sunt magis quam alia. Unum est peccatorum (1) quod est contra rempublicam, sicut furtum et similia, per quae laeditur proximus, et ideo contra hoc dictum est, *Exod. 22*: Maleficos non patieris vivere.

Aliud est peccatorum quod habet plures occasiones excusationis. Aliter enim si cessaret persecutio hujusmodi peccatorum, jam non reputarentur peccata, sed facile committerentur ab omnibus, et infiniti per peccata hujusmodi damnarentur. Et ideo Ecclesia usuram, quae est peccatum hujusmodi, incessanter persequitur. *Prov. 26:* Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Si enim Ecclesia hujusmodi stultis usurariis, qui non reputant usuram peccatum, non responderet per poenas, per praedicationes abominantes eosdem et similia, jam sibi sapienter sentire viderentur.

Aliud est peccatorum quod habet continuitatem, sicut concubinatus. Hujusmodi enim peccatum facientes sunt in malo proposito continue, et ideo gravius peccant; unde auctoritas talis: Peccata tanto graviora sunt quanto diutius obligatam tenent animam infelicem. Et ideo Ecclesia concubinarios frequenter persequitur, exemplo Pauli qui fornicatorem Corinthium tradidit Satanae, non solum propter magnitudinem sceleris, sed etiam propter continuitatem: unde dicitur de illo quod uxorem patris sui haberet quasi suam, 1 *Cor. 5;* (2) et exemplo sancti Johannis Baptistae, qui in Herode persequens hujus-

(1) Cod. Vien.: peccatum. — (2) Codd. Sp. Vien. Tol.: suam concubinam.

modi continuitatem dicebat ei: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. *Marc. 6.* Si enim semel vel secundo peccatum hujusmodi commisissent, et non essent continue in peccato, non ita viri sancti desaevissent in eos. (1)

Constat autem quod in peccato proprietatis tres supradictae causae concurrunt: ipsum enim est contra rempublicam, quia de communi facit proprium; ipsum videtur quasi non esse peccatum, propter occasiones cujusdam necessitatis, quae (2) ad hoc inducunt; ipsum continuè detinet proprietarium, quia de lapsu carnis, vel cervicositate inobedientiae et similibus cito resurgit quis: sed si in isto involutus fuerit quis, (3) continuè moratur in eo. Quantum ergo debet sancta religio persequi peccatum hujusmodi habens triplicem circumstantiam praedictam, (4) quarum quaelibet sola facit omne peccatum in quo reperitur sic odiosum, ut sine dissimulatione zelus sanctus in ipsum debeat exerceri!

Dant autum hujusmodi persecutionis et punitionis exemplum sancti patres qui fuerunt in religionibus. Unde Gregorius praecepit proprietarium sepeliri in sterquilinium, dicentibus fratribus omnibus: Pecunia tua tecum sit in perditionem, et projicientibus tres aureos, quos fuerat inventus habere, cum eo in sepulcro, sicut habetur in *Dialogo, Lib. 4.* Dant exemplum etiam ipsi (5) fundatores primitivae Ecclesiae. Quod enim peccatum gravius est punitum in Ecclesia primitiva, quàm peccatum Ananiae et Saphirae, qui de eo quod commune esse debebat sibi modicum aliquid retinentes, ad verbum beati Petri morte subitanea sunt perempti? Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt haec, sicut habetur *Act. 5.* Dat etiam de hoc exemplum ipse populus carnalis antiquus universus, qui Achan, qui fuerat de anathemate Jerico furatus, in figura proprietariorum lapidavit, et omnia quae ejus erant consumpsit igne, sicut dicitur *Jos. 7.* Non est ergo hujusmodi peccatum dissimulandum, nec parcendum talibus, quia nec Deus pepercit (6) eisdem. Bernardus:

---

(1) Cod. Sp.: viri sancti desaevissent in eos. Cod. Grat.: incanduissent. — (2) Codd. Sp. et Grat.: quam. — (3) Cod. Grat.: Sed in isto involutus continuè.... — (4) Cod. Vien.: praedictorum. — (5) Cod. Sp.: ibi. — (6) Cod. Sp.: parcit.

Monacho habenti proprium negabit Deus suum proprium, quod est misereri et parcere.

Circa quintum quaeritur utrum praelatus possit dispensare cum religioso suo (1) ad habendum proprium. Respondeo quod non, quantaecumque auctoritatis sit, nec etiam papa. *Extrav. de Statu Monachorum*, Cum ad monast., ubi dicitur sic: Non existimet abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis adeo, (2) est annexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere licentiam.

Sed numquid cum religioso possit dispensari circa habendum usum alicujus rei, etsi non circa proprietatem rei habendam? Respondeo: Duplex est usus, certus et incertus. Certus usus qui non potest auferri; incertus, qui est in voluntate alterius, ut auferatur cum ei placuerit. Circa certum usum secundum hunc modum non potest dispensari: semper enim debet voluntas religiosi esse subiecta praelato, ut resignet quando voluerit. Circa vero incertum potest ex causa rationabili.

Sed quid vocabitur causa rationabilis in hoc casu? Respondeo: Duplex esse potest causa dispensandi in hiis, scil. necessitas et utilitas. (3)

Item, necessitas potest esse duplex, scil. privata et communis: privata, ut cum conceditur moniali in monasterio paupere, in quo de communi non possunt haberi necessaria, ut habeat aliquid ad usum necessitatis suae, cum proposito tamen semper resignandi cum fuerit requisita; communis, ut cum conceditur alicui officiali de communi aliquid ad expendendum in usus et necessitates aliorum.

Item, utilitas similiter potest esse duplex, scil. privata et communis: privata, ut cum conceditur alicui religioso liber aliquis vel ad dicendum (4) aliquas orationes, vel ad informandum animum suum in hiis quae pertinent ad salutem, licet non habeat gratiam docendi alios; communis, ut cum conceditur alicui hujusmodi liber qui potest ex studio suo aliis proficere.

---

(1) Codd. Grat. et Vien.: cum subdito suo religioso. — (2) Cod. Sp.: a Deo. — (3) Cod Tol.: necessitatis et utilitatis. — (4) Cod. Sp.: discendum.

Licet autem hujusmodi necessitates et utilitates sint interdum causa sufficiens dispensandi in supradictis, tamen non omnis necessitas et utilitas sufficiunt ad dispensandum, nisi sint valde rationabiles et manifestae, ut sunt in necessitatibus quotidianis quae pertinent ad victum et vestitum, et in utilitatibus spiritualibus quae pertinent ad animae salutem. Et est valde cavendum ne in hujusmodi facile dispensetur, propter speciem mali. Quandoque enim etsi subsit aliqua causa in hujusmodi dispensationibus, tamen species mali remanet ibi.

Item, propter conscientiae periculum. Facile enim in hiis fingitur causa ubi non est, et mentitur iniquitas sibi, petens hujusmodi dispensationem.

Item, propter sequelam. Trahitur enim dispensatio quae fit cum uno ex causa bona de facili ad consequentiam in altero in quo non subest eadem causa.

Sed esto quod dispensetur cum aliquo circa usum rei alicujus etiam incertum, sed tamen sine causa, numquid excusatur a vitio proprietatis, si habet animum resignandi eum fuerit requisitus? Respondeo: Excusatur a peccato proprietatis, sed tamen non a peccato: imo peccat tam dispensans quam recipiens dispensationem in hoc casu.

Si quaeratur cujusmodi peccatum sit, ex quo non est proprietas, respondeo: In dispensante est abusus potestatis, quae data est ei non in destructionem, sed in aedificationem, et ipse abutitur ea in destructionem; in recipiente vero est avaritia, cum ipse teneat aliquid sine rationabili causa, utpote librum vel hujusmodi aliquid, de quo posset alius proficere, tamquam pecuniam in sudario quae dari debuit ad lucrum, *Luc. 19.* Et ideo districtam de hoc oportebit eum reddere rationem. Nihil ergo dicatur proprium, sed sint omnia communia. Haec est enim differentia inter fratres carnales et spirituales in religione, quia illi dividunt quod commune est, secundum quod dictum est Domino a quodam, *Luc. 12.*: Dic fratri meo ut dividat mecum possessionem; isti vero quod divisum est in communi ponunt, juxta morem Ecclesiae primitivae, *Act. 4.*: Pretia eorum quae vendebant ponebant ante pedes Apostolorum.

Sed quia de hujusmodi communi ministrandum est singulis, non aequaliter, sed secundum exigentiam, subjungitur de hoc mandatum: **Et distribuatur unicuique vestrum a praeposito vestro victus et tegumentum, non aeqnaliter omnibus quia non aequaliter valetis omnes, sed potius unicuique, prout cuique opus fuerit.**

Quia enim dixerat omnia debere esse communia, posset credi quod quilibet de communi posset accipere tanquam de suo pro libitu. Quem errorem excludens, subjungit de modo accipiendi dicens quod non propria auctoritate sunt res accipiendae, sed per distributionem.

Circa distributionem vero quatuor determinat, videlicet: quibus sit distribuendum, et a quo, et quid, et qualiter; quibus: « unicuique »; a quo: « a praeposito »; quid: « victus et tegumentum »; qualiter: « non aequaliter omnibus » etc.; in quo duo determinat; excludit malum modum dicens: « non aequaliter », etc.; ponit bonum, dicens: « sed potius », etc.

XX. De quaestionibus circa distributionem communium.

Sed quaeritur circa distributionem istam utrum religiosus accipiens propria auctoritate aliquid de communibus bonis, sine distributione tali, peccet. Et videtur quod non, quia sicut in tempore necessitatis omnia sunt communia omnibus, ita et religiosis omnia sunt communia. Sed in casu necessitatis licet accipere cuilibet auctoritate propria sine distributione alterius de communibus. Ergo similiter religiosus. — Repondeo: Quaedam sunt ita communia alicui universitati quod licet cuilibet partem accipere pro sui libitu, sicut nemus alicujus villae et similia; quaedam vero sunt ita communia quod totum a toto possidetur, et nihil partis a parte, sicut sunt aliqua bona interdum alicujus capituli in communi. Tempore necessitatis omnia sunt omnibus communia secundum primum modum, et ita licet cuilibet accipere de communibus istis. Religiosis vero sunt omnia communia secundum modum secundum, quia nulli in singulari licet aliquid possidere, et ideo non est simile.

Praeterea, necessitas non subest legibus: religio vero subest legibus, et ideo non licet religiosis accipere de communibus nisi secundum leges traditas.

Item, religiosus non est sui juris, et ideo multo minus sibi debet facere jus, etiam in aliis rebus, sine alterius auctoritate.

Sic ergo patet tam ex parte naturae communis, quam etiam religionis et personae religiosae, quod non licet accipere religioso de communibus bonis propria auctoritate. Qui ergo accipit peccat. Potest tamen circa hoc peccare plus et minus. Sunt enim in bonis communibus quaedam quae non solent distribui, ut thesaurus (1) ecclesiae; quaedam quae solent distribui ut victus et hujusmodi.

Item, inter ea quae distribuuntur quaedam sunt majoris necessitatis, ut victus et vestitus; quaedam minoris, ut libri, pergamenum et hujusmodi.

Item, inter ea quae sunt alicujus necessitatis quaedam sunt quae non sunt distributa, sed sunt adhuc in communi; quaedam vero sunt jam alicui assignata.

Item, inter distributa quaedam sunt quae non possunt accipi sine turbatione alterius; quaedam vero possunt sine turbatione alterius accipi.

Secundum igitur differentias istas, plus peccat qui accipit quod non solet distribui quam qui accipit quod solet distribui, et plus qui accipit quod est minoris necessitatis quam qui quod est majoris, et plus qui assignatum jam alii (2) quam qui non assignatum, et plus qui cum turbatione quam qui sine turbatione alterius.

Item, quaeritur circa primum quod determinat de distributione, dicens: « unicuique », si forsitan aliquis esset excommunicatus, numquid isti est aliquid distribuendum? Respondeo: Si potest habere absolutionem et non curat, non est ei aliquid distribuendum, praecipue si sit ei fomentum malitiae; si autem non potest habere, quia forte est casus pertinens ad papam vel hujusmodi, cum religiosus sit pauper, potest ei dari sequestratim aliquid, dummodo dans faciat hoc causa humanitatis, non ex contemptu excommunicationis, et recipiens ex hoc non negligat laborare pro absolutione, sed consilio praelati paratus sit in hoc stare. Unde Gregorius, 11 q. 3: Excellentissimus, dicit sic: Si quis excommunicatis ad sustentationem, non

(1) Cod. Grat.: thus. — (2) Cod. Sp.: aliis.

superbiae sed humanitatis causa, dare aliquid voluerit, non prohibemus: ubi etiam propter id quod dicit plane arguitur (1) quod si sustentatio hujusmodi esset ei occasio negligendi absolutionem, non deberet ei dari, quia quod causa humanitatis conceditur non debet esse fomentum malitiae.

Item, quaeritur circa secundum quid intelligitur per « praepositum. » Si dicatur quod procurator rerum temporalium qui alicubi vocatur cellerarius, alicubi aliis nominibus, quia ad ipsum videtur pertinere distribuere fratribus necessaria, hoc videtur esse falsum, quia inferius, ubicumque loquitur de praeposito, attribuit ei talia quae ad praelatum pertinent, ut est illud: « Praeposito, tanquam patri obediatur »; et illud: « secundum arbitrium praepositi gravius emendetur », et similia. Et ideo dicendum quod per praepositum intelligitur praelatus, secundum verbum Apostoli, *Hebr. 13:* Obedite praepositis vestris. Constat enim quod ibi vocat praelatos praepositos. Eodem modo hic Augustinus vocat praelatum praepositum.

Quod etiam patet ex hoc quod in regula quam scribit ad mulieres, vocat praelatam praepositam, et simile in epistola quam scribit ad easdem in qua inserit regulam illam. Et de hoc idem manifeste sentit Expositio regulae, (2) super hoc loco.

Si autem dicatur: Numquid ipse praelatus debet distribuere victum et hujusmodi? Respondeo quod si hoc faciat in propria persona, dummodo non impediatur a melioribus bonis, non est contra Evangelium, cum dicatur, *Luc. 22,* de exemplo praelatorum: Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Potest tamen et hoc facere per alios. Hujusmodi ergo distributio facienda est a praeposito per se vel per alios.

Sumitur autem ex hoc duplex argumentum. Unum est quod praelatus magis debet esse sollicitus de temporalibus quam subditi. Cum enim habeat distribuere necessaria subditis, et sicut pater cogitare de necessariis (3) filiorum, constat quod debet majorem solli-

---

(1) Codd. Grat. et Tol.: argumentum est. — (2) Hic sanè alludit auctor ad expositionem Hugonis. — (3) Codd. Grat. et Tol.: necessitatibus.

citudinem gerere ut haec habeat quam alii: aliter enim non posset distribuere, si non haberet.

Aliud est argumentum quod solus sine consilio aliorum potest constituere officiales qui habent hujusmodi distribuere, si velit. Cum enim regula imponat ei soli distributionem praedictam, constat quod solus per se vel per alium potest eam executioni mandare.

Circa tertium notandum quod non solum victus et vestitus accipiendi sunt per distributionem, sed omnia alia necessaria. Sed de hiis magis facit sanctus Augustinus mentionem quia sunt majoris necessitatis et quotidianae, et de quibus magis posset videri quod possint (1) sumi propria auctoritate: unde per consequens relinquitur quod si haec non possunt sic accipi, multo minus alia quaecumque.

Item, notandum quod laudabilior est consuetudo religiosorum qui non dant certo tempore certam vestem, utpote tunicam unam in anno, vel cappam in duobus, vel hujusmodi, sed dant secundum indigentiam, quam consuetudo illorum qui certam vestem certo tempore dant, cum dicat tegumentum dandum non secundum aequalitatem, sed secundum quod cuique opus fuerit. Certum autem est quod aliquis potest plus vel minus indigere quam una tunica in anno, et sic de aliis. Illa autem consuetudo, quae dat certam pecuniam certo tempore pro vestibus aut aliis necessariis quibuslibet, omninò est reprobanda, non solum quia est materia proprietatis, sed quia est contra regulam quae dicit non pecuniam, sed victum et vestimentum distribuendum esse.

Circa quartum notandum quod hoc quod dicit: « non aequaliter omnibus » esse dandum victum, videtur esse contrarium beato Benedicto, qui in regula sua dicit certam mensuram panis et potus dandam omnibus. Sed ad hoc respondetur quod beatus Benedictus in eisdem capitulis in quibus de hoc loquitur, committit abbati ut plus tribuatur, si necessitas hoc requirat.

Item, ex hoc quod dicit non aequaliter omnibus distribuendum tegumentum, patet quod tolerabile est in ordine, si forte meliores et plures vel pluries vestes dantur interdum uni quam alii, dum-

(1) Cod. Vien.:.... possit.... possent....

modo subsit causa rationabilis, et praecipue necessitas ; et idem de cibis est judicandum.

Item, ex hoc quod dicitur : « sed potius unicuique prout cuique opus fuerit », patet quod in conventu potest interdum aliquid dari alicui quod aliis non datur, cum hoc requirit necessitas vel infirmitatis vel naturae, (1) ut pote cum aliquis nunquam potest uti cibis communibus, vel propter infirmitatem, vel propter naturae abominationem. Aliter vero non est extendenda hujusmodi dispensatio, ne sub pallio necessitatis peragatur negotium voluptatis.

Item, per hoc quod dicit : « prout cuique opus fuerit », non sicut quisque voluerit, innuit quod cavenda est superfluitas et nimia tenacitas, relinquens indigentiam. Necessitas enim ministrata nec superfluitatem habet nec indigentiam.

XXI. De superfluitate cavenda a fratribus.

Circa superfluitatem vero notandum quod licet omni christiano sit cavenda, juxta illud, 1 *Tim. 6 :* Habentes alimenta et quibus tegamur, hiis contenti simus ; tamen magis cavenda est clericis, (2) juxta illud, 1 *Cor. 9 :* Qui altari deservit de altari vivat. (3) Bernardus : Vivat, inquam, non superbiat, non ditetur, et similia. Maxime vero religiosis convenit. *Num. 6 :* Vir sive mulier, cum se voluerit Domino consecrare, a vino et ab omni quod inebriare potest abstinebunt. Quis enim non videat quod in minus sonat victus quam alimentum et tegumentum, et in minus abstinentia a vino quam victus ? Hoc autem significatur in capillis qui significant superfluitatem. Laici enim aliquid abscindunt de capillis, sed plus clerici et plus religiosi.

Licet autem omni religioso sit cavenda, (4) tamen nobis specialius, et hoc ratione praedicationis et ratione professae paupertatis. Ratione praedicationis, triplici de causa.

Prima est ne impediatur. Cum enim difficile sit assueta relinquere, quicumque assuescit superfluitatibus, vix poterit indigentiam

---

(1) Cod. Vien. : necessitas, vel infirmitas, vel natura. — (2) Cod. Vien. : ecclesiasticis. — (3) Plures Codd. hic et alibi ita vertunt hunc textum : « Qui altario deservit de altario vivat. » Unde ita habitum esse ia translatione Bibliae tum temporis usitata suspicandum est. — (4) Codd. Sp. et Vien. : cavendum.

sustinere. Seneca: Voluptatibus assueti carere non possunt. Sed discurrentem propter salutem animarum multas oportet indigentias sustinere. Talis ergo refugiet praedicationem ut declinet inopiam, et sic impeditur praedicatio. Ideo e contrario dicit Psalmista: Bene patientes erunt ut annuntient, *Ps. 91,* hoc est, ad hoc ut annuntient necessarium est eis ut sciant bene pati.

Secunda est ne ipsi praedicatori damnosa fiat praedicatio: cedit enim ad damnum praedicantis poenitentiam nisi et ipse arcte vivat. Ideo dicit Apostolus, 1 *Cor. 9:* Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicavero ipse reprobus efficiar. (1)

Tertia est ut efficacior in attrahendo fiat. Nihil enim est quod magis attrahat ad praedicationem quam fama praedicatoris. Inter opera vero de genere bonorum non est aliquod quod tam famosum hominem reddat sicut parcitas. Ut igitur praedicatio sit efficax ad attrahendum, cavendum est praedicatori ab omni superfluitate. Imo acquirenda est sibi fama per parcitatem in victu et vestitu, exemplo Johannis Baptistae, qui ex hoc et famam sanctitatis acquisivit et efficaciam homines attrahendi. *Matth. 3.* Ipse enim Johannes habebat vestimentum de pilis camelorum; esca autem ejus erat locustae et mel silvestre, etc. Et sequitur: Tunc exibat ad eum omnis Jerosolyma et omnis Judaea, etc. quia (2) attracti tali fama.

Ratione quoque paupertatis, triplici similiter de causa cavendum est nobis a superfluitatibus. Ad quod sciendum, notandum est primo quod eleemosynae dantur bonis viris intuitu necessitatis, unde *Rom. 12:* Necessitatibus sanctorum communicantes: non dicit deliciis vel superfluitatibus.

Item, ut frequenter fiunt de dantium necessitatibus. *Luc. 21:* Haec vidua ex eo quod deest illi omnem victum suum misit in munera Dei.

Praeterea, si isti non acciperent, haberent alii qui suam inde supplerent necessitatem, Unde ad superflue expendentes eleemosynas vox est pauperum secundum Bernardum: Vita nostra cedit vobis in superfluas copias, nostris necessitatibus subtrahitur quidquid ac-

---

(1) Cod. Vien.: inveniar. — (2) Cod. Vien.: quasi.

cedit vanitatibus vestris. *Isa. 26:* In terra sanctorum iniqua gessit. Bernardus: Tam iniqua gerunt in terra sanctorum ut stipendiis quae sufficere debeant sint minime contenti; superflua quibus egeni sustentandi erant impie consumere non verentur.

Pensandum est diligenter quale sit illud quod necessitatibus pauperum subtrahitur, quod de necessitatibus dantium extrahitur, quod pro necessitate relevanda porrigitur, ne superflue expendatur.

Secundo notandum quod elemosynae dantur pro peccatis, juxta illud *Ose. 6:* Peccata populi mei comedent. *Glossa:* Oblata pro peccatis; et hoc illorum quorum aliqui ardent in inferno, aliqui in purgatorio, aliqui adhuc vivunt in concupiscentiis in mundo. Sunt ergo hujusmodi elemosynae panis doloris et luctus. Quis igitur mente sanus audeat de hiis festum aut superfluitates facere, et non potius cum timore et tremore comedere? Unde, *Levit. 10,* dicit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato; et post: Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in caerimoniis mente lugubri? A simili: Quomodo potest quis facere festum de hiis quae requirunt luctum?

Tertio notandum quod elemosynae quae dantur sunt de alieno. Non reputatur autem decens quod de alieno corio faciat quis largas corrigias.

Item, acquiruntur per laborem fratrum non modicum. David autem noluit bibere aquam acquisitam a tribus fortibus cum periculo et labore, sicut dicitur 2 *Reg. 23:*

Item, oportebit de earum dispensatione reddere districtam rationem. Bernardus: Quid deliciae illae tibi sapiunt, pro quibus tam durae temetipsum obligas rationi? Et loquitur de istis eleemosynis viventi. Parcius autem solet quis vivere de hiis de quibus oportet eum reddere rationem quam de hiis de quibus non oportet. Qua conscentia ergo audet quis se exponere ad expendendum superflue eleemosynas nostras quae aliunde adveniunt, et cum multo labore aliorum acquiruntur, et de quibus districta ratio est reddenda? Igitur nec ratione recreationis, nec ratione hospitalitatis, nec ratione capituli, nec aliqua alia quacumque causa laxandae sunt habenae aliquatenus superfluitatibus.

Reprehensibilior autem est superfluitas cum fit loco vel tempore indigentiae, ut cum fit quis ebrius cum proximus esurit.

Item, cum fit coram extraneis, qui in hoc male aedificantur.

Item, cum in nullos (1) usus res convertuntur, unde legitur in libro *Collationum* quod cum frater quidam mundaret legumina, et cecidissent ad terram tria grana lenticulae per ejus incuriam, facta est magna conquestio inter fratres de tali negligentia, eo quod res sibi commissas sic frater ille deperire permisisset. Quid autem mirum si superfluitates non sunt a pauperibus conquirendae, cum rex ipse Salomon solum petierit necessaria dicens, *Prov. 30:* Tantum victui meo tribue necessaria.

XXII. Quod servis Dei large sunt necessaria ministranda.

In distribuendis vero necessariis non debet esse tenacitas, sed large, prout facultas permittit, sunt ministranda servis Dei.

Certum est enim quod sicut Deus fecit hominem ad serviendum sibi, ita fecit omnia ad serviendum homini, et ideo qui non servit ei, secundum Augustinum, non est dignus pane quo vescitur. Cum enim non reddat servitium debitum Creatori, non est dignus illis quae sibi debebantur propter hujusmodi servitium. E contrario vero omnia sunt justorum, secundum Augustinum, 13, q. 7, cap. 1. Et ideo dicit Apostolus, 1 *Cor. 3,* justis: Omnia vestra sunt. *Glossa:* Ad serviendum vobis data. Dignum est igitur ut de hiis omnibus quae sua sunt saltem eis necessaria ministrentur. Imo quanto laudabilius Deo serviunt, tanto digniores sunt provisione meliori. Et hoc confirmat quod legitur in *Vitis Patrum* de quodam eremita cui Dominus mittebat panem delicatum per angelum ad sustentationem sui; et cum incoepisset superbire, missus est panis aliquantulum grossior; et cum plus et plus cresceret ejus peccatum, semper panis grossior mittebatur; et tandem consummato peccato, nihil est ei missum. Ex quo patet quod quanto quis melior tanto dignior est meliori provisione; et qui malus est indignus est omni provisione.

Praeterea, licet Dominus permiserit sanctos suos variis perire martyriis, tamen nunquam vel raro legitur quod permisisset aliquem

(1) Cod. Vien.: nullius.

fame vel inedia interire. Unde cum Elias fugiens absconditus esset in torrente Carith, mittebat ei Dominus per corvum necessaria. 3 *Reg.* 17. Et cum Daniel esset in lacu leonum in Babylone, misit ei Dominus per angelum deferentem (1) Habacuc de Judaea prandium. *Daniel* 14. Et sanctissimo Paulo primo eremitae mittebat panem quotidie. Ideo dicitur, *Hebr.* 13: Non te deseram, — *Glossa:* Quin dem necessaria; — neque derelinquam, *Glossa:* Derelinqueretur qui fame periret. Constat igitur quod voluntas ejus est quod servis suis necessaria ministrentur, cum et ipse, ubi alia deest provisio, etiam miraculose provideat.

Item, quando Dominus pavit turbam sequentem se, de qua habetur *Joan.* 6, ita abunde panem ministravit quod multae superfuerint reliquiae. Tantum dedit eis de pitantia, quod habuerunt de piscibus quantum volebant. Quando vero fecit vinum in nuptiis, non fecit qualecumque, sed peroptimum. *Joan.* 2. Quando misit Eliae per corvum victum, non solum panem, non solum semel in die, sed bis in die misit carnes et panem, id est mane et vespere. 3 *Reg.* 17. Quando pavit populum in deserto, ita delicatum dedit eis panem quod habebat omne delectamentum saporis et suavitatis. *Sap.* 16. Quomodo ergo videtur esse probabile quod velit suos ita arctam vitam ducere, quin ministrentur eis saltem necessaria abunde? Distribuendum est ergo unicuique, sicut cuique opus fuerit.

Sequitur autem ex hoc triplex fructus. Habentes enim necessaria abunde boni viri ex hoc assurgunt ad laudem Creatoris. *Ps.* 21: Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum. Qui enim non requirunt Deum nec curant de Deo non sic faciunt, sed potius abutuntur istis ad voluptatem et peccata.

Item, inopia multis religiosis est occasio malorum. Ex hoc enim aliquando sunt in murmure, vel per aliquam proprietatem relevant inopiam, vel mutant quandoque statum suum meliorem in pejorem. *Eccl.* 27: Propter inopiam multi deliquerunt. Per provisionem autem sufficientem caventur ista peccata.

Item, cum desunt necessaria, deficiunt multi corporaliter, et fiunt

(1) Cod. Vien.: deferendum.

multoties minus potentes ad opera activa, in quibus subvenitur proximo. *Sap. 2:* Quod infirmum est inutile invenitur. Et e contra cum vires adsunt, efficacius deserviunt utilitati proximorum. Et ideo providendum est eis in temporalibus competenter, ut possint haec facere. *Ps. 103:* Herbam servituti hominum; *Glossa:* id est, temporalia humilibus qui pro Christo servi fiunt hominum, utilitati fratrum intendentes.

Ex provisione igitur necessariorum in bonis viris sequitur Dei glorificatio, peccatorum multorum devitatio, proximorum subventio.

XXIII. Quod non est diffidendum servis Dei, et maxime praedicatoribus, quin habeant necessaria.

Non est autem diffidendum ministrantibus quae habentur in praesenti servis Dei quod deficiant in futuro. Non enim dat Dominus procuratori quamdiu habet, sed postquam totum expendit tunc dat ei plus. *Luc. 6:* Date et dabitur vobis. Ad excludendam autem hujusmodi diffidentiam, dicitur *Matt. 6:* Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus? Scit enim Pater vester coelestis quia hiis omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia, scil. quibus indigetis, adjicientur vobis. Sunt autem tria quae possunt dare hujus rei fiduciam. Primum ex parte dantis: si enim nobilis quilibet familiae suae providet, quanto magis nobilissimus et largissimus Deus. *Luc. 12:* Nolite solliciti esse. *Glossa:* Indecorum est hominem curare de cibo vel de veste qui militat regno. Novit enim rex quemadmodum familiam suam pascat, alat et vestiat.

Secundum ex parte recipientis, unde super illud, *Ps. 33:* Benedicam Dominum, dicit *Glossa:* Pascebat contemnentem se, et non pascet timentem se?

Tertium ex parte dati. *Matth. 6:* Nonne anima plus est quam esca? *Glossa:* Qui majora dedit, id est, vitam et corpus, dabit minora, id est, victum et vestes. Propter hoc igitur dicit cum omni fiducia Psaltes, *Ps. 33:* Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum; *Glossa:* temporalium.

Non est igitur diffidendum de divina providentia servis Dei quibuscumque: sed minùs praedicatoribus. Ipsis enim non solum ratione bonitatis providet divina bonitas, sed tanquam operariis de-

betur cibus. *Luc. 10:* Dignus est mercenarius, id est operarius, mercede sua, id est cibo suo. *Glossa:* Ecce quare praecipit nihil ferre, quia omnia dabuntur eis.

Praeterea, omnibus sperantibus in Deum divina providentia ministrat, juxta illud, *Ps. 44:* Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore oportuno. Quanto magis dabit servis suis in eum confidentibus; quanto magis operantibus salutem (1) animarum: Igitur cum omni fiducia praelati ministrare debent de hiis quae habentur in praesenti servis Dei, et maxime illis qui vacant animarum saluti.

Sequitur: **Sic enim legitis in Actibus Apostolorum quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique prout cuique opus erat.**

Haec verba non sunt ita praecise in *Actibus,* sed extrahuntur de 1 et 2 et 4 *capitulo.*

Et nota quod duo dixerat supra, scil. quod « sint omnia communia », et quod « distribuatur non aequaliter omnibus », sed « potius unicuique prout cuique opus fuerit ». In quibus duobus differt fraternitas spiritualis a carnali. Fratres enim carnales quod commune est dividunt, isti vero e contrario quod divisum est in communi ponunt.

Item, fratres carnales cum dividunt, secundum aequalitatem, non secundum necessitatem dividunt: isti vero e converso.

Ad ostendendum autem rationabile quod dicit de communitate et de distributione, inducit exemplum de vita apostolica, propter quod dicitur haec regula constituta sub sanctis Apostolis, dicens: « Sic enim legitis in Actibus Apostolorum quia erant illis omnia communia », et hoc quoad primum; « et distribuebatur unicuique, prout cuique opus erat, » et hoc quoad secundum.

XXIV. Quaestiones circa communitatem primitivae Ecclesiae.

Sed quaeritur hic circa primum, utrum illa communitas Ecclesiae primitivae esset ex voto. Si enim non erat ex voto, non videtur inducere bonum exemplum ad communitatem (2) religiosam quae surgit ex voto; si autem

---

(1) Cod. Tol.: operariis salutis animarum. — (2) Cod. Vien.: religiosorum.

dicatur quod ex voto erat, quomodo potest hoc asseri cum non inveniatur scriptum?

Praeterea, quomodo est probabile quod tota illa multitudo quae convertebatur, voveret se nihil in antea possidere?

Respondeo: Non credo quod esset ex voto, sed solum ex perfectione charitatis; unde super illud *Luc. 14:* Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, etc., dicit *Glossa*: Renuntiare convenit omnibus qui ita licite utuntur mundanis quae possident, ut tamen mente tendant ad aeterna. Relinquere vero omnia perfectorum est tantummodo, qui omnia temporalia postponunt, et solum (1) aeternis inhiant. Ex quo patet quod sola perfectio charitatis facit interdum omnia relinquere sine voto, et sic fuit in Ecclesia primitiva.

Nihilominus tamen bonum inducitur exemplum, quia non est intentio sancti Augustini inducere illud exemplum ratione voti, sed solum ratione communitatis, ut sicut tunc omnia erant communia, sic etiam sint omnia communia degentibus sub regula sua.

Si opponatur quod super illo verbo *Act. 5:* Fraudavit de pretio agri, dicit *Glossa*: Fraus ideo fuit quia totum (2) voverat sicut et caeteri, respondendum est quod vovere accipitur ibi pro dedicare. Potest autem quis dedicare sua Deo ex sola charitate, quamvis ex voto non renuntiet omnibus in futuro; vel potest dici quod licet tunc voverent ea quae habebant, tamen non abrenuntiabant ex voto omnibus, et ideo modus vivendi in communi non erat ex voto.

Secundo, quaeritur quare mutatus est status ille communitatis. Non enim licet dicere quod non fuerit bonus. Si ergo fuit bonus, qua ratione successores qui fuerunt minoris auctoritatis ausi sunt illum statum apostolicum mutare, quem potius imitari debuerunt? Respondeo: Quadam sunt ita essentialiter bona quod non recipiunt pro aliquo tempore mutationem, sicut diligere Deum, et similia. Quaedam verò pro tempore recipiunt mutationem. Sunt enim quaedam (3) quae pro uno tempore magis expediunt quam alio. Cum ergo dilatata fuit Ecclesia per orbem et habuit pacem, visum est successoribus Aposto-

---

(1) Codd. Grat. et Tol.: solis. — (2) Cod. Grat.: tunc. — (3) Cod. Tol.: multa.

lorum, apud quos remansit potestas eorum, quod magis expediebat quod ipsae possessiones, quarum pretium cum essent venditae dabatur eis ut illud distribuerent credentibus, retinerentur et darentur ipsis, ut perpetuo possent inde subvenire pluribus, quam quod more solito venderentur: et ideo mutaverunt statum illum. Et primo solae matrices ecclesiae hujusmodi habebant possessiones et providebant aliis; postmodum vero dilatatum est usque ad alias ecclesias; et de hoc habetur XII, q. 1., Videntes. Videtur autem quod circa tempora Constantini facta fuerit primo ista mutatio per approbationem universalem, quia forte particulariter facta fuit ante aliqua mutatio particularis. XII, q. 1, Futura est ab illo. Ergo.

Tertio, quaeritur utrum illa communitas esset apud omnes Christianos in primitiva Ecclesia? Respondeo: Non credo quod esset nisi solum apud ecclesiam de Judaeis, unde et Paulus faciens collectas apud conversos de gentibus pro illis de Judaea, dicebat 2. *Cor. 9:* Unusquisque prout destinavit in corde suo. Ergo unusquisque habebat proprium.

Fuit autem hujus rei ratio multiplex.

Primo, (1) ratione perfectionis. Major enim gratia Spiritus Sancti effusa est in Judaea quam in gentibus, quae eos ita effecit ebrios charitate, et ad tantam promovit perfectionem ut omnia contemnerent pro amore Dei, et propter amorem proximorum, quibus ut omnia communicare melius possent, vendebant possessiones, et ponebant pretia in potestate Apostolorum ut distribuerent aliis, sicut patet *Act. 2*, et *4*.

Secundo, ratione persecutionis futurae in Judaea. Quam praevidentes Apostoli noluerunt aliquid ibidem possideri a se vel a suis discipulis, ut habiliores essent ad transmigrandum. XII, q. 1. Futuram.

Tertio, ratione exempli. Cum enim ab illis de Judaea descenderit primo fides Christi, justum fuit ut et ipsi majora (2) exempla perfectionis haberent, ut efficacius per ipsos dilataretur ubique. *Isa. 40.:* Super montem excelsum, scil. perfectionis, ascende tu qui evangelizas Sion.

---

(1) Cod. Grat.: Prima.... Secunda.... Tertia.... — (2) Cod. Sp.: majoris.

XXV. Quaestiones circa distributionem communem.

Circa secundum, occasione ejus quod dicitur: « distribuebatur (1) unicuique », etc. videtur primo quod errent illi qui intrant religionem pauperem, ubi nihil est quod distribuatur, praecipue cum non vendant omnia, nec ponant omnia ante pedes praelatorum, ut de pretiis possit provideri fratribus, sicut fiebat in Ecclesia primitiva. Respondeo: Religio pauper quae est inter fideles qui sunt divites, nunc habet probabilem spem quod providebit sibi devotio fidelium, et ideo non oportet quod quilibet intrans asportet sicut in primitiva Ecclesia, quae erat inter infideles et persecutores, a quibus non poterat sperare se aliquid habituram; et in hac spe factae sunt rationabiliter religiones pauperes hiis temporibus.

Secundo, videtur quod in primitiva Ecclesia nullam haberent indigentiam, cum dicatur: « distribuebatur unicuique prout cuique opus erat ». Quid ergo est quod dicitur, 1 *Cor. 11*: In fame et siti, etc.? Respondeo: Sicut dicit Joannes Beleth, beatus Stephanus lapidatus fuit in anno ipso ascensionis Domini, in die qua celebratur corporis ejus Inventio, et a festo Pentecostes usque ad illud tempus habuit qualemcumque pacem Ecclesia in Judaea, et in illa pace indigentiam non habuerunt. Tot enim erant pretia eorum quae vendebantur et fiebant communia quod plene sufficiebat eis. *Act. 4:* Nec quisquam egens erat inter illos. Quotquot autem possessores erant agrorum aut domorum vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Pro illo ergo tempore quod satis modicum fuit, verum est quod nullus egens erat inter illos. Sed postquam persecutio orta fuit, quae incoepit a morte beati Stephani, dispersi sunt, et habuerunt multas indigentias, de quibus alibi multum loquuntur Scripturae.

Tertio, est notandum quod super illo verbo, *Act. 2*: Dividebant illa omnibus prout cuique opus erat, dicit *Glossa:* Non secundum honorem, sed secundum indigentiam. Et ideo quaeritur utrum in communi victu degentibus praelato minus indigenti liceat plus dare, causa honorandi eum.

Item, *Act. 2,* super eodem verbo dicit *Glossa:* Non secundum

(1) Cod. Grat.: distribuatur.

personas et munera, sed secundum indigentias. Ideo quaeritur utrum illi qui fuit dives in saeculo vel nobilis liceat plus dare, licet non indigeat plus. Et similiter quaeritur de illo qui dedit multa domui quando intravit. Istae enim glossae videntur hoc negare.

Respondeo: Sicut duplex est superfluum, scil. respectu naturae et respectu personae, et aliquid est superflum naturae, quod tamen non est superfluum personae: ita duplex est indigentia, scil. ratione naturae et ratione personae; et est aliquid quo persona indiget, non natura. Potest igitur (1) inter viventes in communi aliqua persona propter aliquam personae (2) circumstantiam esse cui plus est interdum in casu deferendum, cum moderamine tamen, quamvis natura non indigeat, unde praelato, vel illi qui fuit dives aut nobilis in saeculo, vel qui plus dedit monasterio, plus potest interdum dari, et quando fit cum moderamine, fit secundum indigentiam non naturae sed personae. Si autem fieret sine moderamine debito, jam non fieret secundum indigentiam personae neque naturae, et tunc diceretur (3) fieri ratione honoris vel munerum, vel personae acceptione, et hoc non liceret.

Sequitur: **Qui vero aliquid habebant in saeculo, quando ingressi fuerint monasterium, libenter velint illud esse commune.**

XXVI. De hiis quae vitiant communitatem.

Traditis mandatis circa communitatem rerum quoad res communicandas et quoad distributionem earum, nunc tradit mandata contra vitia quae circa communitatem oriri solent. Quorum vitiorum sunt duo genera, scil. primaria et secundaria. Primaria verò duo, scil. voluntas non communicandi et voluntas improba habendi. Primum et majus accidit ut frequenter in hiis qui aliquid in saeculo habuerunt, et ideo tradit circa hoc mandatum dicens: « Qui verò aliquid habebant in saeculo », etc.; secundum et minus in hiis qui fuerunt in saeculo pauperes, et

---

(1) Cod. Sp.: tamen. — (2) Cod. Grat.: particularem. — (3) Cod. Tol.: daretur solùm ratione....

iterum tradit circa hoc mandatum dicens: « Qui verò non habebant, » etc.

Sed videtur quod circa primum minus bene dicat. Qui enim habuerunt aliquid in saeculo, aut dederunt illud aliquibus in saeculo cum ingressi sunt monasterium, et tunc non debent velle illud esse aliorum, quia esset injuria; aut dederunt monasterio, et tunc non oportet eis facere mandatum circa hoc, cum jam illud fecerunt; aut nihil determinarunt de rebus illis, et tunc, cum interdum possent illa expendere in aliquas causas ita pias sicut si ducerentur in commune, non sunt arctandi ad dandum illa monasterio.

Respondeo: Quidam reperiuntur qui licet reliquerint saeculum, tamen adhuc nimis saeculariter diligentes suos plus diligunt dare eis sua, etiam sine pia causa, quam monasterio. Isti, licet nati sint in Christo, tamen adhuc ligati sunt mundo cum umbilico, qui est carnale vinculum quo ligantur pueri cum matre; unde ei qui talis est Dominus loquens dicit, *Ezech. 16.*: In die ortus tui non est praecisus umbilicus tuus. Isti diligentes ea quae mundi sunt suis et sibi paupertatem faciunt, contra praeceptum illud charitatis, *Matth. 19:* Diliges proximum tuum sicut te ipsum: *Glossa:* Ad id ad quod te ipsum. Hoc est Pharaonis opus, quod faciebat filiis Israel volentibus recedere de Ægypto. Cum enim non poterat eos retinere, volebat saltem (1) eorum bona obtinere, (2) sicut habetur *Exod. 10.* Sed dixit Moyses: Non remanebit ex eis ungula. *Ibid.* Et hoc exemplum habemus ex illis qui in primitiva Ecclesia convertebantur, de quibus dicitur, *Act 4:* Quotquot possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant aute pedes Apostolorum.

Alii reperiuntur qui quae sua sunt deferentes ad monasterium, tamen diffidentes de communi provisione, nolunt totum ponere in communi, sed propter senectutem vel infirmitatem, vel aliam necessitatem, aliquam partem sibi reservari procurant, vel aliquando (3) totum, in hoc pejores Anania et Saphira, qui solum partem reservaverunt. *Act. 5.* Isti saeculum dimittunt, et tamen veri religiosi non

---

(1) Cod. Grat.: solum. — (2) Cod. Grat.: retinere. — (3) Codd. Grat. et Tol.: quandoque.

sunt: immo partim religiosi, partim saeculares; unde cuidam tali qui fuerat senator, Sincletio nomine, sicut habetur in *Vitis Patrum*, dixit Sanctus Basilius: Et senator esse desiisti, et te monachum non fecisti.

Non debent qui hujusmodi sunt sibi facere conscientias quod licentia sufficienter eos excuset. Exemplum in *Vitis Patrum*: Quidam frater sic requisivit senem dicens: Vis ut retineam duos solidos propter infirmitatem? Ed videns senex cogitationem ejus quod vellet retinere, dixit: Retine. Et ingressus frater cellam coepit colluctari cum cogitationibus dicens: Putas bene dixit tibi senex, an non? Exurgens autem reversus est ad senem dicens: Propter Deum, dic mihi veritatem, quia conturbor propter illos duos solidos. Dicit si senex: Quia vidi te habere voluntatem tenendi eos, dixi tibi ut teneres. Verumtamen non est bonum plus tenere quam necesse est corpori. Duo ergo solidi sunt spes tua? Et si contingit quod pereant? Numquid non Deus cogitat de nobis? Jacta igitur cogitatum tuum in Domino, quoniam ipsi cura est de nobis. Et vide quantum in hoc potest esse periculum coenobitae, si fuit periculum anachoretae!

Attendendum est etiam quod Dominus interdum indignatur contra tales, et quia minus de eo confidunt, relinquit eos sibi, nec cogitat de eis in suis necessitatibus quousque poeniteant. Exemplum in *eodem* libro: Fuit quidam hortulanus qui omnem laborem suum praeter necessitates expendebat in eleemosynas. Subiit autem cogitatio in cor ejus ut aliqua congregaret propter necessitatem infirmitatum (1) in senectute, et congregavit lagenam plenam de nummis. Contigit autem eum infirmari, et putrefieri pedem ejus. Et cum non posset curari, assignata est dies a medico ut pes ejus scinderetur, ne totus putresceret. (2) Et ecce nocte praecedenti reversus ad cor coepit cum fletu Dominum rogare dicens: Domine memor esto operum meorum priorum. Et ecce angelus apparuit ei dicens: Et ubi sunt illi denarii quos collegisti? Et ubi spes tua, de qua tractasti? Quod ille intelligens, petebat veniam, promittens se de caetero talia non facturum. Et tunc angelus tetigit pedem ejus, et sanatus est. Cum autem summo mane

(1) Cod. Grat.: in infirmitate. — (2) Cod. Sp.: putrefieret.

ivisset ad opus more solito, veniens medicus cum ferramentis, et inveniens eum sanum, glorificavit Deum.

Non fuit talis quidam senex leprosus, de quo legitur in *Vitis Patrum* quod cum quidam obtulisset ei pecuniam ut propter infirmitatem et senectutem eam servaret, noluit accipere eam dicens: Ecce LX annos habeo in infirmitate mea, et nunquam mihi aliquid defuit, Domino mihi semper providente, et tu post tot annos venisti auferre mihi procuratorem meum?

Alii reperiuntur qui licet bona quae habuerunt in saeculo monasterio communicent, tamen faciunt hoc ex necessitate potius quam bona voluntate. Isti, sicut dicitur in vulgari, Et ovum et obolum (1) amittunt, hoc est meritum et rem: non enim rebus, sed voluntatibus meremur. Cum ergo aliquis res dat, et animo bono non facit, et res amittit et meritum parvum vel nullum habet. Propter hoc dicit Paulus, *2. Cor. 9:* Non ex tristitia vel necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Propter hoc etiam dixit Tobias, *Tob. 4,* filio suo: Libenter impertiri stude. *Glossa:* Voluntas a Deo pensatur, non dati quantitas.

Ex praedictis ergo patet quod illud quod dicitur: « Qui aliquid habebant in saeculo, libenter velint illud esse commune », dicitur ad exclusionem trium vitiorum: illorum scil. qui saeculari amore adhuc detenti plus diligunt sua carnalibus amicis quam fratribus suis spiritualibus dare; et illorum qui diffidentes de communi provisione sibi aliquid reservari procurant; et illorum qui etsi sua communicent realiter, tamen non libenter. Et in hiis casibus (2) intelligitur verbum praedictum. Et licet posset excogitari casus aliquis vel multi in quibus verbum praedictum non habeat veritatem, nihilominus tamen bene dictum est, quia praecepta affirmativa non obligant ad semper, nec in omni casu.

XXVII. De illis qui nolunt scripta communicare.

Cogitandum autem est quantum tenemur communicare res in religione nobis concessas, si tantum tenemur communicare res olim nostras, utpote sotulares, cappam, coopertoria, et hujusmodi et specialiter scripta. Et ideo quae-

(1) Cod. Grat.: perdunt. — (2) Cod. Grat.: in talibus.

ritur de fratre qui non vult res hujusmodi et scripta specialiter communicare aliis, utrum peccet et quantum, et qualiter peccet. Respondeo: Frater de quo quaeritur, aut habet praeceptum tradendi scripta hujusmodi, aut non. Si sic, peccat mortaliter nisi tradat; si non, aut est ei licitum, utpote quia habet potentiam tradendi, vel est consuetudo quod etiam sine licentia tradi possunt, aut non. Si non, non peccat in aliquo; si autem est ei licitum, aut alter indiget, aut non. Si non, in nullo peccat non tradendo ei; si autem alter indiget, aut ipse etiam indiget, aut non. Si non indiget, neque quoad presens, neque in antea, (1) tunc judicandum est de illo sicut de illo qui pecuniam domini sui ligavit in sudario, *Luc. 19;* et potest peccare mortaliter vel non mortaliter, et plus vel minus, secundum intentionem dilectionis inordinatae quam habet ad hujusmodi scripta, et secundum quantitatem fructus qui inde fieret per alium de hujusmodi scriptis, quem impedit, hujusmodi scripta injuste detinendo. Si vero indiget sicut alter, aut indiget plus, vel aeque, vel minus. Si plus vel aeque, non peccat non tradendo, quia non plus tenetur alii (2) quam sibi; si vero minus, tunc tam parva posset esse indigentia istius, et tam magna alterius quod peccaret non tradendo; et e converso tam parum posset excedere indigentia alterius indigentiam istius, quod non peccaret non tradendo. Et circa hoc docet unctio. Si vero non indiget ad presens, sed in antea sunt sibi necessaria, tunc attendendum est utrum per traditionem talem privetur illis tempore necessitatis. Si non, tunc judicandum est sicut supra dictum est de illo qui pecuniam tenuit ligatam in sudario; si sic, tunc distinguendum est ut supra, quando uterque indiget.

Notandum autem quod quidam retrahuntur ab hujusmodi mutuatione quia nolunt quod sciatur quod illud quod interdum dicunt sumant de scriptis, sed quod eorum ingenio attribuatur, et hoc vanitas est. E contra fecit Innocentius magnus. Ipse enim in festo Sanctae Mariae Magdalenae semel praedicans populo, verbo ad verbum exposuit homeliam Gregorii super evangelium illius diei, quodam cle-

---

(1) Qui dicendi modus idem est ac: in futuro. Hinc apud Gallos hodiernos: d'ore-en-avant, dorénavant; apud Italos; d'ora inanzi. — (2) Cod. Grat.: aliis.

rico tenente librum juxta se et dicente sibi in latino, quod ipse exponebat in vulgari. Et cum sermonem finisset (1), et quaesitum ab eo fuisset quare sic fecisset, cum tamen copiosus esset in aliis dicendis si voluisset, respondit dicens: Ut discant exemplo meo superbi non verecundari, si praedicant quod in scriptis aliorum inveniunt.

Alii vero quia sibi solis volunt esse nota quae in scriptis suis habent, et hoc invidiae genus est tabescentis. Contra quod dicitur *Sap. 6:* Ponam in lucem scientiam, et non praeteribo veritatem, neque cum invidia tabescente iter habebo.

Alii vero ex tenacitate avaritiae. Quamvis enim nihil faciant de scriptis, tamen adeo diligunt libros quod abscondunt eos et reponunt eos, sicut corvus denarios de quibus nihil facit. Sed utinam attenderint quod dicitur *Matth. 25*, de servo qui abscondit talentum domini sui, quod in tenebras exteriores ejiceretur!

Alii vero quia timent deturpationem vel deteriorationem librorum, et praeponunt hujusmodi damnum utilitati spirituali majori, et hoc defectus charitatis est. Si enim debemus pro fratribus animas ponere, secundum verbum Joannis, 1 *Joan. 3*, quantò magis libros exponere? Unde in *Libro Collat.* dixit senex: Tertius gradus amicitiae est ut omnia necessaria et utilia bono charitatis et pacis postponas. (2)

Alii vero quia sibi interdum ab aliis negantur, et hoc vitium talionis est, contra illud, 1 *Petri 3:* Non reddentes malum pro malo.

Alii vero libenter et liberaliter communicant, interdum timentes non vitium solum, sed etiam notam proprietatis incurrere, juxta illud, *Thess. 5:* Ab omni specie mala abstinete vos; interdum praecaventes turbationem fraternam inducere in domo, quae frequenter nascitur cum hujusmodi non communicantur, juxta illud, *Prov. 15:* Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam; interdum humiliter cogitantes quod fructus major fiat per alios de scriptis hujusmodi quam per se, vel quod sic duplex fructus fiat per se et per alios, quam infelix et quam abominandus est qui non sustinet

(1) Cod. Tol.: post sermonem. — (2) Cod. Tol.: postponamus.

quod eliciatur nisi unicus fructus de re de qua potest duplex elici, praecipue cum in hoc clarificetur Pater ut fructum plurimum afferamus, sicut dicitur *Joan. 15*; quandoque cupientes sibi merita accumulare, et desiderantes (1) quod ex hujusmodi traditione acquiratur meritum: si enim traditio potus aquae frigidae refrigerantis corpus non est sine mercede, sicut dicitur *Matth. 10*, quanto magis traditio scripturae refrigerantis animam majorem mercedem habet? quandoque sperantes se recepturos inde beneficium scientiae ab illo qui dicit: Date et dabitur vobis, *Luc. 6*, dum ipsi aliis libenter communicant scientiam suam. Quo circa Bernardo reservanti sibi quiddam quod alio tempore diceret fratribus, dictum est: Quamdiu istud servabis, aliud non dabitur tibi. Porro de mutuandis libris videtur exemplum dedisse Paulus qui Carpo discipulo suos reliquit libros, sicut dicitur 2 *Tim. 4*. Non enim est discredendum quin illos reliquerit illi ad utendum illis.

Sequitur: **Qui autem non habebant, non ea quaerant in monasterio quae nec foris habere potuerunt.**

XXVIII. Contra illos qui quaerunt in religione quod in saeculo habere non potuerunt.

Hic ponitur mandatum circa voluntatem improbam plus habendi, quod est vitium secundum circa vitia primaria (2) quae oriuntur circa communitatem, ut dictum est supra.

Sed quaeritur circa hoc: Numquid non licet illi qui fuit adeo pauper quod non habebat necessaria, quaerere in monasterio necessaria ab illo qui habet ministrare illa? Constat quod sic. Ergo videtur quod istud mandatum sit irrationabile. Respondeo: Quidam inveniuntur (3) qui de paupertate venientes quaerunt in religione abundantiam. Hieronymus *ad Heliod. episc.*: Ditiores sunt monachi quam fuerunt saeculares.

Alii non solum abundantiam, sed etiam delicata quaerunt, unde idem *ad Nepot.* in persona talium loquens dicit: Natus in paupere

---

(1) Cod. Grat.: cumulare et considerantes.... — (2) Cod. Sp.: principalia. — (3) Codd. Grat. et Tol.: reperiuntur.

domo et (1) tugurio rusticano, qui vix milio et cibario (2) pane ventrem rugientem (3) satiare poteram, nunc similam et mella fastidio.

Alii vero non solum haec quaerunt, sed et honores, ut impleatur ternarius infelix pertinens ad divitias, delitias et superbiam vitae. Bernardus super Evangelio *Missus est*, in illo verbo: Ecce ancilla Domini, fiat mihi etc: Plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerant; ibique volunt honorabiles videri, ubi honores ab omnibus contemnuntur. Magna abusio ut in loco paupertatis ubi divites incurrunt penuriam, pauperes quaerant abundantiam; in loco afflictionis, ubi delicati mortificantur, homines rusticani quaerant delitias; in loco ubi viri honorati eligunt abjici, ibi abjecti quaerant honorari! Sed major abusio quod interdum qui hujusmodi sunt, cum prius de labore viverent, ibi volunt otiosam vitam ducere ubi quondam (4) otiosi fiunt laboriosi, contra interdictum Apostoli dicentis, 2 *Thess. 3*: Qui non vult operari non manducet.

Item, interdum tantam curam habent de medicinalibus, ut ubi alii venerunt vitam perdere, juxta consilium Salvatoris, *Matth. 10*, ibi juxta consilium Hippocratis videantur venisse salvare.

Item, interdum ubi quondam nominati veniunt abscondi, ut sit eorum vita cum Christo abscondita in Deo, *Coloss. 3*, ibi ipsi prius incogniti volunt sibi nomen adquirere. Bernardus in homelia super *Missus est*: Qui antea in suo oppido et vico vix cogniti fuerunt, modo circumeuntes provincias, et curias frequentantes, regum notitias et principum familiaritates assecuti sunt. Quale autem, quaeso, est quod a pauperibus in tali loco talia quaerantur, in quo a divitibus contraria affectantur? Isti sunt qui plus habere volunt in deserto quam habuerunt in Ægypto; in quo se pejores ostendunt illo populo qui despexit (5) manna in deserto, et sufficiebat ei posse habere vilia

---

(1) Cod. Sp.: vel. — (2) Ita cod. Grat.; caeteri: cribrario; sed perperam. — (3) Cod. Tol.: mugientem. — (4) Cod. Sp.: quidam. — (5) Cod. Grat.: respuit.

quae habuerat in Ægypto. *Numer. 11.*: In mentem veniunt nobis cucumeres, pepones, porrique et caepae et allia (1). Istud est quod non solum nocet animabus, sed et corporibus. Frequenter enim probatum est quod vita laboriosa aspera et consueta salubrior est homini quam delicata et inconsueta, unde medicina mittit in tali casu ad consueta. Unde legitur in *Vitis Patrum* quod quidam monachus romanus venit in Sciti, et cum stetisset ibi xxv annis factus est magnae famae. Venit ergo ad eum quidam monachus aegyptius, et cum laete (2) recepisset eum, et tractasset charitative, ipse eum videns laxiorem vitam ducere quam esset moris in Ægypto, recedebat scandalizatus in eo. Quod cum ille advertisset, fecit eum revocari, et cum rediisset iterum recepit eum cum gaudio, et volens sanare eum interrogavit eum: Ex qua provincia es tu? Et ille dixit: Ægyptius sum. Et dixit ei: Cujus civitatis? Et ille: Ego non sum de civitate, nec unquam habitavi in ea. Et dixit ei senex: Antequam esses monachus, quid operabaris? Et ille: Custos eram agrorum. Et dixit ei: Ubi dormiebas? At ille respondit: In agro. Et senex: Quomodo vivebas? At ille: Manducabam panem siccum, et, si inveniebam, quodcumque de salsamentis, et bibebam aquam. Et senex: Erat tibi balneum in possessione tua? At ille: Non! Sed in flumine lavabar. Cum ergo haec omnia exegisset ab eo senex, volens eum perficere, narravit ei vitam suam dicens: Ego miser quem vides de civitate illa magna romana sum, et habui in palatio locum magnum apud imperatores. Reliqui ergo Romam et veni in solitudinem. Habui domos multas, et contemnens illas veni in cellam istam. Habui lectos multos ex auro vestitos, habentes pretiosissima stramenta, et pro illis dedit mihi Dominus hoc stratum de virgis compositum, et hanc pellem quam vides. Sed et vestes meae erant magni pretii, et pro illis utor hiis vilibus. In prandio meo multum auri expendebatur, et pro illo dedit mihi Dominus modica olera, et parvulum calicem vini. Erant qui mihi serviebant plurimi, et pro illis inspiravit Dominus isti famulo quem vides ut serviat mihi. Pro balneo autem profundor modica aqua ad pedes

(1) Cod. Grat.: similia. — (2) Cod. Tol.: laute.

meos; et caliculis utor propter infirmitatem meam. Pro cithara autem vel alio opere musico quo delectabar in conviviis, dico mihi XII psalmos in die, et XII similiter in nocte. Sed et pro peccatis meis quae faciebam antea, modo cum requie exhibeo parvulum ministerium Deo: unde rogo te, abba, ut non sis in me scandalizatus. Hoc audiens Ægyptius ille, compunctus et in se reversus dixit: Vae mihi quia ego de multa tribulatione et plurimo labore saeculi magis ad repausandum veni, et quod non habebam tunc, modo habeo! Tu autem ex multa delectatione saeculi propria voluntate venisti in tribulationem multam, et a multa gloria discessisti. Et factus est ei amicus deinceps. Ad hujusmodi igitur exemplum qui pauperes in saeculo fuerunt, cum inveniunt majora in monasterio quam habuissent in saeculo, debent super se gemere, nec illa querere, et ideo rationabiliter mandat sanctus Augustinus dicens: « Qui autem non habebant » etc. scil. aliquid; et intelligitur de praeternecessariis, secundum quod in praecedenti mandato, per « aliquid » intelliguntur divitiae aliquae praeter necessitatem. Ista autem constat quod non sunt quaerenda, et sic patet responsio ad quaestionem.

Potest etiam aliter dici si intelligatur etiam de necessariis, ut sit sensus: « Non ea querant », id est: non principaliter intendant, id est non ad hoc principaliter sint in monasterio ut ista ibi habeant. Et hoc est contra illos qui ad hoc intrant vel sunt in religione ut habeant ibi necessaria vitae vel alia terrena.

Isti sunt socii eorum qui sequebanter Dominum non propter virtutes, sed propter panes de quibus eos satiabat. *Joh. 6.*

Item, eorum insuper sunt imitatores qui ventrem suum fecerunt Deum suum, de quibus loquitur Apostolus ad *Philipp. 3.* Quomodo enim non fecerunt ventrem suum Deum suum, qui omne servitium quod alii faciunt Deo vero, ipsi faciunt propter ventrem? Non sunt isti discipuli Christi spiritualia sectantes, sed Moysi qui terrena sectabatur, de quibus habetur, *Joh. 6.* Isti sunt quibus diabolus eruit dexteros oculos, i. e. spiritualem intentionem, et sic facti sunt inepti ad bellum. De facili succumbunt in omni bello spirituali; de quorum figura habetur I *Reg. 11.* Isti in minera religionis in qua ab aliis quaeritur et invenitur aurum optimum pretiosarum virtutum, quaerunt

plumbum, scil. utilitatem terrenorum, illo (1) contenti. In quo tanto apparent infeliciores quanto secundum quaerendo nihil inveniunt, sed primum quaerendo utrumque invenirent, juxta illud, *Luc. 12:* Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. Isti sunt sicut animalia bruta quae habent caput ad terram, scil. intentionem ad terrena, in hoc contrarii figurae humanae, et verbo Pauli dicentis, *Col. 3:* Quae sursum sunt sapite, quae sursum sunt quaerite. Et sacerdoti dicenti in missa: Sursum corda, quotidie mentiuntur respondentes: Habemus ad Dominum. Isti nolunt (2) piscari nisi in sinistra navigii, et ideo nihil capiunt, nisi sola temporalia, quae nihil reputantur. Contra quod dicitur, *Joh. 21:* Mittite in dexteram navigii et invenietis, scil. aliquid quod valeat. Isti in ingressu domus Domini ponunt sinistrum pedem, cujus contrarium est faciendum: unde Sapiens circa hoc reddit cautum dicens, *Eccle. 4:* Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini, ut, scil. videas quem primo ponas. Vae enim illi qui in ecclesia Dei quacumque primo ponit pedem sinistrum, habens primam intentionem ad terrena! Isti sunt sicut aliqui percussi plaga divina: habent faciem praeposteratam, habentes intuitum faciei ad ea que retro sunt et non ante, scil. ad aeterna, juxta illud prophetae, *Jerem. 7*: Facti sunt in retro et non in ante. Isti sunt similes viris quos vidit Ezechiel habentes dorsum ad templum, sicut dicitur *ejusd. 8.* Non enim curant de eis quae ad templum pertinent, sed solum de cura carnis. Isti propter pravam intentionem depravant quidquid faciunt in religione, quod alias esset bonum, quia cujus finis malus est, ipsum quoque malum est. *Matth. 6:* Si oculus tuus, scil. intentio tua, fuerit nequam, totum corpus tuum, scil. congeries operum tuorum, tenebrosum erit. Non vult Dominus habere tales discipulos, et ideo quemdam volentem eum sequi propter lucrum temporale, et dicentem: Magister sequar te quocumque ieris, repulit dicens: Vulpes foveas habent, etc. *Matth. 8.*

Quia ergo tot inconvenentia sequuntur cum primo quaerit terrena quis (3) in religione, juste interdicit hoc Augustinus illis qui

---

(1) Cod. Grat.: illa. — (2) Codd. Vien. et Grat.: non noverunt. — (3) Cod. Sp.: sequuntur eum qui primo quaerit terrena in religione.

fuerunt pauperes, secundum istam expositionem secundam; et ideo etiam ingredientibus in religionem exponuntur et proponuntur asperitates, ne forte quis velit contraria quaerere. (1)

Potest tamen et aliter tertio modo exponi, ut sit sensus: « non ea quaerant », id est querulose non petant. Et hoc est contra quosdam qui quamvis in saeculo fuerint pauperes, tamen magis querulosi reperiuntur in claustro interdum quam illi qui fuerunt in saeculo divites, et frequentius interdum murmurant qui minores personae fuerunt quam qui magnae. Exemplum hujus invenitur in Veteri Testamento. Quamvis enim quidam magni murmuraverint in deserto contra Moysen et Deum, ut Maria, *Num. 12,* et Dathan et Abiron, *ejusdem* 16, et Core, *eodem*: non tamen super defectu necessariorum, sed ex aliis causis; populares vero et minores super hoc murmurasse leguntur. *Num. 11*: Coepit populum taedere itineris et laboris, locutusque contra Dominum et Moysen, ait: Cur eduxisti nos ut moreremur in solitudine? Deest panis, aquae non sunt. Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. Nota quod dicit: populum, per quem intelliguntur minores.

Isti autem minores et viliores non solum murmurant, sed etiam alios trahunt secum ad murmurandum. *Ejusd. 11:* Vulgus promiscuum quod ascenderat cum eis flagravit desiderio carnium, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israel, et ait: Quis dabit nobis carnes ad manducandum? Et attende quod murmurabant isti super eo quod in Ægypto non dicunt se habuisse pretiosa, sed vilia. Cum enim petant carnes, tamen non dicunt eas in Ægypto habuisse, sed solum pisces et quaedam alia viliora, unde sequitur immediate: Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto. In mentem veniunt nobis cucumeres et pepones porrique et allia. O murmur odibile! Qui tam vilia comedebant in Ægypto, in deserto murmurant pro carnibus, non contenti manna!

Utinam eorum similes attendant quantam tale murmur iram Dei concitaverit contra eos! Propter hoc enim misit in eos ignem qui devoravit extremam partem castrorum, *Num. 11.* Propter hoc

(1) Cod. Grat.: quis.... quaereret.

enim misit in eos serpentes ignitos qui plurimos interfecerunt. *Ejusd. 21.* Plures quoque fuissent in utraque plaga perempti, nisi Moyses suis precibus plagas cessare fecisset, sicut patet in *eisdem capitulis.*

Qui hujusmodi sunt longe sunt a religione, unde abbas Pastor in *Vitis Patrum:* Qui querulosus est monachus non est.

Quomodo ergo bene abrenuntiavit omnibus qui pro defectu rerum murmurat? Quomodo carnem suam mortificare intendit qui defectum necessariorum sustinere non potest? Quomodo suam voluntatem reliquit cui alterius gubernatio non sufficit?

Hiis igitur consideratis patet quod meritò illis qui fuerunt pauperes interdicitur etiam necessariorum petitio querulosa. Licet autem hujusmodi petitio querulosa eis interdicatur, tamen charitative providendum est eis, quantumcumque fuerint in saeculo pauperes. Et ideo ne quis credat hoc non fiendum, ponitur circa hoc mandatum cum dicitur: **Sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiamsi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire.**

Consuetudo laudabilis est ubicumque viget sancta religio quod nulli magna cura sit sui, sed paterna cura de filiis, et fraterna charitas de fratribus cogitet ita sollicite quod etiam ipsis tacentibus advertat et inquirat de ipsorum necessitatibus, et pie subveniat eis. Et habetur ad hoc argumentum de isto et de praecedenti mandato, in quorum altero querulosa petitio interdicitur, in alio vero charitativa provisio imponitur.

Item, argumentum est hic quod propter murmur non est quis puniendus in subtractione necessariorum, eo quod dicitur: « sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur »; quod intelligitur sic: quamvis supradicto modo murmuraverint.

Notandum tamen est quod stricte subveniendum est eis et parce. Non enim dicitur (1) quod eorum cupiditati, sed eorum « infir-

---

(1) Cod Vien.: dicit.

mitati »; non quod superflum, sed solum « quod opus est tribuatur. »

XXIX. Contra illos qui non sufficienter illis qui fuerunt in saeculo pauperes provident.

Porro nulli debet deesse religio, sed communiter non illis solùm qui in saeculo divites fuerunt, sed etiam illis qui fuerunt pauperes debent necessaria ministrari in victu et vestitu, in medicinalibus et aliis quibuscumque. Aliter enim facientibus timendum est valde de periculo acceptionis personarum. *Jac. 11:* Si introierit in conventu vestro vir annulum habens aureum in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste praeclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, ac sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vos metipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum i. e. inique judicatis in cogitationibus vestris, divites praeferendo pauperibus, quod est acceptio personarum?

Item, cum ministratur divitibus potest esse aliqua (1) causa humana movens, quae non habet meritum apud Deum; in ministrando autem pauperibus, de facili non est causa nisi solus Deus; propter quod dicitur, *Matth. 25:* Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quare ideo mihi hoc (2) factum reputo? Quia talis facti ego solus fui causa movens. In tali ergo ministratione certius est meritum quam in illa quae fit divitibus.

Item, constat secundum sanctos et jura quod bona ecclesiarum sunt bona pauperum: ergo iste religiosus qui fuit in saeculo pauper, si esset adhuc in saeculo, deberet esse particeps in sua necessitate bonorum ecclesiae hujusmodi. Quanta ergo crudelitas et quantum sacrilegium reputari debet, si nunc, quando de paupertate necessaria transit ad voluntariam, de saeculari statu ad religiosum, de extraneo ad domesticum, ei subtrahitur quod etiam antea debebatur, praecipue cum ei nunc tanto amplius debeat provideri de annona Christi quanto plus laborat in servitio Christi, juxta illud, *Matth. 10:* Dignus est operarius cibo suo; et illud Apostoli, in 1 *Cor. 9*: Qui altari deservit de altari vivat.

---

(1) Cod. Sp.: alia. — (2) Cod. Vien.: Quare? Mihi ideo hoc.... quia....

Item, ex defectu talis provisionis datur minoribus occasio murmurandi contra majores, judicandi alios, fastidiendi statum suum, concipiendi multas malas conceptiones, vivendi in tristitia et in silentio amaro. Quid autem aliud est hoc quam scandalizare minores? Sed quid dicit Evangelium, *Matth. 18?* Qui scandalizaverit, inquit, unum de istis pusillis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Propter hoc reddit nos cautos Dominus, et dicit, *ibidem:* Videte ne contemnatis unum ex hiis pusillis. Contemnitur autem proculdubio, quando non subvenitur ei in sua necessitate sicut majori.

Item, cum in religione aliqua pauper contemnitur et diviti providetur, fit talis religio similis mundo; unde *Glossa* super illo *Jac. 2:* Si introierit in conventu vestro etc., dicit: Mundus pauperem abjicit, divitem colit. E contra fides Christi esse docet. Numquid non magis tenenda est fidei doctrina quam imago mundi assumenda, praecipue cum dicat Apostolus, *Rom. 12:* Nolite conformari huic saeculo?

Item, legitur quod cum quidam diceret coram quodam philosopho de quodam paupere et alio divite quod amici essent, intulit ille philosophus dicens: Quomodo ergo unus pauper est et alius dives? Amicus non est qui fortunae particeps non est. Similiter dicitur quidam dixisse de quibusdam religiosis quorum aliis ministrabatur lautius quam aliis: Fratres, inquit, sunt, sed scutellae sorores non sunt. Quomodo ergo vera (1) fraternitas et fraterna dilectio poterit judicari ubi alius esurit, alius ebrius est, et non communiter omnibus maximè in necessariis providetur?

Item, dicitur quod cum Saladinus soldanus magnus comederet semel cum Christianis, et adducti fuissent pauperes, et comederent in terra, et vilius quàm alii tractarentur, et ipse inquisitione facta super hoc, intellexisset quod erant pauperes quibus propter Deum dabatur ad comedendum, scandalizatus in hoc dixit quod non viderat inter Christianos quod ita displiceret ei sicut istud, quod pauperes Dei sui ita viliter tractabant. Quis ergo dubitat quin cedat in magnam in-

(1) Codd. Vien. et Grat.: mera.

famiam religionis, et scandalum etiam saecularium, cum auditur quod minores male tractantur? Et sic multi non solum ab ingressu religionis, sed etiam a devotione ad eam retrahuntur, et elongantur ab ea. Unde, *Baruch. 4*, dicit Jerusalem, quae est figura religionis: A multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege Dei. Quae est enim lex Dei nisi fraterna charitas, quae mandat curam haberi (1) de quolibet proximo, quam derelinquunt indubitanter pauperes et minores contemnentes?

Igitur in omni religione providendum est illis qui de paupertate venerunt et minoribus charitative, ut periculum acceptionis personarum evitetur, ut certius meritum habeatur, ut quod suum est eis reddatur, ut occasio scandali submoveatur, ne religio mundo assimiletur, ut fraternitas vera (2) in ea reperiatur, (3) et ne pauperes qui frequenter in religione multum proficiunt, ab ingressu religionis retrahantur.

Verum quia abundantia necessariorum frequenter talibus est occasio mali, ad cavendum hujusmodi malum subditur: **Non tamen ideo putent se esse felices quia invenerunt victum et tegumentum quale foris invenire non potuerunt.**

Traditis mandatis circa (4) vitia primaria quae oriuntur circa communitatem, hic incipit ponere mandata circa vitia secundaria, quae sunt (5) ad superbiam pertinentia. Horum autem quaedam reperiuntur in hiis qui fuerunt in saeculo pauperes, alia vero in hiis qui fuerunt divites; de quibus ibi: « Rursus etiam illi, » etc.

Quia vero superbia in paupere detestabilior est, juxta illud *Eccli. 25:* Tres species odivit anima mea; quarum una est pauper superbus, ideo primo prosequitur de hujusmodi superbiae destructione, determinans circa hoc tria: primo enim ponit mandata ad destruendum quod malum est; secundo ad informandum circa hoc quod bonum est dicens: « sed sursum cor », etc.; tertio reddit horum causam, dicens: « ne incipiant monasteria ».

---

(1) Cod. Sp.: habere. — (2) Cod. Vien.: mera. — (3) Codd. Sp. et Grat.: in eis inveniatur. — (4) Cod. Sp.: contra. — (5) Cod. Vien.: et sunt.

Porro solet interdum oriri quaedam extollentia in hujusmodi pauperibus ratione rerum quas invenerunt abunde : rerum enim affluentiam solet sequi extollentia, propter quod dicit Apostolus, 1 *Tim. ult.* : Divitibus hujus saeculi praecipe non sublime (1) sapere. Quandoque ratione societatis gloriosae, juxta illud, *Eccli. 13*, secundum unam expositionem : Pondus superbiae super se tollit qui honestiori se communicat. Ad destructionem ergo utriusque ponit mandatum duplex: primum cum dicit: « Non tamen », etc.; secundum cum dicit: « Nec erigant » etc.

XXX. Contra illos qui quaerunt prospera in religione.

Circa primum vero notandum est quod aliqui reperiuntur qui licet ad religionem ab initio venerint animo sustinendi penuriam, animo mortificandi carnem, animo assequendi abjectionem, tamen lapsu temporis mutati in virum alterum, sed non in virtute dexterae Excelsi, quia, cum invenerunt in ea rerum copiam, carnis delectabilia, honoris gloriam, sic illecebrantur (2) tali prosperitate quod primae charitatis obliti, ea omninò refugiunt quae primò quaesierunt, et contraria totis viribus amplectuntur. (3) Hinc est quod conventus in quibus occurrunt adversa horrent et fugiunt, ad illos vero in quibus prospera inveniuntur suspirant (4), et ab illis avelli non possunt, mutationes de locis prosperitatis ad contraria sustinere non possunt pro utilitate animarum, vel necessitate ordinis quacumque, (5) contraria vero procurantes pro posse, cum in hiis contra voluntatem eorum fit aliquid, inveniuntur minus obedientes, incurrunt murmura et perversa judicia, suos syndicos (6) judicantes, et alia mala quammulta.

Cumque in conventibus sua desideria assequi non possunt, discurrunt exterius, transeunt libenter ad standum in curiis, et cum oportunitas occurrerit, facile recipiunt dignitates propter miserae carnis curam, proh dolor! infelicitatem reputantes inopem et poenosam et abjectam semper ducere vitam. Sed, heu! quam longe recesserunt

---

(1) Codd. Sp. Vien. et Tol.: altum. — (2) Cod. Grat.: tenebrantur. Codd. Vien. et Sp.: illecebrantur cum prosperitate. — (3) Cod. Vien.: amplexantur. — (4) Cod. Vien.; aspirant. — (5) Cod. Sp.: quantumcumque. — (6) Codd. Sp. Vien. Tol. Il.: judices.

isti, non solum a sapientia sanctorum, sed etiam sapientium hujus mundi! Non sunt isti de opinione philosophorum illorum qui dixerunt summum bonum paupertatem, sed potius de errore opinionis illius reprobatissimae quae (1) felicitatem posuit prosperitatem successuum, sicut tangit Philosophus in 1 *Ethicorum*.

Non sic fecerunt sancti Patres de quorum multis legitur in *Vitis* eorum quod ipsi, fugientes honores sibi exibibitos et alia prospera in locis suis, se ad alia transferebant in quibus hiis carerent, renuentes cum propheta David hujusmodi consolationes habere.

Non sic fecit Pater noster beatus Dominicus qui libentius morabatur (2) Carcassonae quam Tholosae, propter hoc quod plures ibidem sustinebat persecutiones.

Non sic denique faciunt qui veram participant (3) sanctitatem. Non enim gaudent in prosperis, sed terrentur; unde Gregorius: Sancti viri plus prospera quam adversa formidant. Nec mirum! Plures enim pereunt in prosperis quam in adversis. *Ps. 90.*: Cadent a latere tuo mille, scil. sinistro adversitatis; et decem millia a dextris tuis, scil. prosperitatis. Quid autem mirum, cum amatores vitae praesentis formident et fugiant (4) loca in quibus plures moriuntur, si sancti amatores propriae salutis formidant prospera?

Item, super illo verbo *Jacob. 1.*: Omne gaudium existimate fratres, etc. dicit *Glossa*: Mali nihil habent in coelo, boni autem nihil in hoc mundo: ergo pars malorum est prosperitas in hoc mundo; ergo non est signum in bonum, scil. electionis, sed potius in malum, scil reprobationis, prosperitas temporalis. Quae confirmat Gregorius dicens: Continuus successus temporalium aeternae reprobationis est indicium. Quomodo (5) igitur potest gaudere vir sanctus sollicitus de salute, quando videt in se ista signa! Ideo petebat contrarium David dicens: Fac mecum signum in bonum.

Item, *Gen. 48.*, legitur quod Jacob cancellavit manus in benedic-

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: de opinione erroris reprobatissimi, qui..... Cod. Vien.:.... erroris istius.... — (2) Codd. Sp. et Vien.: mansit. — (3) Codd. Tol. et Sp.: quicumque veram percipiunt. — (4) Cod. Vien.: formidant et fugiunt. — (5) Cod. Sp.: Quantum.

tione filiorum Joseph, super illum quem invenit ad sinistram ponens dexteram, et e converso. Quod dicunt sancti esse in figuram benedictionis futurae Christi in die novissimo, qui super illos quos inveniet ad sinistram adversitatum ponet dexteram felicitatis aeternae, et super illos quos inveniet ad dexteram prosperitatum, ponet sinistram infelicitatis perpetuae, sicut patet in divite et paupere Lazaro, de quibus dixit Abraham: Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc vero hic consolatur, tu vero cruciaris. *Luc. 16:* Quis ergo sane sentiens non timeat inveniri in dextera hujus mundi?

Item, cum quis venit ad hospitium alterius in sero, et comedit in mane splendide, non solet ei parari coena magna. (1) Timere ergo debent proculdubio qui hic nimis implentur, ne parvam coenam habeant in fine. Et ideo dicitur, *Luc. 6:* Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis, parvam scil. vel nullam coenam habendo in fine!

Item, nonne inveniuntur aliqui operarii, quibus laute volentibus vivere (2) in die mutuat pater familias super mercede, et tanto minus recipiunt in sero de mercede quanto plus receperunt in labore? Timendum ergo est illis qui multum habere volunt dum adhuc sunt in labore ne parum inveniant in mercede, et dicatur illi qui talis est illud verbum, *Luc. 16:* Recepisti mercedem tuam; totam scil. vel, in parte.

Item, dicit Gregorius in *Pastorali*: Qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur, ut videlicet sic quae nobis suppetunt exterius serviant, quatenus a supernae dilectionis studio animum non inflectant.

Item, admonendi sunt qui temporaliter prosperantur ne cum cuncta ad votum suppetunt, dantem quaerere negligant, si in hiis quae dantur animum figant. Quis autem habens hujusmodi (3) prospera gloriari potest quod in hiis animum non figat, quod eorum occasione a superna delectatione non retrahatur? Quis igitur ille est qui hiis utatur ut debet? Quantum igitur timenda est a servis Dei eorum abundantia qua ita difficile est bene uti!

Ideo ex pietate subtrahit providentia divina ista electis, ne per

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: major. — (2) Cod. Grat.: concedere. — (3) Codd. Vien. et Sp.: hic.

abusum in malum eis convertantur. Gregorius: Electis suis Deus iter asperum facit, ne dum detinentur in via, obliviscantur eorum quae sunt in patria. Quot enim sunt quibus ista prospera averterunt cor a coelestibus ad se!

Item, adversitates multos erudiunt, sed prosperitates infinitos decipiunt. In eis enim latet hamus sub esca, unde dicitur in propheta *Habac. 1*: Totum in hamo sublevavit. Quis ergo sapiens debet amplexari prospera, et non potius formidare? Ideo dicit Gregorius: Cum omnis fortuna timenda sit, magis timenda est prospera quam adversa. Illa enim saeviendo erudit, ista blandiendo seducit.

XXXI. Quod magis periculosa sit prosperitas illis qui fuerunt pauperes.

Licet autem omnibus servis Dei sit timenda prosperitas, ut patet ex praemissis, magis tamen illis qui de paupertate venerunt. Mutationes enim ad contraria morbos facile generant; sic et in istis, ex quo multa solent oriri peccata.

Isti enim, sicut exeuntes de inedia carceris, et sicut ursus famelicus, plus solent excedere in fruendo prosperis. Inde est quod Salomon cautum reddit, *Prov. 25*, illum qui hujusmundi est, dicens: Mel invenisti, quod scil. ante non habebas, comede quod sufficit tibi.

Isti etiam fortius adhaerentes deliciis, fugiunt et plus exhorrent angustias poenae, tanquam experti miserias, sicut canis exustus semel plus timet aquam calidam. Inde est quod etiam Jeremias, *Jer. 37*, dicitur rogasse regem Sedechiam dicens: Ne reducas me in domum Jonathae, ne moriar ibi. Apud eum enim erat in multa angustia et inedia.

Isti enim solent plus inaniter gloriari cum illis qui dicunt, *Zachar. 11*: Benedictus Dominus: divites facti sumus.

In istis etiam solet ratio (1) plus absorberi a prosperis, sicut aqua facilius absorbet hominem qui non est in aqua nutritus, quam piscem qui continuè fuit ibi. *Gen. 40*: Succedentibus prosperis, oblitus est praepositus pincernarum hominis interpretis sui.

Ista iterum abundantia solet in istis rebellionem inducere. *Deut. 32, in Cant.*: Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastae

(1) Codd. Vien. et Sp.: gratia.

solitudinis; et post: Et constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra; et post: Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.

Facilius ergo qui fuerunt pauperes plus excedunt inventis prosperis, plus adhaerent, plus gloriantur inaniter, plus sopitur in eis ratio, et ideo plus rebellant, et filii Israel plus peccasse leguntur habita abundantia in terra promissionis quam in angustia aegyptiacae servitutis.

Quia ergo in istis tam periculosa est prosperitas vitae, Augustinus ipsis extollentiam de hujusmodi interdicit. Non enim vere debent tales se reputare felices, sed potius infelices, cum eos facile tot mala sequantur in prosperis.

Sequitur: **Nec erigant cervicem quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant.**

XXXII. Contra pauperes qui in religione superbiunt de societate divitum et nobilium.

In Scripturis divinis armatura cervicis sonat in impugnationem, unde *Job. 15* dicitur de impio: Pingui cervice armatus est, scil. adversus Deum. Induratio sonat in rebellionem; *Jer. 19:* Induraverunt cervicem suam, et non audierunt sermones meos. Erectio vero sonat in elationem, ut hic. Unde spiritus (1) elationis reperitur quandoque sedisse in cervice. Exemplum in patribus antiquis cum quidam senex sanctus (2) vacasset diù sibi, facta est ad eum vox ut exiret ad praedicandum. At ille: Domine aufer a me spiritum elationis, ne elevatus super fratres meos cadam ab omnibus bonis tuis. Et vox ad eum: Pone manus tuas ad cervices tuas, et apprehende quod reperies, et conculca sub pedibus tuis. Et fecit sic, et invenit quasi parvulum aethiopem, et conculcavit eum. Et facta est ad eum vox: Vade secure. Et factus est maximus et fructuosus praedicator. Ergo quia spiritus elationis in cervice residet tamquam in alto, recte per cervicis erectionem elatio intelligitur.

Et notandum quod pauperibus utendum est societate divitum et magnorum in bonum. Debent enim ex hoc esse grati, considerantes

---

(1) Cod. Grat.: species. — (2) Cod. Tol.: sanctus Apollonius.

quid fecerit eis Deus, juxta quod dicitur in *Ps. 112:* Quis sicut Dominus Deus noster, etc. Et post: Suscitans de terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus. Et simile habetur *1 Reg. 2*, in cantico Annae.

Item, ex hoc debent moveri ad amorem religionis quae eis contulit quod mundus dare non potuit, sicut et Paulum gratia Christi elevavit, juxta quod dicebat, 1 *Cor. 15:* Ego sum minimus Apostolorum; et post: Gratia autem Dei sum id quod sum.

Item, debent ex hoc elevari in spem futurae societatis. Si enim in statu gratiae ascendunt ad societatem majorum, quanto magis in statu gloriae, ubi omnino nulla erit personarum acceptio. Unde Joannes in 1 *Epistola 1* omnibus indifferenter loquens dicit: Quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo.

Sed, proh dolor! Miseri quidam qui tali societate deberent uti in bonum ad tria praedicta, abutuntur ea ad superbiam. Cum enim fuerint filii pauperum et ignobilium, et quondam egestate et fame steriles, squalentes calamitate et miseria, propriae conditionis obliti, in religione superbe se habentes ad intrinsecos, se aequiparare volunt illis cum quorum canibus fortassis in saeculo poni non possent in victu et vestitu, in recreationibus et in medicinalibus, nec plus eis laborare in servitiis vel, officiis et hujusmodi multis; ad extraneos autem audent attentare multa superbe, quae prius nec cogitare audebant. Et cum nihil sint, se esse aliquid praesumunt coram oculis divinae majestatis Dei nostri, gratiam in vocatione ad societatem talem sibi factam in superbiam transferentes, quae tanto detestabilior est quanto specialius odit Dominus superbiam in paupere, secundum sententiam Salomonis, *Eccli. 25,* praecipue in loco humilitatis et inter humiles perpetratam.

Ideo post mandatum datum ad extollentiae malum destruendum, quod oritur in pauperibus venientibus ad religionem ratione abundantiae rerum, subjungit bene beatus Augustinus mandatum ad destruendum elationis malum, quod oritur in eisdem ratione societatis sublimium personarum.

Quibus positis, ponit informativum circa hoc quod bonum est, docens qualiter circa hoc debent se habere dicens: **Sed sursum cor habeant, et terrena vana non quaerant.**

XXXIII. Quod in affluentia rerum cor elevandum est sursum multis modis.

In abundantia rerum non est apponendum cor, sicut faciunt illi qui ex hiis se reputant felices, juxta illud *Ps. 61:* Divitiae si affluant, nolite cor apponere. Cum enim cor apponitur, capitur homo in illis sicut piscis in hamo. Sunt igitur haec habenda in usu, et non in affectu, et hoc est secundum Apostolum uti mundo tanquam non utendo. Sic fecit (1) Esther regina quae dixit Domino: Nosti quod nunquam laetata sit ancilla tua, ex quo translata sum huc, scil. ad regnum, (2) usque in praesentem diem, nisi in te, Deus Abraham, Deus fortis super omnes. Hujus igitur exemplo (3) in hujusmodi abundantia cor sursum habendum est.

Advertendum est enim unde mittatur, quia a Deo: ipse enim est qui pluit beneficia larga super omnes, et ideo regratiandum est ei, juxta illud: In omnibus gratias agite. 1 *Thess. 5.*

Cogitandum est etiam quanta sit abundantia bonorum illorum quibus illic fruemur, secundum quod dicitur *Prov. 1*, cum tantae sint micae inde cadentes super terram; et ideo illuc suspirandum est. Sic faciebat Bernardus dicens: O civitas coelestis, patria totum continens quod delectat.

Recogitandum est iterum quam pium patrem habemus in coelis a quo est omne datum, qui nobis, licet ex culpa proscriptis, ita abundanter providet in exilio, mittens non solum panem quotidianum petitum, sed tot et tanta. Et ideo debemus verecundari de malitia commissa contra eum cum filio prodigo. Bernardus: Qua fronte audeo extollere oculos meos ad tam pium patrem tam malus filius?

Item, considerandum est quod ista dantur nobis ad utendum, non ad fruendum, et ideo debemus ea dirigere ad Dei gloriam. 1 *Cor. 10:* Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.

---

(1) Cod. Grat.: sicut faciebat. — (2) Cod. Vien.: ad regem. — (3) Codd. Vien. et Sp.: Hujusmodi ergo exemplo....

Item, insuper attendendum (1) est quod cum beneficia obligent, quantum relinquimur obligati illi a quo tot et tanta recipimus incessanter, et ideo debemus esse solliciti de retribuendo cum propheta dicente: Quid retribuam Domino pro omnibus quo retribuit mihi? *Ps. 115.*

Pensandum est quoque quod ista quae mittit nobis sunt quasi jocalia quaedam ad provocandum nos ad amorem suum, et vae illis qui amorem suum quem ad Deum deberent mittere, (2) retinent in illis! Unde Augustinus: Vae illis qui nutus (3) tuos diligunt pro te!

Hoc est ergo in rerum abundantia sursum habere cor, cum sursum gratiae referuntur, cum sursum suspiratur, cum de magnitudine pietatis Patris coelestis super nos recogitatur, cum usus omnium illuc dirigitur, cum sursum tanto benefactori nos obligatos recognoscimus, cum ex hoc ad illius amorem excitamur. Et sic ad locum unde exeunt flumina abundantiae temporalis revertentur, secundum varios modos, ut dicitur *Eccle. 1.* Et hoc est quod dicit: « Sed sursum cor habeant », non scil. in necessariis quae invenerunt.

XXXIV Quare terrena omnia dicuntur vana, et specialiter gloria humana, et quare haec non est quaerenda.

Postmodum notandum quare omnia terrena dicuntur vana. *Eccle. 1.:* Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas. Non dicit supra solem, sed sub sole. (4) Haec autem sunt terrena: sunt autem (5) omnia talia vana, et bene dicuntur vana. Sunt enim fragilia et deficientia innitenti, et faciunt eum corruere, propter quod Ægyptus, idest mundus, comparatur baculo arundineo, *Is. 36,* et ideo vana, quia vanum est uno modo quod non confert fulcimentum innitenti.

Item, non implent animam. *Ezech. 7:* Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur. Propter quod divites qui habent omnia bona terrena dicuntur dimitti inanes. Et ideo vana, quia vanum alio modo est quod non confert plenitudinem continenti.

Item, labor in terrenis non adducit fructum. *Eccle 1:* Quid habet

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: advertendum. — (2) Cod. Grat.: et multi amorem istum quem ad eum deberent mittere.... — (3) Ita Codd. Vien. et Grat. Caeteri: victus. — (4) Cod. Vien.: sub sole, non supra. — (5) Cod. Grat.: ergo.

amplius homo, nisi scil. vanitatem, de universo labore suo quo laborat sub sole, id est, in terrenis quae sunt sub sole, non super. Et ideo vana quia vanum est alio modo quod non affert fructum laboranti, juxta illud quod dicunt mali, *Malach. 3:* Vanus est qui servit Deo, quasi non habens emolumentum sui servitii laboriosi.

Item, quod cito transit vanum reputatur, propter quod homo similis dicitur factus vanitati. *Psal. 143.* Sic et ista. *Sap. 5:* Transierunt omnia sicut umbra et tanquam nuntius praecurrens qui citius transit, et tanquam navis quae pertransit fluctuantem aquam, et haec citius; aut avis quae transvolat in aere, et haec citius; aut tanquam sagitta emissa, et haec citius.

Item, quod praetendit aliquid cui non respondet existentia dicitur vanum, secundum quem modum idola dicuntur frequenter in Scriptura (1) vanitates. Unde, *3 Reg. 16,* dicitur: Provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. Talia vero sunt (2) terrena. Videntur enim habere multa bona quae non inveniuntur in eis realiter, et ideo vocantur vanitates, et etiam mendacium. Unde in *Ps. 4:* Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mandacium?

Item, quod non habet soliditatem qua teneatur, vanum dicitur, ut phantasmata et somnia. *Eccle. 5.:* Ubi multa somnia, plurimae vanitates. Talia autem sunt et haec, juxta illud *Eccli. 34.*: Quasi qui apprehendit umbram et sequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia, i. e. terrena quae visibiliter mentiuntur. Ideo dicebat Augustinus: « Et si aliquid arrisisset, taedebat apprehendere, quia pene antequam apprehendissem evolasset. »

Item, rebus vanis illuditur hominibus, ut patet in incantationibus in quibus cum aliquid videtur, statim non apparet. Sic terrenis illuduntur homines. *Job. 27:* Dives cum dormierit, aperiet oculos suos et nihil inveniet. Exemplum in *Vitis Patrum:* Cum duo religiosi in habitu paupere transirent cum quibusdam (3) divitibus et magnis viris in navi, in multo silentio dixerunt eis illi divites: Beati vos qui sic

---

(1) Cod. Grat.: frequenter in Scriptura vocantur.... — (2) Codd. Sp. et Vien.: Talia enim dicuntur.... — (3) Codd. Sp. et Grat.: duobus.

mundo illusistis. At illi: Vae vobis quibus sic mundus illudit! Ideo dicitur *Nehem. 1* (scil. 2 *Esdr. 1*): Vanitate seducti sumus.

Licet autem omnia terrena dicantur vana, tamen specialius gloria humana, unde et ipsa specialius retinuit (1) nomen vanitatis. Non enim dicuntur vanae-divitiae, vel vanae-deliciae, sed dicitur vana-gloria. Ipsa enim minus confert fulcimentum quam divitiae vel delitiae, propter quod dicitur, *Joan. 8:* Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Quod autem nihil est, cui (2) fulcimentum praestare potest?

Praeterea minus replet, propter quod dicitur inanis gloria. *Luc. 1:* Divites dimisit inanes. Quod autem inane est, in nullo replere potest. (3) Minorem fructum affert. *Is. 40:* Omnis gloria ejus quasi flos foeni, qui nullum adducit fructum.

Item, citius transit, et ideo significatur per graecas glorias, 2. *Mach. 4.* Graecum autem interpretatur, secundum quosdam: est, non est; et talis est gloria humana propter velocem transitum.

Item, minus habet subsistentiae intrinsecùs. 1. *Mach. 2.:* Gloria hominis stercus et vermis est, scil. interius, quantumcumque luceat exterius.

Item, minus habet soliditatis; ideo dicit Apostolus, *Rom. 3,* Judaeo: Ubi est gloriatio tua? Quasi diceret: Evolavit.

Item, vehementius illudit: facit enim gloriari de alieno quasi de suo. 1. *Cor. 4.:* Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Haec igitur sunt terrena vana de quibus dicit Augustinus. « Et terrena vana non quaerant ». Et concordat cum Apostolo dicente, *Col. 3.:* Quae sursum sunt quaerite, non quae super terram.

Nec mirum si plus illa jubentur quaeri (4) quam ista: illa enim pretiosa, ista vilia. *Ps. 72:* Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? *Glossa:* Quantum et quale est illud gloriosum quod paratum est in coelo, et quam vile est quod volo super terram!

Item, illa quicumque quaerit invenit, quia de illis intelligitur:

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: tamen specialius gloria humana obtinuit.... — (2) Cod. Grat.: cujusmodi. — (3) Cod. Grat.: in nullo replere potest amorem. — (4) Cod. Grat.: jubemur quaerere.

Quaerite et invenietis, *Matth. 7:* haec autem a multis quaeruntur et numquam inveniuntur.

Item, illa inventa nunquam amittuntur; haec autem necesse est cito perdere. *Luc. 12:* Haec quae parasti, cujus erunt? Quasi diceret: Remanebunt tibi? Non utique, sed cito deserent te. Quam stultum ergo est obmissis coelestibus terrena vana quaerere!

Ad hoc, (1) cum Ecclesia dicatur coelum, cujus superna (2) pars est religio, quid aliud est in religione terrena quaerere quam in superna parte coeli quaerere terram?

Item, cum religio sit locus humilitatis, quid aliud est quaerere in religione vanitatem aliquam quam ventum, qui perflare solet in montibus, quaerere in valle? Et si ergo nusquam sunt quaerenda terrena et vana, multo minus in religione; et ideo nunc recte dicitur (3) religiosis: « Et terrena vana non quaerant. »

Sequitur: **Ne incipiant monasteria divitibus esse utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur et pauperes illic inflantur.**

Sunt aliqui praeceptores quibus est pro ratione voluntas. Non fuit de talium numero Augustinus. Ipse enim tradendo mandata, subjungit rationem, in hiis praecipuè quae non sunt liquidae justitiae prima facie, ut est illud: « Non a vobis exigitur ut a vobis subditis veniam postuletis, » cui subjungitur ratio cum dicitur: « ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum, » etc. Et sunt hujus modi mandata cum rationibus annexis in regula quasi XVII, quae facile diligens lector inveniet, inter quae computanda sunt proxime praedicta, quorum hic redditur ratio cum dicitur: « Ne incipiant » etc.

XXXV. Quod monasteria quibusdam non prosunt ad salutem, et etiam quoad alia sunt

Elicitur autem ex hoc verbo quod aliqui reperiuntur in monasteriis quibus non sunt ipsa monasteria ad salutem. Quomodo enim erunt eis ad salutem quibus non sunt utilia? Imo certe non solum aliqui, imo multi.

---

(1) Cod. Vien.: Adhuc. — (2) Cod. Vien.: suprema.... suprema. — (3) Cod. Vien.: et ideo vere dicitur.

inutilia quibusdam, et quibus ex causis, et de superbia pauperum.

Inde est quod scriptum est in Evangelio: *Luc. 17.:* Duo erunt in lecto, scil. in quieto statu contemplativo; unus assumetur et alter reliquetur. Terribile verbum! quia non dicit plures assumendos quam relinquendos: Haec est desolatio Oseae prophetae dicentis, *Ose. 13:* Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse, scil. infernus, inter fratres dividet. Ipse enim infernus infelices religiosos dividet a fratribus suis, cum exeuntibus angelis et separantibus malos de medio justorum, mittentur ad eum. Hic erit fletus et stridor dentium. Hic est fletus illius sancti abbatis Silvani, de quo legitur in *Vitis Patrum* quod cum existens inter fratres raptus esset in exstasim, et reversus ad se fleret inconsolabiliter lamentando, et cum fratres instarent sollicitè ut diceret eis quid vidisset, quare sic fleret, tandem ad instantiam eorum multam respondens, dixit: Fratres, ego ad judicium Dei raptus fui, et vidi multos de saeculari habitu euntes ad regnum, multos de habitu nostro euntes ad tormenta. Et lugebat senex, et nolebat exire de cella deinceps, et si cogebatur exire, cooperiebat caputio caput, et dicebat: Quid necesse est videre lumen istud in quo nihil utile est?

Sciendum autem quod tres sunt causae, propter quas privantur aliqui in monasteriis fructu salutis: una generalis et duae particulares.

Generalis est peccatum mortale quodcumque. Hoc enim facit ne prosit religioso ad salutem habitus, vel professio, vel societas, vel opera exteriora bona, vel nomen, vel fama, (1) vel dedicatio sui Deo, vel locus. Et ideo dicitur, *Eccli. 30:* Salus animae in sanctitate justitiae: non in sanctitate habitus, vel professionis, vel societatis, vel operum exteriorum, vel nominis, vel famae, vel consecrationis, vel loci. In sanctitate, inquit, justitiae. Non potest autem esse sanctitas justitiae ubi est aliqua immunditia mortalis peccati, quia sanctum idem est quod mundum. Per mortale autem peccatum qui committunt illud in religione privantur salute, quia nihil aliud prodest eis ad illam. Ideo dicit Hieronymus: Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est.

---

(1) Cod. Vien.: vel nominis fama.

Alia causa et particularis est fraterna offensa de qua infrà: « Qui nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur. » Hoc est enim quod facit reprobari a Deo quidquid offertur, nec potest Deus homini placari, nisi prius frater placetur ipsi. Inde est quod dicitur in Evangelio, *Matth. 5*: Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus, habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.

Alia causa et particularis est superbia, de qua hic dicitur. (1) Et habetur de hoc exemplum in *Vitis Patrum*, ubi dicitur quod quidam sanctus pater vidit in visione quod duo sedentes in equis portantes trabem accedebant ad ecclesiam quamdam, et dum appropinquarent, et uterque vellet praecedere suum comparem, ipsis in transverso collocatis, neuter intravit. Et qui visum ostendebat dixit ad eum: « Hii sunt qui portare volunt justitiam (2) cum superbiae jugo, et non humiliant se ut ambulent humiliter in via Christi, et ideò foris remanebunt a regno Dei. Inde est quod dicitur in Evangelio, *Matth. 18*, ipsis Apostolis qui erant summae perfectionis: Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.

Sunt ergo tria quae faciunt monasteria inutilia aliquibus quoad salutem. Quorum duo ultima, scil. delictum in proximum, et alterum in Deum, (3) tanquam propria et particularia sanctus Augustinus tangit in regula; primum vero, tanquam generale et ad alia multa pertinens, non tangit.

Sed numquid non sunt utilia monasteria superbis quoad multa alia, etsi non quoad salutem? Constat quod sic. Quare ergo dicit ea simpliciter non esse utilia pauperibus superbis? Respondeo: Inutile reputatur quod ad salutem non valet, quia omnis alia utilitas propter sui modicitatem in comparatione ad istam pro nullo reputatur, juxta

---

(1) Codd. Grat. et Sp. habetur. — (2) Cod. Grat.: qui portarant velut justitiam.... Cod. Tol.: qui portant velut Dei justitiam.... — (3) Codd. Grat. et Tol.: quorum duo ultima, quorum unum est delictum in proximum et alterum in Deum....

illud *Matth. 17:* Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?

Vel aliter monasteria dicuntur inutilia superbis, quia principales utilitates religionis aufert eis superbia.

Ad quod intelligendum notandum est quod tribus de causis principaliter solent aliqui ingredi religionem: una est ut sibi melius caveant a peccatis, a quibus sibi vix cavere possunt in statu saeculari; alia est ut ibi de jam commissis purgentur; tertia est ut ibidem plus merentes majus in futuro laetitiae praemium consequantur.

Istas autem tres utilitates confert religio. Unde *Eccli. 1:* Religiositas custodiet: ecce primum; et justificabit cor: ecce secundum; jucunditatem atque gaudium dabit, scilicet in futuro: ecce tertium. Geminatio enim nominis laetitiae immensitatem gaudii importat.

Superbia vero aufert ista tria. Superbia enim causa est aliorum malorum, et propter ipsam multi religiosi corruerunt in multa alia mala. *Eccli. 10:* Initium omnis peccati superbia. Qui tenuerit illam implebitur maledictis, id est, vitiis. *Glossa:* De superbia nascuntur haereses, schismata, detractiones, invidia, verbositas, jactantia, et hujusmodi: et sic aufert primum.

Item, superbia impedit justificationem. *Luc. 18:* Descendit hic, scilicet humilis peccator, justificatus ab illo, scilicet justo superbo: et sic tollitur secundum.

Item, superbia privat bona opera finali mercede, unde infrà: « superbia bonis operibus insidiatur ut pereant », scilicet finaliter. *Eccli. 10:* Propterea, scilicet, propter superbiam, exornavit Deus, scilicet ornatu virtutum privavit, conventus malorum, et destruxit illos usque in finem, scilicet retributionis: et sic destruitur tertium et quoad meritum et quoad praemium.

Bene (1) ergo dicuntur monasteria non esse utilia superbis pauperibus, quia superbia aufert eis principales utilitates religionis. Quid autem mirum si superbia facit pauperibus inutile claustrum, cum angelicis spiritibus fecit inutile coelum, primis parentibus paradisum, et justo pharisaeo sanctissimum templum? Hinc est quod,

(1) Cod. Vien.: Sic ergo.

licet omnis superbia detestanda sit in religione, exemplo Domini dicentis, *Amos 2:* Detestor ego superbiam Jacob; tamen horibilius est in pauperibus detestanda, juxta exemplum ejusdem dicentis per Sapientem, *Eccli. 25:* Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animae illorum: pauperem superbum, etc.

Ratio autem hujus est quia sicut commendabilior est humilitas in persona excellenti, ita magis est reprobanda superbia in persona abjecta, et ideo dicitur, *Eccli. 10.:* Quid superbis, terra et cinis, etc, quasi vilis persona? Bernardus: Intolerabilis impudentiae est ut ubi se exinanivit majestas, vilis vermiculus infletur et intumescat. Cum ergo pauperes sint abiectae personae, quantum detestanda est eorum superbia! Superbia vero divitum habet multam occasionem. Ipsae enim divitiae sunt magna occasio ad superbiam et multum sunt hujusmodi conjuncta, propter quod conjunguntur opes ad superbiam, tamquam substantivum ad adjectivum, ut dicitur, *Prov. 8:* Opes superbae; et Augustinus dicit: Vermis divitum superbia est, quia sicut ex putredine nascitur vermis, ita ex divitiis superbia. Pauper vero modicum habet undè possit superbire: cum ergo gravius sit delictum quod minorem habet occasionem, quam detestabilior est superbia pauperum quam divitum!

Item, ad hoc quod dives superbiat, non oportet quod faciat sibi magnam vim, quia multum habet unde extollatur; pauper vero non sic, nisi inflet semetipsum, sicut dicitur in fabula de buffone, qui videns bovem crassum in pascuis inflavit se ut ei similis fieret. Sic etiam diabolus, qui pauper erat respectu Dei, inflavit se dicens: Similis ero Altissimo. *Is. 14.* Cum ergo in omni genere peccatorum peccatum procuratum gravius sit quam non procuratum, ut in luxuria, gula et similibus, constat quod gravior est superbia in pauperibus quam in divitibus, tum quia abjectiores sunt personae, tum quia minus habent unde superbiant, tum quia habent superbiam procuratam magis quam se ultro ingerentem. Et ideò Augustinus optime talem superbiam appropriato nomine vocat inflationem, cum dicit: « et pauperes illic inflantur »: inflatio enim pertinet ad res viles, ut est vesica, et hujusmodi.

Item, consurgit quasi ex nihilo, ut ex aere, qui quasi inane reputatur.

Item, fit per quamdam violentiam, ut patet in buffone cum se inflat, et in vesica cum inflatur ab alio.

Attendendum est etiam quod res est usitata divites superbire ; res vero inusitata superbia in paupere. Imo in tantum est paupertati annexa humilitas, ut unum accipiatur pro alio etiam a Salvatore, *Matth. 5.*, ubi dicitur : Beati pauperes, quia secundum sanctos expositores, paupertas vocatur hic humilitas secundum unum sensum. Et ideo quia superbia non solet inveniri in paupere sicut in divite, dicit Augustinus : « Ne incipiant monasteria divitibus » etc., quasi res nova et quasi res inconsueta sit.

Patet igitur quod superbia in pauperibus est contraria religioni, et hoc quia facit monasterium eis inutile. Item, est valde grave peccatum, propter quod vocatur inflatio. Item, est res super usum et ideo dicitur « ne incipiant. » Et ideò conveniens (1) est ut sancta religio laboret modis omnibus ad superbiam hujusmodi reprimendam tanquam vitium valde sibi contrarium, et quod in se grave est, et omnino inusitatum.

Colligitur ex jam dictis secundum diversos paragraphos quare quibusdam dictis ab Augustino adjunguntur causae, quod religiones quibusdam non prosunt ad salutem, et quod sunt hujusmodi tres causae, quod etiam sunt inutilia monasteria superbis pauperibus quoad tres utilitates principales religionis, quod superbia gravior est in pauperibus quam in divitibus propter tria et ideo vocatur inflatio, quod reprimenda est valde in religione superbia pauperum propter tria quae tangit sanctus Augustinus.

Sequitur : **Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in saeculo non habeant fastidio fratres suos qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt : magis autem studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari.**

---

(1) Codd. Sp. et Vien. : consequens est quod.

Sicut in pauperibus venientibus ad congregationem invenitur duplex vitium pertinens ad superbiam, ut praedictum est, ita et in divitibus duplex hujusmodi malum inveniri contingit, unum et minus occasione rerum, circa quod tradit mandatum infra dicens: « Nec extollantur, » etc.; aliud ratione personarum et majus, et ideò circa hoc ponit mandatum primo hic dicens: « Rursus etiam illi, » etc...

Et nota quod superius ubi loquebatur de rebus saeculi nominavit eas « aliquid, » dicens: « Qui aliquid habebant in saeculo »; hic vero loquens de habentibus eas, vocat eos « aliquid, » non secundum rem, sed secundum visionem, dicens: « qui aliquid videbantur esse in saeculo ».

XXXVI. Quod qui divites fuerunt in saeculo quando venerunt ad religionem, non debent fastidio habere fratres suos.

Ex quo cognoscitur (1) quod in oculis sanctorum bona terrena sunt modicum quid, et etiam ipsi habentes ea sunt modicum quid: imo hoc ipsum quod esse videntur non tam sunt quam videntur.

Ratio autem ad primum est quod omnia terrena modicum quid sunt in oculis Dei sublimis, et de excelso prospicientis. *Sap. 11*: Quasi momentum staterae et quasi gutta roris antelucani, sic ante te est orbis terrarum. Sancti autem cum ipso conversantur in coelis, secundum Apostolum, et ideo ipsis intuentibus inde omnia parva videntur.

Concordat autem ad hoc quod dicitur in Macrobio, in somnio Scipionis: Ex orbe, inquit, lacteo omnia mihi contemplanti, jam terra ita parva mihi visa est ut me imperii nostri quo vix punctum ejus attingimus poeniteret. Quid autem mirum si oculis sanctorum terrena parva videntur, cum in oculis philosophi (2) etiam totus orbis quasi punctus videatur. Hinc est quod Philosophia loquens Boetio, dixit: Omnem terrae ambitum, sicut astrologicis demonstrationibus accepisti, puncti constat obtinere rationem. Proinde Plinius, *De historia naturalis philosophiae*, deridens mundanos dicit: Terra non est aliud in universo quam mundi punctus. Haec est materia gloriae nostrae, hic sedes, hic honores gerimus, his exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella, mu-

---

(1) Codd. Vien. et Sp.: Ex quo convincitur. — (2) Codd. Sp. et Grat.: philosophiae.

tuisque caedibus laxiorem facimus terram; hic contendimus, pellimus, furtoque vicini cespitem solo nostro addimus, et similia.

De secundo dicitur, *Is. 40.*: Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt ei. Et post pauca: Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei. Ecce quam parvum quid (1) omnes gentes, inter quos multi magnates fuerunt, extiterunt in oculis prophetae, quos comparat guttae situlae, momento staterae, et etiam non enti et nihilo, et inani!

Circa tertium patet quod viri saeculi non sunt vere id quod etiam videntur. Videntur enim divites, sed non sunt vere. Gregorius.: Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate, scil. virtutum. Videntur esse honorati, sed non sunt vere. Idem: Si culmen veri honoris quaeritis, ad regnum coeleste tendite. Videntur esse gloria circumdati, sed non habent veram gloriam. Idem: Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia adscribi festinate. Et sic in similibus multis, propter quod res hujusmodi (2) dicuntur mendacium, quia non sunt vere quod videntur. *Ps. 4*: Ut quid diligitis mendacium? Cum igitur illi qui tam modicum quid sunt, imò minus sunt quam videntur, ex hoc non habeant causam (3) alios contemnendi, bene dicitur: « Qui aliquid esse videbantur in saeculo, non habeant fastidio fratres suos »; et inde est quod quidam dicuntur esse fratres natura, ut omnes homines; quidam fide, ut omnes christiani; quidam religionis conformitate, ut religiosi ejusdem professionis.

XXXVII. Quare divites non debent fastidire pauperes, sed potius gloriari de eorum societate quam de parentum dignitate.

Cum ergo nullus frater sit contemnendus, juxta illud, *Malach. 2*: Quare despicit unusquisque fratrem suum? quanto minus ille in quem concurrunt tres praedictae causae fraternitatis!

Item, si contemnitur in societate perversa pauper a divite, et ignobilis a nobili, non est mirum. In societate vero sancta omnes unum debent in Christo esse. *Galat. 3*:

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: parum quod. — (2) Cod. Tol.: hujus mundi. — (3) Codd. Tol. et Grat.: occasionem.

Non est Judaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque foemina : omnes enim unum vos estis in Christo. Quantum est ergo contra naturam talis societatis quod unus alium fastidiat!

Item, angelicae naturae sublimitas pauperes non fastidit, immò astat eis et ministrat, et ideo dicitur, *Matth. 18.:* Videte ne contemnatis unum de pusillis istis: dico enim vobis quoniam angeli eorum etc.

Rex etiam angelorum factus mortalis in mundo non fastidivit eorum societatem, immo dimissis omnibus aliis istos elegit in socios. *Jac. 2:* Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Ipse etiam factus immortalis legitur frequenter apparuisse in specie pauperis, ut hortulani, vel peregrini et aliis multis modis, sicut legitur in *Dialogo;* unde B. Martinus diabolo apparenti sibi in specie divitis, quasi esset Christus, dixit: Christum purpuratum non novi. Si autem (1) eos fastidiret, eorum formam non assumeret. Quomodo ergo fastidiendi sunt a divitibus illi quos nec angeli, nec angelorum rex mortalis, neque immortalis fastidierunt?

Patet ergo quod qui magni fuerunt in saeculo, non debent fastidire in monasterio illos (2) qui venerunt ex paupertate, tum quia fratres sunt, tum quia societas sancta, tum quia pauperes. Quae tria sanctus tangit Augustinus in littera.

Magis autem debent dare operam gloriari de eorum societate quam de parentum divitum dignitate.

Circa quod notandum quod (3) aliqui reperiuntur qui gloriantur quod sciuntur esse generosi. Quo contra legitur de sancto Alexio qui fuit de nobilissimis Romanorum, et de multis aliis sanctis, quod fugerunt, ut eorum nobilitas lateret. Et in tantum latuit ut ipse in persona pauperis eleemosynam acciperet a suis servis.

Alii vero sunt qui continere se non possunt quin interdum aliquod verbum proferant per quod se generosos ostendant. Quo contra patriarchae nobilissimi Judaeorum dixerunt coram Pharaone: Viri

---

(1) Codd. Vien. et Sp.: Nam si eos. — (2) Cod. Sp.: alios. — (3) Cod. Vien.: Juxta quod.

pastores sumus. *Gen. 46.* Isti si vere servi Christi essent, non ostenderent se nobiles, sed potius contrarium cum Agatha nobilissima dicente: Ancilla Christi sum, et ideo ostendo me servilem personam.

Sunt iterum alii qui hiis non contenti quandoque se faciunt majores quam vere fuerunt in saeculo. Quo contra Moyses negavit se esse filium filiae Pharaonis, *Heb. 15.*, quod credi poterat, nolens se extollere super id quod erat.

Cum ergo omnia haec et similia sapiant gloriam de dignitate parentum, interdicuntur haec ubi hujusmodi gloriatio prohibetur.

XXXVIII. Utrum aliqua gloria sit licita.

Sed numquid omnis gloriatio mala est peccatum? Cur ergo dicit ut « studeant de pauperum fratrum societate gloriari? » Respondeo: Quaedam est gloriatio quae semper est mala, quae est de malo; de qua, *Ps. 51:* Quid gloriaris in malitia? Alia est quae est semper bona, quae est de bono essentialiter, de qua, *1 Cor. 1:* Qui gloriatur in Domino glorietur. Alia est quae est indifferens, (1) quae potest esse bona et mala: haec autem est quandoque circa prospera, et est magis periculosa: non enim potest esse de facili nisi vana. Quandoque vero circa adversa, et raro est nisi bona, quia in hujusmodi non contingit gloriari de facili nisi propter Deum. Ad hujusmodi gloriationem pertinet illa de qua dicitur ad *Rom. 5.:* Gloriamur in tribulationibus; et illa de qua ad *Galat. ultimo:* Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Similiter et ista de qua fit hic mentio: et sic patet quod non solum est licita, sed etiam virtuosa, cum est (2) circa difficile, et non potest de facili fieri nisi propter Deum. Et ideo dicit sanctus Augustinus: « studeant, » innuens quod est difficile, et ideo circa hoc laborandum.

Magis ergo est gloriandum de pauperum societate quam de divitum dignitate, quia ista gloria virtutem habet, illa peccatum, secundum illud *Jac. 1:* Glorietur frater dives (3) in humilitate sua,

---

(1) Cod. Tol.: de indifferentibus. — (2) Cod. Tol.: Est enim. — (3) Cod. Sp.: humilis. Hic legitur in margine cod. Sp.: « quidam textus habent: Glorietur dives in humilitate sua. » Unde merito eruitur collationem codicum aliquam a scriptore factam esse.

hoc est non in divitiis, non in potestate, (1) et hujusmodi, quae cedunt in malum gloriantis, sed in eo quod habet humilitatem: (2) hoc enim sibi est occasio meriti et virtutis.

Item, hoc etiam (3) advertendum est quantum sit reprehensibile quod quidam qui fuerunt pauperes in saeculo tam vehementer erubescunt paupertatem suam et suorum, cum divites jubeantur de societate pauperum gloriari. Fuit quidam episcopus de paupere genere natus, ad quem cum accessisset mater pretiosis induta pro reverentia ejus, noluit agnoscere, sed dixit: Haec non est mater mea. Mater enim mea est quaedam pauper mulier vilibus induta. Tunc illa depositis pretiosis et vilibus resumptis, revertens ad eum agnita est ab eo, et honorifice valde tractata. Numquid non debent religiosi pauperes non erubescere genus suum exemplo tanti praelati et saecularis? Dicitur in fabula Petri Alfonsi quod cum quaereret vulpes a mulo pascente in prato cujus esset filius, respondit quod erat nepos cujusdam dextrarii de Hispania, ostentans illud quod erat melius in genere suo, et tacens illud quod vile (4) erat et ex genere asinino. Sic isti si quid vilitatis est in genere suo illud occultant, et si quid valoris (5) est, illud libenter ostentant. Quo contra Filius Dei et hominis non vocabat se filium Dei, sed filium hominis. David quoque tam nobilis non erubuit dicere: Ego autem mendicus sum et pauper. *Ps.* 39. Denique nonne ipse Dominus vocari voluit filius fabri, et cognatos voluit habere Jacobum et Joannem qui adeo erant pauperes quod reficiebant retia? Nonne et matrem habuit pauperem, quam Hieronymus vocat quaestuariam? Numquid et ipse de talibus erubuit qui, secundum Apostolum ad *Hebr.* 2, non confunditur nos vilissimos et abjectos fratres vocare? Unde ergo ista confusio, ut miser homo, filius putredinis, frater vermium, erubescat de generis paupertate?

---

(1) Cod. Sp.: potentia. — (2) Cod. Grat.: in eo quod habet bonum humilitatem. — (3) Codd. Grat. et Vien.: Inter haec autem. — (4) Cod. Vien.: quod erat vilis ex.... — (5) Codd. Vien. et Sp.: roboris.

Sequitur: **Nec extollantur si communi vitae aliquid de suis facultatibus contulerunt, nec de suis divitiis magis superbiant quia eas in monasterio partiuntur quam si eis in saeculo fruerentur.**

Hic tradit (1) mandatum ad cavendum superbiam quae oriri solet in divitibus, occasione rerum. Differunt etiam ista duo genera superbiae, scil. praedictum et istud. Quia praedicta superbia est carnalis, cum oriatur ex dignitate parentum, et ideo major; secunda spiritualis et minor, cum oriatur ex bonis operibus.

Circa hoc autem mandatum tria determinantur: primò ponitur mandatum; secundo ponitur causa traditionis hujus mandati, ibi: « alia quippe quaecumque iniquitas » etc.; tertio, ponitur causa observationis ejusdem, ibi: « et quid prodest » etc.

Notandum igitur quod diabolus inimicus totius boni nititur impedire ne bonum propositum concipiatur. (2) Quod cum non potest, impedit ne ad effectum perducatur. Quod cum nequit, perdere elaborat. *Apoc. 12*: Draco stetit ante mulierem quae erat paritura filium, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Hinc est quod multos qui contemptum mundi ad effectum perduxerunt tentat de superbia, ut bonum jam consummatum pereat.

Est autem duplex superbia: quaedam latens in cogitatione, quae dicitur extollentia, *Eccli. 6.*: Non te extollas in cogitatione; alia apparens exterius in aliquibus, quae dicitur proprie superbia, quia superbire est super alios ire, quod fit per aliquem actum exteriorem; *Eccli. 13*: Qui communicaverit superbo induet superbiam. Quod induitur exterius apparet. Volens ergo Augustinus neutram superbiam latentem aut apparentem relinqui in divitibus ex mundi contemptu, dicit duo, scilicet: « nec extol'antur » etc., et hoc propter primum; « nec de suis divitiis magis superbiant, etc. » et hoc propter secundum.

Et nota quod in uno vocat religionem communem vitam, in alio monasterium, superius autem vocat eam sanctam societatem, et sic per tria nomina etiam haec tria designantur, quae pertinent

---

(1) Cod. Grat.: traditur. — (2) Codd. Vien. et Sp.: incipiatur.

ad tria vota: Dicitur enim « sancta societas, » contra immunditiam; « communis vita, » contra proprietatem; « monasterium, » quod est monachorum statio, propter obedientiam.

XXXIX. Quod de bono opere et specialiter de mundi contemptu non sit superbiendum.

Et notandum quod omnia bona nostra sunt valde deformia. *Is. 64:* Omnes justitiae vestrae tanquam pannus menstruatae.

Item, si quid sunt, a Deo sunt et non a nobis. *Is. 26:* Omnia opera nostra operatus es in nobis.

Item, sunt debitum, non gratuitum. *Luc. 17:* Cum omnia bene feceritis, dicite quia servi inutiles sumus: quod facere debuimus fecimus. Quae est ergo materia superbiendi alicui de aliquibus bonis, cum ita sint turpia, cum non sint ab ipso, cum hoc ipsum quod sunt sit debitum? Quis enim solet de solutione debiti superbire?

Ad hoc, (1) de dispersione omnium specialiter quis audeat superbire? Nonne multi philosophi (2) hoc fecerunt? Nonne haeretici innumerabiles? Nonne et ipse Judas et alii quamplures? Qui omnes sunt a Domino reprobati.

Bene ergo dicitur illis qui divites fuerunt in saeculo, quod de collatis in monasterio nec extollantur in corde, nec superbiant in opere.

— —— —

Ne vero quis credat quod hoc mandatum tradatur superflue, subjungit dicens: **Alia quippe quaecumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant: superbia vero etiam bonis operibus insidiatur ut pereant.** Quasi dicat: Bene necessarium est cavere a praedicta superbia, quia contra morem aliorum peccatorum superbia non est solum in malis operibus, imo etiam interdum oritur ex bonis. Et ideò ex collatione suorum in monasterio potest quis facile superbire; et ideò ad hoc cavendum expedit mandatum ponere.

Sed quaestio est utrum verum est (3) quod dicitur: « Alia quaecumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant? » Nonne accidia bonis operibus admiscetur et exercetur ut pereant? Respondeo:

---

(1) Cod. Sp.: Aut de — (2) Cod. Vien.: pharisaei. — (3) Cod. Tol.: Sed quomodo verum est....

Sensus est : Omnis iniquitas exercetur ut aliquod malum fiat, (1) ut accidia quae facit opus accidiosum, quod malum opus est; et superbia opus superbum, quod malum est : sed superbia habet hoc super alia quod prius opus bonum perpetratum est, et ex ipso oriens ipsum destruit. Exemplum, *Luc. 18*, de pharisaeo justo qui multa bona habuit de quibus superbiens illa amisit, et publicanus dicitur (descendisse) justificatus ab illo.

Exemplum aliud in *Vita* Joannis eremitae. Erat quidam monachus in spelunca manens, vir summae abstinentiae, victum quotidianum de labore manuum quaerens, in orationibus (2) die ac nocte persistens, cunctisque animi virtutibus florens : sed hic laetis successibus elatus est. Hanc autem animi ejus praesumptionem tentator intuens, quadam die ad vesperam in specie cujusdam mulieris nimio decore nitentis (3) oberrantis in eremo, ad ostium ejus accedens, intus se projecit lassabundam se simulans, petit ibi de nocte illa quiescere, ne nocturnis bestiis praeda efficiatur. Acquiescit ille pietate motus: sequuntur verba; verba, solatia; solatia, tactus. Quid multa? ad ultimum captivus ducitur miles Christi.Cumque se pararet ad turpem commixtionem, illa ut erat umbra tenuis, evanescit. Ipsum vero eam sequentem per inanes auras multitudo daemoniorum adstans ad spectaculum clamare cum cachinno coepit, et dicere : O monache, monache, qui te usque ad coelum extollebas, quomodo demersus es in infernum? Ille vero infelix non sustinens deceptionis suae pudorem, relicta spelunca et ad saeculum rediens, tradidit se omni impudicitiae, privatus omnibus bonis quae ante multis annis congregaverat, propter succedentem elationem.

Hujusmodi superbi faciunt sicut animal circuiens ad molendinum quod comedit opus quod facit, unde in *Vitis Patrum* dicit quidam senex : Nisi velaret pistor (4) oculos animalis ad molam circumeuntis, converteret se animal, et comederet labores suos. Ita et nos velamen accipiamus ne videamus bona quae operamur, et beatificantes nosmetipsos perdamus mercedem nostram. Propter hoc religiosis cum ten-

---

(1) Cod. Vien. : et. — (2) Cod. Vien. : oratione. — (3) Cod. Sp. : nimio dolore oberrantis. — (4) Cod. Grat. : pastor.

tatione superbiae (1) viriliter est pugnandum. Bernardus : Tu qui in congregatione es, bene vivis, si vivis humiliter: humiliter, dico, ut cum omnia bene feceris, spiritum superbiae, qui ex hujusmodi solet nasci, studeas exsufflare, et quandocumque (2) ipsum senseris, semper negare consensum coneris.

Tangit autem Augustinus tria propter quae superbia praedicta est valde timenda religiosis. Primum est quod « insidiatur. » In quo innuitur quod latet apud eos. Hieronymus: Superbia in cinere et cilicio latet. Plus autem timendus est occultus hostis quam manifestus, quia minus caveri potest.

Secundum est quod insidiatur « bonis operibus ». Religiosi vero ditiores sunt in bonis, quia implent non solum praecepta, sed etiam consilia, et insudant diligentius congregandis (3) virtutibus et meritis, ita ut eis competat illud, 1 *Cor. 1:* In omnibus divites facti estis in illo. Mercatori quanto ditior est, tanto plus timendus latro spolians.

Tertium est quod dicit: « ut pereant ». Invidia enim dolet de bono; accidia differt bonum; ira simulat bonum, quia quod facit videtur ei justum, quamvis justitiam Dei non operetur, *Jac. 1;* luxuria, (4) desipit bonum, propter infectionem palati; avaritia avertit a bono, terrenis ex toto intenta; gula non curat de bono, dicens, *Is. 22:* Comedamus et bibamus, cras enim moriemur; venialia etiam maculant bonum: at superbia, quod pejus est, destruit omne bonum. Gregorius: Superbia omnes virtutes destruit. Hinc est quod, *Job. 17,* superbia vocatur ventus urens, quia destruit omnia sicut ventus urens.

Quantum ergo timenda est superbia praedicta religiosis apud quos latitat, et qui tam divites sunt in bonis, quae omnia omnino destruere intendit!

Sequitur: **Et quid prodest dispergendo dare pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo quam fuerat possidendo?**

Reddita ratione traditionis mandati praedicti, rationem reddit

---

(1) Cod. Vien.: cum tentantur superbia. — (2) Cod. Tol.: quantumcumque senseris. — (3) Cod. Vien.: agregandis. — (4) Cod. Vien.: luxuriae desipit.... Cod. Grat.: luxuria decipit.

hic observationis, quasi dicat hoc mandatum non sine ratione esse traditum, et (1) ideo requirit ut servetur: « Quid enim prodest » etc.

Et notandum quod quidam fuerunt qui disperserunt, sed non dederunt, ut multi philosophi (2) et haeretici, qui in signum contemptus mundi per vicos et plateas disperserunt pecunias.

Quidam vero sunt qui dispergunt et dant, sed non pauperibus, immo mundo, ut vani prodigi.

Alii vero dispergunt et dant pauperibus, sed non fiunt pauperes, quia non dant omnia, ut boni eleemosynarii in saeculo remanentes, similes illi de quo dicitur: Dispersit, dedit peuperibus. *Ps. III.*

Alii vero sunt qui dispergunt et dant totum pauperibus et fiunt pauperes: quod est super omnia alia. Qui enim hoc facit, illi nihil deest, unde, *Luc. 18*, loquens Dominus adolescenti qui mandata servaverat dixit: Adhuc unum tibi deest, innuens per hoc quod si illud haberet quod erat omnia dare pauperibus et pauperem fieri, nihil ei deesset. Cui autem nihil deest in summo est.

XL. Octo utilitates quae sequi solent ex dispersione terrenorum quibus anima privatur per superbiam.

Sed vae talibus, quantumcumque magni sint, si ex hoc superbiant! Privantur enim ex hoc octo utilitatibus quae secundum Evangelium sequi solent ex tali dispersione.

Tales enim ex hoc fieri solent discipuli Domini. *Luc. 14*: Omnis ex vobis qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus; unde a contrario sensu: Qui hiis renuntiat assequitur ejus discipulatum. Sed superbia facit esse de familia diaboli, juxta illud, *Job. 41:* Ipse est rex super numerosos filios superbiae. Et sic privat utilitate prima.

Item, assequi solent cumulum perfectionis. *Matth. 19*: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus. Perfectum autem est cui nihil deest. Sed superbia quamtumcumque abundet homo, (3) hoc ipsum ex toto annihilat. *Eccli. 21:* Domus quae nimis est locuples annullabitur superbia. Et sic privat utilitate secunda.

---

(1) Codd. Sp. et Grat.: et ratio requirit. — (2) Cod. Vien.: pharisaei. — (3) Cod. Vien. deest ὁ homo.

Item, assequi solent studium coelestis desiderii. Comtemptis enim terrenis, cor elevatur ad coelestia. *Matth. 13.*: Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum. Secundum *Glossam*: Thesaurus ille coeleste regnum (1) est, ager disciplina coelestis studii. Ex distributione ergo omnium acquiritur in vita disciplinata coeleste desiderium. Sed superbia dejicit de coelo. *Luc. 10*: Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem, scil. propter superbiam: quanto magis de coelesti desiderio! Et sic privat utilitate tertia.

Item, assequi solent praegustationem consolationis internae, scil. gaudii coelestis. *Matth. 19*: Nemo est qui reliquerit domum etc., qui non accipiet centies tantum nunc in hoc tempore. *Glossa*: Omnes qui propter regnum Dei temporalia spernunt in hac vita, regni gaudium praegustant. Sed superbia praedicta facit laetari in alio, scil. in bonis propriis. Quo contra dicit Job, *Job. 31*: Si laetatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo. Osculari quippe manum est delectari in operibus suis, in quibus quia consolationem habet praedictus superbus privatur divina consolatione. Bernardus: Delicata est divina consolatio, et non datur admittentibus alienam. Et sic privat utilitate quarta.

Item, promittitur eis thesaurus in coelo. *Luc. 18*: Omnia quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo. Disperserant omnia Apostoli, sed dictum est illis qui erant summae perfectionis: Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. *Matth. 18*. Ergo superbia etiam perfectos excludit a regno Dei. Qui autem non intrabunt, quomodo ad thesaurum illum pervenient? Ergo superbia privat illo (2) thesauro, et sic quinta utilitate.

Item, promittitur eis honor judiciarius in die judicii. *Matth. 19*: Vos quis secuti estis me, scil. omnibus relictis, sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Sed in die judicii, superbus erit subtus et non supra. *Is. 2*: Dies Domini super omnem super-

---

(1) Cod. Grat.: desiderium. — (2) Codd. Sp. et Grat.: illos.

bum et arrogantem, et humiliabitur. Ergo superbia privat illo honore, et sic utilitate sexta.

Item, promittitur eis possessio vitae aeternae. *Matth. 19:* Omnis qui reliquerit domum, etc., vitam aeternam possidebit. Sed superbia ducit ad mortem aeternam. *Is. 14:* Dectracta est ad inferos superbia tua. Et sic privat utilitate septima.

Denique Christus tali pretio comparatur. *Matth. 13:* Inventa una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia quae habuit, et emit eam. *Glossa:* Christum. Sed superbia aufert eam. *Ps. 137:* Et alta a longe cognoscit. *Glossa:* Non hoc agit superbus ut minus perfecte videatur a Deo, sed ut non sit cum illo a quo videtur.

Bene ergo dicitur: « Quid prodest dispergendo dare pauperibus et pauperem fieri? » Quia per hujusmodi superbiam privatur omni utilitate quae sequi solet ex hujusmodi dispersione. Vae autem illi qui tanto fructu privatur, pro tam inutili et vana superbia! Vae illi qui per iter virtutum tendit ad vitium! Vae illi qui hic depauperatur, et tamen partem non habet in regno coelorum! Hic luget, et ibi non consolabitur. Vae illi qui de via coeli, scil. angusta, sibi facit viam inferni! Vae illi qui de medicamento infirmitatem incurrit! Gregorius: Qui de virtutibus habitis extollitur quasi de medicamento infirmatur. Quanta confusio erit cum divites saeculi cum humilitate videbit coelos ascendentes, se vero cum paupertate superba in barathrum inferni praecipitari! Et ideo bene vocat Augustinus hujusmodi animam miseram: « Cum anima, inquit, misera superbior efficitur divitias contemnendo quam fuerat possidendo. »

XLI. De remediis contra elationem de bonis propriis, et de utilitate humilitatis in praedicatore.

Sciendum autem est quod contra hujusmodi elationem de bonis propriis est remedium optimum consideratio propriorum defectuum, quibus subiacet homo. Unde in *Vitis Patrum* dixit quidam senex: Quando cogitatio elationis intraverit, scrutare conscientiam tuam, si Domini mandata custodisti, si inimicos diligis, si gaudes in adversarii glorificatione, si contristaris in minoratione ejusdem, si cognoscis te servum inutilem, si te recognoscis plus omnibus peccatorem. Sic autem faciebat abbas Moyses, qui fuit in saeculo magnus peccator, et postea magnae poenitentiae. Cum enim tentabatur

de elatione, recurrebat ad peccata sua recogitanda, unde facta est ad eum vox daemonum dicens: Vicisti nos, quia cum te exaltamus, tu te humilias. *Eccli. 11:* In die bonorum ne immemor sis malorum.

Aliud remedium est consideratio meliorum. Quae enim nobis restat superbiendi occasio, si consideremus quam parva sunt bona nostra, in comparatione ad illa quae alii innumerabiles fecerunt? Gregorius: Sicut incentivum superbiae est respectus deteriorum, ita cautela humilitatis est consideratio meliorum.

Aliud remedium est consideratio incertitudinis valoris operum nostrorum. Etenim quandoque quod reputamus magnum nihil est in oculis Dei. Gregorius: Sordet interdum in oculis judicis quod fulget in oculis actoris. Quis ergo audeat superbire de aliquibus bonis operibus, cum non secundum suum judicium, sed secundum Dei judicium ponderentur? Consideratio ergo propriorum malorum, consideratio meliorum, et consideratio incertitudinis valoris operum nostrorum, sufficiens sunt remedium contra elationem praedictam.

Quamvis autem omnibus necessaria sit humilitas cum virtutibus, juxta illud: Quanto major es, tanto magis humilia te in omnibus, *Eccli. 3;* tamen praedicatoribus specialiter valet ad tria: valet (1) in praedicatione ad aliorum conversionem, valet in studio ad intelligentiam Scripturarum, valet in operibus bonis ad propriam salutem. *Apoc. 3;* Ecce dedi coram te ostium apertum in coelo, quia modicam habes virtutem, id est, non superbam, sed modicam per humilitatem. *Glossa*: Ostium, id est, corda hominum prius dura: ecce primum; vel Scripturas obscuras: ecce secundum; vel me ipsum qui sum ostium verum ad vitam: ecce tertium.

Patet concludendo ex praedictis quod viris sanctis non solum sunt cavenda mala, non solum facienda bona, sed etiam humilitas in bonis quibuscumque cum magna diligentia est observanda.

Sequitur: **Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite.**

XLII. De concordia. Convenientibus vero (2) in unum in congrega-

---

(1) Codd. Vieu. et Sp.: videlicet. — (2) Codd. Grat. et Tol.: Viventibus enim in....

tione, non solum est necessaria unitas animorum et communitas rerum, de quibus supra dictum est, sed etiam concordia actionum, de quibus hic ponitur mandatum.

Est autem duplex actio, scil. intrinseca et extrinseca. In harum utraque debet esse concordia. Et propter primam dicitur: hic « unanimiter »; propter secundam dicitur: « concorditer ». In exterioribus enim magis attenditur concordia.

Notandum autem quod sex sunt quae multum solent turbare concordiam, et contraria eorum ipsam inducere. Primum est diversitas animorum. Contra quod datum est mandatum supra, cum dictum est: « unanimes habitetis in domo. »

Secundum est proprietas rerum: Meum enim et Tuum faciunt discordiam. Contra quod datum est mandatum cum dictum est: « Et non dicatis aliquid proprium, » etc.

Tertium est acceptio personarum in distributione communium. (1) Contra quod datum est mandatum, ubi dictum est: « Et distribuatur unicuique prout cuique opus fuerit. »

Quartum est suorum incommunicatio, contra quod dictum est: « Qui aliquid habebant in saeculo, libenter velint illud esse commune. »

Quintum est voluntas improba nimis habendi. Contra quod dictum est: « Qui autem non habebant, non ea quaerant in monasterio quae nec foris habere potuerunt. »

Sextum est superbia. Superbi enim non possunt bene concordare. Contra quam tanquam multum abundantem data sunt mandata multa, ab illo loco: « nec erigant cervicem, » etc., usque huc.

Cum ergo per praedicta mandata destruantur sex praedicta turbativa concordiae, et inducantur contraria valentia ad concordiam, bene dicit Augustinus concludendo: « Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite. »

Praetermissa vero unanimitate de qua multa dicta sunt supra, circa concordiam notandum est quod in natura spirituali suprema est concordia. *Iob. 25:* Qui facit concordiam in sublimibus suis. Item, in corporea infima. *Sap. ult.:* In se elementa convertuntur,

(1) Cod. Vien.: communi.

sicut in organo qualitates sonus. *Glossa:* Sicut in organis soni diversi ad concordantiam melodiae temperamento consentiunt, ita discrepantia elementa. Quam dignum ergo est ut in media (1) natura quae est in hominibus inveniatur concordia, ut sic impleatur ordinatio divina, quae ordinavit esse concordiam in universo, juxta verbum Gregorii dicentis: Qui cuncta mirabiliter creat, ut sibimet conveniant ordinat. Vae illi qui tali ordinationi Dei resistit!

Item, guerra proprie pertinet ad patriam, seditio ad civitatem, discordia ad domum, et ideo tanto pejor est quanto datur inter viciniores. Et ideo expellenda est omnino, secundum philosophum. Hieronymus contra Jovinianum: Secundum Pythagorae (2) praecepta, fugienda sunt haec omnibus modis et abscindenda: languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a ventre, seditio a civitate, discordia a domo.

Praeterea, *Prov. 6,* dicitur: Sex sunt quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes sanguinem innoxium, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordiam. *Glossa* enumerat sex capitalia crimina, quae tamen comparatione discordiam seminantis minora reputat. Quantum ergo malum est fraterna discordia!

Praeterea, in arca Noe, quae figura est religionis, dicitur quod omnia animalia etiam immitia pacata (3) fuerunt. Quantum ergo malum est quod in figurato homines, qui omnes sunt mansueti natura, disconveniant inter se! Ideo dicitur, *Is. 11:* Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, id est concorditer. Et probat Hieronymus quod hoc intelligitur non de brutis, sed de hominibus in tempore gratiae. Igitur in religione concorditer est vivendum ratione cohabitationis, ratione fraternitatis, et ratione religionis.

---

(1) Cod. Sp.: Dignum est ergo ut in melodia naturae. - Cod. Vien.: in melodia nostra. — (2) Codd. Tol. et Vien.: Hieronymus contra Jovinianum: Pythagorae sunt praecepta. — (3) Cod. Vien.: placata.

Sequitur autem triplex fructus (1) ex hujusmodi concordia. Primus est profectus in bono. Ambrosius: Res parvae concordia crescunt; res vero etiam magnae discordia dilabuntur, sicut patet in musica mundiali, scilicet in concordi proportione elementorum: haec est enim quae facit mundum stare et proficere. Similiter est in omni elementato.

Secundus est hostis fugatio. 1 *Reg. 16:* Igitur quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et melius habebat. *Glossa:* Diversorum sonorum moderatus rationabilisque concentus Ecclesiae unitatem significat. (2) Igitur haec concordia unitatis fugat diabolum. Unde et alia *Glossa* ibidem dicit sic: Refert Boetius philosophum quemdam tactu citharae daemonem ab obsesso corpore depulsisse. Si ergo diabolus tantum timet concordiam sonorum, quanto magis concordiam morum!

Tertius est delectatio regis coelestis. Sicut enim melodiae delectant magnates, sic ista concordia regem supremum. *Eccli. 25*: In tribus placitum est spiritui meo... et post: Concordia fratrum. Ideo dicitur in *Ps. 150:* Laudate eum in tympano et choro. Gregorius: Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem in tympano laudat, sed non in choro: in tympano namque pellis foris percussa resonat, in choro vero voces societate concordant.

Notandum quoque quod sicut harmonia non semper consistit in omnimoda aequalitate vocum, sed in debita proportione earum, ita concordia non requirit semper aequalitatem omnino, sed debitam proportionem inter superiores et inferiores, in elevatione et depressione convenienti. Tantum enim posset interdum superior elevari vel deprimi quod non concordaret cum inferiori. Similiter inferior tantum posset deprimi vel elevari, quod turbaretur concordia cum superiore: omnes ergo concorditer vivunt, quando inferiores cum superioribus, et superiores cum inferioribus in proportione debita, et singuli cum aequalibus in aequalitate debita se habent. Quod si aliquis turbat concordiam, separandus est a choro sanctorum laudantium nomen Domini.

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: profectus. — (2) Cod. Vien.: signat.

Sequitur: **Et honorate in vobis Deum invicem, cujus templa facti estis.**

XLIII. De honore mutuo.

Ex discordia frequenter sequitur exhonoratio mutua, modo verbis conviciorum in praesentia, modo infamationum in absentia, modo factis per injurias, vel in rebus vel in personis. (1) Ideo dicitut *Prov. 20:* Honor est homini, id est honor suus remanet homini, quum separat se a contentionibus. Nam ex contentione homo suum frequenter amittit honorem. Bene ergo post mandatum de concordia ponitur mandatum de honore mutuo, quasi sequela ad illud.

Ab inhonoratione (2) verò mutua valde cavendum est in congregatione. Nihil enim est quod homines soleant plus diligere quam honorem suum, et ideo valde offenduntur ex tali injuria. Unde et Dominus patientissimus ad omnes alias injurias Judaeorum, de hac videtur conquestus, cum dixit, (3) *Ioh. 8:* Et vos inhonorastis me. Injuria vero quanto plus offendit, tanto est gravior. Quanta ergo est hujusmodi injuria quae tam graviter offendit!

Item, cum quis in rebus injuriatur auferendo eas, potest emendare, honorem vero non sic. *Prov. 25:* Quae viderunt oculi tui ne proferas in jurgio cito, ne postea emendare non possis, cum de honestaveris amicum tuum.

Item, hujusmodi inhonoratio non solum homini fit, sed ipsi Deo, qui summe est honorandus. *Matth. 25:* Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quod intelligitur tam in bono quam in malo. Quicumque ergo inhonorat unum de confratribus suis etiam minimis Deum inhonorat. E contra honore exhibito homini honoratur Deus. Quod sic patet. Honorandi sunt omnes homines indestincte, juxta illud, 1 *Petri 2:* Omnes honorate. Et quid honoratur in homine quocumque nisi imago Dei? Honor vero qui exhibetur imagini ei cujus est imago potius exhibetur.

Item, honorandi sunt praelati specialiter, juxta illud *Eccli. 10:* In medio fratrum rector illorum in honore. Cujus autem est honor

---

(1) Cod. Grat.: personis bonis. — (2) Codd. Sp. et Grat.: A dehonoratione mutua... — (3) Cod. Vien.: conqueritur cum dicit.

ille nisi ejus cujus sunt ministri? Unde Maximus in quodam sermone: Dignitas quae defertur ministris illi cujus ministri sunt exhibetur.

Item, honorandi sunt devote viri sancti. *Eccli. 10:* Semen honorabitur hoc quod timet Dominum. (1) Hoc autem fit propter inhabitantem Spiritum Dei in illis. Sic capsella (2) honoratur propter reliquias. Exemplum in Barlaam. Quidam rex obvians duobus religiosis in paupere habitu, descendens de equo exhibuit eis magnam reverentiam. Reprehensus vero a suis, cum venisset domum, fecit apportari (3) duo scrinia, quorum unum erat vacuum, sed exterius valde ornatum; alterum verò plenum thesauro, sed deforme exterius. Cum autem dedisset reprehensoribus suis optionem judicandi quod esset melius, et illi praeferrent quod erat exterius ornatum, et apertis utrisque, ostendit eis quid latebat in utroque dicens: Sic (4) sunt saeculares exterius ornati, sicut illud exterius ornatum, interius vacuum. Pauperes vero religiosi sicut istud deforme pleni thesauro coelesti, et ideo honorandi. Bene ergo Augustinus ponens mandatum de honore mutuo, non dicit: Honorate vos invicem: sed « honorate in vobis Deum invicem, » quia in fratre non ipse, sed Deus potius honoratur.

Honoratur quoque Deus specialiter in rebus sibi segregatis, ut sunt oblationes; temporibus sibi dedicatis, ut sunt dies festi; locis etiam sibi consecratis, ut est templum: et sicut honor qui exhibetur templo reputatur honor Dei qui habitat in templo, quia unum est propter alterum, ita honorare fratrem est honorare in fratre Deum cujus est templum, juxta illud Apostoli, 1 *Cor. 3.:* Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Quod specialiter competit viris religiosis, quia ipsi sunt Deo dedicati ut templum, et ejus habitatio specialis per gratiam ut templum est specialis domus Dei, et excellentis nobilitatis aedificium ut templum, et ideo bene dicit Augustinus: « cujus templa facti estis. »

Revocandum est autem ad memoriam quod Pompeius nunquam fuit fortunatus, postquam templum fuit a suis inhonoratum. Quantum

---

(1) Cod. Grat: quod continet Deus. — (2) Cod. Vien.: capella. — (3) Cod. Vien.: apportare. — (4) Codd. Sp. Grat. et Tol.: Hi sunt.

ergo timendum est illi, qui non illud materiale, sed istud spirituale, quod (1) Deo est carius, in propria persona inhonorat. Cum summa ergo diligentia servandum est mandatum praedictum ut honorent se invicem, immò Deum in se, cujus sunt templa servi Dei.

Proindè honorandi sunt praelati omnes tamquam patres, juxta illud infrà: « Honore coram vobis praelatus sit vobis; » praecipue vero boni. 1 *Tim. 5.*: Qui bene praesunt praesbyteri duplici honore digni habeantur.

Honorentur seniores aetate, secundum illud, *Lev. 19:* Honora personam senis.

Honorentur priores in ordine tanquam primogeniti, qui super alios honorabantur in veteri lege, unde, *Gen. 49,* dicitur Ruben primogenito: Non crescas, scilicet super alios. *Glossa.* Secundum Magistrum historiarum: Id est, ad honorem primogeniturae non ascendas. Ex quo innuitur quod honor primogenito debebatur.

Honorentur qui aliquid majus fuerint in saeculo, ut venientes ad nuptias Christi; et quanto honoratiores fuerunt, tanto plus honorentur, secundum quod dicitur, *Luc. 14,* in parabola de invitato ad nuptias, in illo verbo: Ne forte honoratior te sit invitatus, etc.

Honorentur sacerdotes, propter quod dicitur, *Eccli. 7:* Honorifica sacerdotes.

Honorentur qui sunt in gradu ordinis superiore (2) secundum gradus suos, prout docet ordo principatus in media hierarchia, de quà dicitur in diffinitione hierarchiae illius: Sui participes interscalari reverentia insignes. Quod ideò dicitur quia docet ordo ille omnes revereri secundum gradus suos, secundum Apostolum dicentem, *Rom. 12:* Cui honorem, honorem.

Honorentur missi a majoribus, praecipue ad aliqua spiritualia (3) officia exercenda, ut est visitatio, et hujusmodi. *Philip. 2:* Et hujusmodi cum honore habetote. Et loquitur de Epaphrodito, quem ad hoc miserat ad eos Paulus.

Honorentur confessores et salutis ministri. (4) *Eccli. 38:* Honora

---

(1) Cod. Grat.: istud spirituale et Deo carius. — (2) Cod. Grat.: superiores. — (3) Cod. Sp.: specialia. — (4) Cod. Vien.: amatores.

medicum. Quod si verum est de medicis corporum, quanto magis de medicis animarum!

Honorentur dono sapientiae praediti. *Sap. 8:* Propter hanc, scilicet sapientiam, habebo honorem apud seniores.

Honorentur specialiter laborantes in docendo et in praedicando. 1. *Tim. 5:* Maxime qui laborant in verbo et doctrina, scilicet honorentur.

Honorentur etiam sanctitate praecellentes. *Eccli. 14:* Qui operatur illud, scilicet opus electum, scilicet praeeminens sanctitate, honorabitur in illo.

Honorentur etiam, imo honore praeveniantur coaequales. *Rom. 12:* Honore invicem praevenientes. Credendum est enim quod quilibet habet donum aliquod, licet lateat, quo nos praecellit, propter quod sunt honorandi. *Philip. 2:* In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. *Glossa Aug.:* Non ita debemus arbitrari ut nos aestimare fingamus, sed vere aestimemus posse esse aliquid occultum in alio quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum quo illo videmur superiores non sit coram, sed occultum.

XLIV. Varii modi honorandi diversos.

Porro modus honorandi diversos secundum gradus suos et modis diversis in multis consistit, quae facile comprehendi vel numerari (1) non possunt.

Unus est diligenter praestare audientiam loquenti, unde *Sap. 8,* loquens Sapiens de honore quem propter sapientiam habiturus est dicit: Loquentem me respicient et sermocinantem me plura, manus ori suo imponent. Quo contra, sunt quidam praecurrentes, inter quos etiam etiam viri magni vix habere possunt auditum.

Alius est loqui et alloqui reverenter. *Eccli. 5:* Honor in sermone sensati. Vir enim sapiens reverenter et cum honore loquitur cuicumque loquitur.

Alius est assurgere venienti. *Levit. 19:* Coram cano capite consurge. Quo (2) circa, excusat se Rachel, *Gen. 31,* apud patrem suum Laban dicens: Ne irascatur Dominus meus quia coram te assurgere nequeo.

---

(1) Cod. Tol.: indicari. — (2) Codd. Tol. et Vien.: Quo contra.

Alius est decenter assistere sedenti more angelico: *Is. 6:* Vidi Dominum sedentem; et post: Seraphim stabant juxta illud, scilicet solium sedentis. *Dan. 7:* Decies millies centena millia assistebant ei, scilicet sedenti.

Alius est concomitari incedentem. 2. *Reg. 18:* Universi servi regis ibant juxta eum, scilicet regem David, quasi concomitantes eum, cum egrederetur de Jerusalem fugiens Absalonem.

Alius consistit in signis humiliationis, ut sunt inclinatio, genuflexio, prostratio et hujusmodi. *Eccli. 3:* Et ab humilibus honoratur. Quod est si verum de Deo, eadem ratione de quocumque coram quo nos humiliamus.

Alius in servitii exhibitione, ut est pedum lotio, ministratio aquae ad manus, et similia. *Eccli. 3:* Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet iis qui se genuerent.

Alius in munerum honorabilium collatione, ut est honorabilius ferculum, vel vestis, vel hujusmodi. Unde *Num. 24,* dicit Balach ad Balaam: Decreveram quidem te magnifice honorare, scilicet muneribus: sed Deus privavit te honore disposito.

Alius in propriae magnificentiae depositione, ut fit cum quis sertum vel caputium deponit coram magnate. *Apoc. 4:* Cum darent illa quatuor animalia honorem sedenti super thronum, XXIV seniores mittebant coronas suas ante thronum, et hoc pro reverentia et honore sedentis in throno.

Alius est in alterius praepositione, ut fit cum praeponitur in sede (1) vel in via, vel in actu quocumque honorifico, (2) juxta illud, *Eccli. 32:* Loquere, major natu: decet enim te; et ideo praelati dicuntur praepositi. *Hebr. ult.:* Mementote praepositorum vestrorum, videlicet, quia praeponuntur vobis.

Sunt et alii multi modi, quos ratio et unctio, secundum personarum qualitatem pro tempore, docet (3) exhibere.

Hic terminatur primum Capitulum in quo tradita sunt mandata circa pertinentia ad religionem in quantum est status congregatio-

---

(1) Col. Sp.: rheda. — (2) Cod. Grat.: honorato. — (3) Cod. Tol.: docet secundum qualitatem personarum et temporum exhibere.

nis, (1) quae sunt unitas cordium, de quo ibi: « Primum propter quod in unum » etc.; communitas rerum cum quibusdam annexis, de quo ibi: « Et non dicatis aliquid proprium; » concordia actuum cum sequela sua, quae est honor mutuus, de quo ibi: « Omnes ergo unanimiter, » etc.

Sequitur: (2) **Orationibus instate horis et temporibus constitutis.**

Traditis mandatis de pertinentibus ad religionem, in quantum est status degentium in unum in praecedenti capitulo, tradit Augustinus in hoc capitulo mandata circa pertinentia ad religionem in quantum est status poenitentiae.

Sunt autem tria ad quae reducuntur opera poenitentiae, scilicet: oratio qua erigitur animus in Deum, qua impugnantur vitia animi; mortificatio carnis qua animus insurgit in corpus proprium, qua impugnantur vitia carnis; opus misericordiae qua movetur animus pie in proximum, qua impugnantur vitia mundi.

Et circa haec tria tradit mandata. Circa tertium, ibi: « Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, » etc.; (3) circa secundum, ibi: « Carnem vestram domate, » etc.; circa primum hic: « Orationibus instate » etc.

Sunt autem tria circa orationem valde competentia religiosis, scilicet instantia in frequentando, intentio in cogitando, maturitas in cantando; circa quae tradit tria hic Augustinus mandata. Circa tertium ibi: « Et nolite cantare, » etc.; circa secundum ibi: « Psalmis et hymnis, » etc.; circa primum hic. Et traduntur duo mandata circa hoc: unum pertinens ad orationes ordinarias, et aliud pertinens ad orationes extraordinarias, ibi: « In oratorio nemo āliquid agat, » etc. Ad instandum ergo orationibus ordinariis tradit mandatum dicens: « Orationibus instate, » etc.

---

(1) Cod. Grat.: aggregationis. — (2) Hic passim codices notant inchoari capitulum secundum totius Regulae. Cf. supra, p. 66, in nota 1. — (3) Ita Cod. Vien. Caeteri hunc adducunt textum: « Et si hiis qui venerunt ex moribus delicatioribus. » etc.

XLV. Quare Religiosi plus quam alii debent instare orationibus, et specialiter horis et temporibus constitutis.

Et notandum quod, licet omnibus instandum sic orationi, secundum illud quod dicitur omnibus indistincte, *Rom. 12:* Orationi instantes, tamen specialius competit hoc religiosis. Illis enim qui sunt in tentationibus constituti, cum ab hiis non possunt se defendere sine adjutorio Altissimi, invocandum est instanter divinum auxilium. Unde, *Matth. 26:* Vigilate et orate, ne intretis intentationem.

Item, cum secundum Gregorium dona Dei facile amittantur, nisi a largiente custodiantur, quilibet habens aliquod donum Dei recurrere debet ad largientem, ut hoc custodiat; et qui plus habet plus debet recurrere. Secundum hunc modum docuit orare universalem Ecclesiam Gregorius in oratione qua dicitur: Custodi in nova familia tua spiritum adoptionis quem dedisti.

Item, in rebus difficilibus praecipue solet invocari divinum auxîlium, unde David considerans quam difficile sit per semitam arctam consiliorum incedere usque in finem, orabat dicens: Perfice gressos meos in semitis tuis. Cum ergo religiosi plus impugnentur a tentationibus quam alii, *Eccli. 2.:* Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem; et plus habeant de donis coelestibus, et habeant prae manibus opus valde arduum, scilicet opus perfectionis ducere ad consummationem, incumbit eis triplex necessitas plus orandi, scilicet tentationum assiduitas, amittendorum bonorum facilitas, proprii negotii difficultas.

Praeterea multum facit ad opportunitatem orandi occupationum subtractio. Unde (1) dicitur, *Eccli. 18:* Ne impediaris orare semper, id est ne assumas tibi ea quae impediunt te ab oratione, quae sunt occupationes et negotia varia.

Item, multum facit ad idem loci congruitas. *Ps. 131:* Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

Item, multum facit ad illud sancta et devota societas dicentium verbo et exemplo, *Ps. 94:* Venite, adoremus, et procidamus ante Deum. Cum ergo religiosi paucas habeant occupationes retrahentes ab oratione, et habitent in loco orationi congruentissimo, et habeant societatem

(1) Codd. Grat. et Tol.: Propter quod.

ad hoc multipliciter attrahentem, habent opportunitatem triplicem ad orandum, videlicet, ratione libertatis spiritus, ratione loci, et ratione societatis.

Praeterea, status contemplativus magis obligatur ad orandum, cum, secundum Bernardum, oratio pars sit contemplationis. 1 *Mach. 3*: Locus orationis erat in Masphat, quod interpretatur contemplatio.

Item, viventes de eleemosynis debent (1) orare pro benefactoribus, exemplo Pauli orantis, 2 *Tim. 1*: Det veniam (2) Dominus Onesiphori domui, quia saepe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit.

Item, sicut divites qui non possunt multum orare supplere debent in eleemosynis hunc defectum, peccata sua multis eleemosynis redimentes, sic qui non possunt dare eleemosynas debent ex hoc in orationibus recompensare, unde multi non habentes substantiam quam dent pauperibus, dant orationes eis, implentes hoc modo verbum illud, *Luc. 6:* Omni petenti te tribue. Quantum ergo tenentur religiosi orationibus instare qui sunt in statu contemplativo, quibus fere omnia quae habent de quibus sustentantur dantur in spem assequendi (3) suffragia suarum orationum, qui cum nihil habeant proprium, eleemosynam facere non possunt. Sic ergo ratione necessitatis, et ratione opportunitatis, et ratione debiti, plus aliis instare debent orationibus. Quod aperte monstratur *Act. 10,* ubi dicitur: Cornelius, vir religiosus, deprecans Deum semper....

Licet autem ipsis multum instandum sit orationibus, tamen horis et temporibus constitutis est eis magis instandum. Hoc enim, sicut dicit super hunc locum Lambertus (4), Sancti Rufi Abbas, expositor hujus regulae, non est solum oratio, sed obedientia. Constat autem quod duplex bonum melius est unico (5), et oratio condita obedientia, quae summe Deo placet, acceptior est eidem (6).

---

(1) Cod. Tol.: tenentur. — (2) Cod. Vien.: misericordiam. — (3) Cod. Grat.: consequendi. — (4) Edit. Haguen et aliae.: Gilbertus. - Codd. Vien. et Grat.: Lembertus. - Cod. Tol.: Albertus. - Cod. Sp.: Hugo; - qui in margine addit: « Nota hic quod libri habent Lempertus loco Hugo. » — (5) Codd. Grat. et Tol.: quam unicum. — (6) Cod. Tol.: esse ei debet.

Item, horis et temporibus constitutis convenit non solum unus conventus, sed innumera multitudo per universum mundum (1) ad orandum. Cum ergo, sicut dicit auctoritas, impossibile sit multorum preces non exaudiri, sperare debet quicumque convenit tunc ad orandum, quod etsi non ratione sui, tamen ratione multitudinis tunc orantis cui se adjungit, debet citius exaudiri.

Item, probabile est quod, sicut locus deputatus orationi facit ad hoc ut preces ibidem exaudiantur citius quam alibi, secundum illud, 2. *Paral. 7:* Erunt aures tuae erectae ad orationem ejus qui in loco hoc oraverit, sic probabile est quod tempus constitutum (2) a Spiritu sancto facit ad hoc idem, secundum illud: *Is. 49:* Tempore placito exaudivi te, et in die, etc.

Cum ergo Ecclesia, quae Spiritu Dei regitur, statuerit aliquas horas et tempora ad orandum, credi debet quod orantes in illis citius exaudiantur, sicut et pauper, veniens ad eleemosynam abbatiae hora ad hoc constituta, citius accipit quam veniens alia hora.

XLVI. Quae et quot sint horae canonicae et quare plus in illis instandum sit orationibus.

Si autem quaeratur quae sunt istae horae et ista tempora constituta, dicendum est quod horae constitutae vocantur hic horae canonicae quae, secundum usum antiquum et etiam secundum consuetudinem quorundam religiosorum eumdem usum adhuc tenentium, dicuntur esse octo, videlicet, matutinae primae et matutinae laudes, et aliae sex horae diei. Secundum enim usum istum matutinae laudes dicuntur divisim (3) ab aliis matutinis in principio aurorae.

Et sic octies laudatur Deus in die naturali ab Ecclesia in Novo Testamento, sicut et octies laudabatur in Veteri, sicut habetur *Nehem. 9,* licet secundum alium modum distinctionis horarum. Istam autem distinctionem horarum tradit beatus (4) Benedictus in regula sua, ostendens sic faciendum exemplo optimi oratoris David Prophetae dicentis: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, *Ps. 118,* et hoc

---

(1) Cod. Tol.: orbem. — (2) Cod. Grat.: statutum. — (3) Cod. Grat.: diversim — (4) Codd. Sp. et Vien.:... licet secundum alium modum distinctionis horarum queni (cod. Vien.: quam) tradit beatus Benedictus, in Regula sua, ostendens....

quoad matutinas primas; et alibi: Septies in die laudem dixi tibi, *ibid,* et hoc quoad alias septem horas; quarum prima est laudes matutinae dicendae in principio diei, secundum usum istum. Quae apparent (1) esse alia hora ab aliis matutinis, ex hoc quod habent suam propriam incoeptionem, scilicet: Deus in adjutorium meum intende, et hymnum proprium, sicut aliae horae. Verum secundum usum communem et modernum ambae matutinae insimul dicuntur, et computantur pro una hora, cum per unam orationem terminentur. Et sic reducuntur horae canonicae ad numerum septenarium, qui est sacratior numerus. Et sic illud Davidicum: Septies in die laudem dixi tibi, intelligitur de die naturali, ut una laus sit in nocte artificiali, et aliae sex in die noctis ejusdem, scilicet prima, tertia, sexta et nona, undecima, quae est vespera, et duodecima (2) quae est completorium.

Si autem quaeratur quare istae horae potius quam aliae sint ad orandum vel Deum laudandum constitutae, dicendum est quod istis horis leguntur sancti orationibus vel laudibus divinis specialiter (3) vacasse. Unde David: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, *Ps. 118;* ecce una hora. Et iterum: Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, *Ps. 54;* ecce aliae tres scilicet, vesperae, et prima et sexta. In tertia vero orabant Apostoli, cum receperunt Spiritum Sanctum. Petrus vero et Joannes ascendebant in templum ut orarent ad horam orationis nonam, sicut dicitur *Act. 3.* Circa duodecimam vero horam quae dicitur completorium dicitur Christus orasse, cum post coenam effudit orationem ad Patrem, sicut habetur *Joan. 17.*

Item, horae istae sunt insignitae quibusdam operibus insignibus, ad redemptionem nostram pertinentibus. Nocte enim natus est Salvator, circa primam horam diei surrexit, circa tertiam Spiritum Sanctum misit, circa sextam ascendit, circa nonam mortuus est in cruce, circa undecimam id est vespere corpus suum et sanguinem in sacramentum tradidit in coena, circa duodecimam sepultus est. Juste ergo horae istae deputatae sunt laudibus divinis et orationibus sanctis

---

(1) Cod. Vien.: Quae apparet esse.... ex hoc quia habet. — (2) Ita codd. Tol. et Vien.; codd. Sp. et Grat.: decima, quae est vespera, et undecima.... — (3) Codd. Grat. et Vien.: specialius.

plus quam aliae, in quibus non legitur aliquod factum hujusmodi contigisse. (1)

Item, *Matth. 20,* legitur patrem familias misisse operarios primo mane quod est prima, similiter tertia, similiter sexta, similiter nona, similiter undecima quod est vespere, et sero, (2) quod est duodecima (3) hora sive completorium, ad mercedem vocasse. Cum ergo officium divinum dicatur opus Dei, juste horae istae competunt officio divino. Quod autem additur super illas sex horas diei opus divinum in nocte non est inconveniens, quia opus vitae contemplativae non solum diei, sed etiam nocti competit, unde Jacob dicitur nocte luctatus fuisse cum angelo. *Gen. 32.* Quod exponens Gregorius dicit luctam hujusmodi contemplationem.

Porro ista tria quae sunt causa hujusmodi horas deputandi divino officio, sunt etiam causa instantius tunc orandi: libentius enim hiis orare debemus horis quibus sancti dicuntur (4) orasse, horis privilegiatis, et horis redemptionis operibus insignitis, ut eorum simus participes, et horis divinis operariis attributis.

XLVII. Quare libentius surgendum est ad matutinas.

Licet autem in omnibus istis horis nobis instandum sit officio divino, tamen specialibus rationibus specialius in quibusdam horis, scil. matutinis, prima et complectorio est frequentandum officium divinum. Quo contra sunt aliqui qui vix surgunt ad matutinas, sed occasionibus fallaciter (5) repertis, quasi semper remanent, quasi sufficiat eis divinis laudibus interesse solùm de die.

Non videntur illi pertinere ad illam beatam turbam innumebilem (6) adstantem ante thronum Dei, de qua dicitur, *Apoc. 7,* quod non solum de die, immo die ac nocte serviunt ei in templo ejus.

Non sunt isti de illis animalibus sanctis quae non solum nec die, sed nec die nec nocte requiem habent dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. *Apoc. 4.*

---

(1) Cod, Vien.: fuisse. — (2) Cod. Sp.:.... undecimâ; vespere et sero... — (3) Cod. Vien.: undecima. — (4) Cod. Grat.: leguntur. — (5) Ita cod. Tol. Codd. Sp. Grat. et Vien.: faciliter. — (6) Codd. Vien. et Sp.: in margine immobilem.

Non sunt isti de illis custodibus Ecclesiae sanctae, qui non solùm de die, sed etiam tota die et tota nocte perpetuo non tacent, scilicet laudare nomen Domini, sicut dicitur *Is. 62.* Excitatur qui hujusmodi est per Jeremiam prophetam dicentem, *Thren. 2*: Consurge, i. e. cum aliis surge, lauda in nocte.

David nec occupationibus regiis diurnis, nec nocturnis deliciis uxorum (1) retrahebatur quin de nocte surgeret et valde cito ad laudes divinas, ut scriptum est in *Ps. 118*: Media, inquit, nocte surgebam ad confitendum tibi.

Christus interdum non solum partem noctis, sed etiam totam noctem expendebat orando. *Luc. 6*: Et erat pernoctans in oratione Dei.

Paulus et Silas non impediebantur angustia cerceris quin media nocte surgerent et laudarent Deum. *Act. 16*: Media nocte Paulus et Silas adorantes laudabant Deum, et audiebant eos qui in custodia erant.

Infelices somnolenti illi qui talium et tantorum exemplo non excitantur ad surgendum de nocte ad matutinas!

Praeterea et mulieres solent surgere de nocte pro sollicitudine domus suae. *Prov. ult.*: De nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis et cibaria ancillis suis.

Item, artifices magna parte noctis vigilant (2) pro lucro *Eccli. 38:* Sic omnis faber ferrarius et architectus qui noctem tamquam diem transigit.

Item studentes sapientiae citius artificibus surgunt de nocte. Hieronymus: Demosthenes dicit se omnes artifices vigiliis praevenisse.

Si ergo studiosi pro sapientia acquirenda, artifices pro lucro, mulieres pro cura domus suae sic surgunt de nocte, quanto magis debet servus (3) Dei pro servitio regis aeterni surgere de nocte! Inde est quod dicit Paulus, 2 *Cor. 6:* In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, et subjungit: In vigiliis, innuens quod non sit Dei verus minister qui refugit sacras vigilias.

---

(1) Codd. Tol. et Vien.: uxoris. — (2) Cod. Sp.: surgunt. — (3) Codd. Tol. et Grat.: decet servos Dei.

Praeterea, tempus nocturnum aptius est actibus contemplativae, (1) quia quietius, et liberius ab occupationibus. Et ideo dicitur in *Ps. 41:* In die mandavit Dominus misericordiam suam, scil. opera activae, et nocte canticum ejus, quod est contemplativae.

Item, benedictio Deo debetur non solum de die, sed etiam de nocte, juxta illud *Dan. 3:* Benedicite noctes et dies Domino.

Item, hostis Ecclesiae non solùm impugnat de die, sed etiam de nocte. Bernardus: Non dormitabit neque dormiet qui impugnat Israel. Cui resistitur per sacras vigilias. 1 *Mach. 12*: Cum sol occidisset, praecepit Jonathas suis vigilare, scil. propter adversarios quos audiverat nocte superventuros.

Item, somnolentos frequenter comitantur carnales tentationes, propter quod haec duo conjungit Paulus: *Rom. 13:* Non in cubilibus et impudicitiis. Has autem reprimunt honestae vigiliae, juxta illud *Eccli. 31:* Vigilia honestatis tabefaciet carnes.

Item, surgere ad matutinas est valde poenale, unde Paulus inter labores, 2. *Cor. 11,* enumerat vigilias, dicens: In vigiliis multis; et ideo magis satisfactorium.

Item, sicut Dominus venit ad Balaam de nocte, sicut habetur *Num. 22,* ita frequentius in hujus silentii tempore visitat animam, et immitit consolationes internas. *Job. 35:* Qui dedit carmina in nocte, i. e. gaudiosas consolationes.

Item, surgentes ad matutinas multis modis corporaliter se purgant, per excreationes et similia, quod multum confert sanitati corporali.

Surgendum est igitur libenter ad matutinas, ne tempus aptissimum orationi amittamus, (2) ut debitum benedictionis Deo plene reddamus, ut impugnatae Ecclesiae succurramus, ut tentationes carnis evadamus, ut meritum satisfactionis nobis acquiramus, ut consolationum sanctarum (3) participes efficiamur, ut corporali (4) in Dei servitio sanitati provideamus. Et ad hoc nos invitat sermo propheticus

---

(1) Codd. Grat. et Sp.: contemplativis. — (2) Cod. Vien.: omittamus. — (3) Cod. Grat.: sanctorum. — (4) Codd. Grat. et Vien.: corporis.

dicens: In noctibus extollite manus vestras in sancta et benedicite Dominum.

XLVIII. Quare libenter surgendum est in mane ad officium divinum.

Sunt iterum aliqui qui dulcedine somni matutini detenti vix surgunt mane ad primam, vel ad orationem matutinalem, jam lucis orto sidere non surgentes. Contra quos est illud Apostoli, *Rom. 13:* Hora est jam nos de somno surgere. Et subdit causam dicens: Nox praecessit, dies autem appropinquavit.

Et nota quod malitia facit valde mane evigilare. *Job. 24:* Mane primo consurgit, id est cum sociis surgit homicida.

Item, necessitas humana. *Ps. 103:* Ortus est sol, et post: Exibit homo ad opus suum.

Item, natura: unde aves valde mane incipiunt cantare, quod est ad verecundiam hominis pigritantis in lecto; unde Ambrosius, *De officiis:* Quis christianus non erubescat sine psalmorum modulatione diem transigere, quum minutissimae aves solem devotione et ortum diei (1) praeveniant?

Si ergo malitia, si necessitas, si natura sic evigilat in variis negotiis, quanto magis charitas deberet mane excitare in obsequium Creatoris!

Sic mane non tantum pro se, sed etiam pro suis filii surgebat Job, de quo scriptum est, *Job. 1:* Consurgens (2) diluculo offerebat holocausta pro singulis, et hoc cunctis diebus. Sic David qui non solùm se, quin immo etiam instrumenta sua musica incitabat ad surgendum secum in mane, ad laudes divinas. *Ps. 56:* Exurge, psalterium et cithara. Exurgam diluculo, confitebor tibi, etc. Sic Isaias qui dicebat, *Is. 26:* In praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Sic ipse Christus de mane ibat ad locum orationis communem, *Joan. 8.:* Diluculo iterum venit ad templum; quandoque ad locum orationis secretum, *Marc. 1.*: Diluculo consurgens, egressus ibat in desertum locum, et ibi orabat.

---

(1) Codd. Sp. et Tol.:... quum minutissimae aves quasi solemni devotione ortum diei praeveniant. - Ita Cod. Vien., dempto « quasi. » — (2) Cod. Vien.: quod surgens.

Sic denique facit omnis justus. *Eccli. 39:* Justus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.

Et notandum quod vigilia matutinalis orationem facit citius exaudiri. Cujus rei duo sunt testes. Unus Baldach Suhites, *Job. 8:* Si diluculo consurrexeris ad Dominum, et Omnipotentem fueris deprecatus, etc.; et post sequitur: Statim evigilabit ad te. Alius testis David dicens, *Ps. 5*: Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam.

Item, dulcedinem divinae consolationis frequentius recipit: unde manna, quod Christum (1) significabat, colligebatur in mane, sicut dicitur *Exod. 16* et *Prov. 8.*: Qui mane vigilaverint ad me invenient me.

Item, dicitur *Exod. 16*: Mane videbitis gloriam ejus. *Eodem 19,* dicitur: Advenerat dies tertius, et mane inclaruerat, et tunc data est lex. Quid dulcius quam invenire Dominum, quam videre gloriam ejus, quam audire eum tradentem mandata vitae, quae omnia secundum predictas auctoritates fiunt in mane vigilanti? Sicut enim quis citius invenitur in domo sua in mane, ita et Deus in corde. Tunc etiam anima majorem habens limpiditatem aptior est ad contemplandum gloriam Dei, propter quod dicit Psaltes, *Ps. 5*: Mane adstabo tibi, et videbo. Tunc etiam ipse audit sicut magistrum, qui mane legit et docet animas, juxta illud, *Is. 50*: Mane erigit mihi aurem, ut audiam eum sicut magistrum.

Item, in hujusmodi vigilia frequenter confunditur diabolus cum exercitu suo, scil. vitiorum. *Exod. 14*: Jam advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, interfecit exercitum eorum. Heu! quot dormientibus tunc e contrario accidit (2) quod irruens diabolus super eos, ipsos interfecit, sicut solent hostes interdum in mane capere castra dormientibus hominibus!

Quantum ergo est fructuosa vigilia matutina in qua et preces citius audiuntur, et consolationes divinae frequentius recipiuntur, et hostes victoriosius dejiciuntur!

---

(1) Cod. Tol.: ipsam. — (2) Codd. Grat. et Sp.: et.

Praeterea, illa hora aptior est ad erigendum cor ad Deum, antequam anima detrahatur ad diversa per occupationes, vel impediatur a phantasmatibus collectis; propter quod dicitur de justo, *Eccli. 39*: Tradidit cor suum ad vigilandum diluculo, quasi tunc magis habens cor suum in potestate. (1)

Praeterea, tunc est major necessitas recurrendi ad Deum ut dirigat nos in actionibus et casibus diurnis, sicut faciebat David, qui dixit, *Ps. 87*: Et mane oratio mea preveniet te.

Surgendum est igitur libenter ad Dominum in mane ad divinum officium, et propter fructum praedictum, et propter idoneitatem horae illius, et propter necessitatem. Et sic dicitur in libro *Sap. 16:* Oportet praevenire solem ad benedictionem tuam, id est ad te benedicendum, et ad ortum lucis te adorare.

XLIX. Quare libenter veniendum sit ad completorium.

Sunt iterum aliqui qui completorium fugiunt, cum e contra cum magna diligentia caveant religiosi fratres ne unquam horam istam omittant, (2) et hoc multis de causis.

Constat enim quod hora ista est in qua de labore activae transitur ad requiem (3) contemplativae; propter quod tunc cantatur: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Bonarum autem mentium est libenter hujusmodi transitum facere, nec occupationes activae ultra diem prolongare, secundum illud, *Ps. 103:* Exibit homo, qui ratione utitur, ad opus tuum, ad operationem scilicet usque ad vesperam, et non ultra.

Item, cum sit tempus tacendi et tempus loquendi, *Eccle. 3*, ista hora est in qua incipit silentium apud religiosos, quod omnes boni libentius debent accipere quam locutiones. Augustinus: Loquela sit in necessitate, taciturnitas autem in jucunditate.

Item, ista est hora in quae animalia sancta quae per (4) diem vadunt ad exteriora, revertuntur ad interiora, *Ezech. 1.:* unde et in

---

(1) Cod. Grat.: puritate. In Cod. Sp. legi potest: pietate. — (2) Codd. Vien. et Grát.: amittant. — (3) Cod. Grat.: ad quietem. — (4) Cod. Vien.:... sancta quocumque vadunt...

principio dicitur: Converte nos, Deus, salutaris noster, scilicet ab exterioribus ad interiora. Istud autem valde pertinet ad bonam mentem.

Item, secundum morem nostrum completorio sunt adnexae orationes secretae, quarum fructum frequenter amittunt qui non intersunt. Contra quod dicitur *Matth. 6*: Tu cum oraveris, intra in cubiculum tuum, scilicet secretum cordis, et clauso ostio, ora Patrem tuum, et Pater tuus qui videt in abscondito, retribuet (1) tibi. Et Bernardus *Super Cant.*: Quam serena et placita (2) oratio nullo perturbato clamore!

Item, in illa hora fiunt multa quae (3) non fiunt aliis horis, quae habent aliquem effectum gratiae conferre, (4) sicut est aspersio aquae benedictae, benedictio patris, scilicet praelati, quae firmat domos filiorum, *Eccli. 3*.

Item, remanentes a completorio, ut frequenter, pejus expendunt tempus illud, quam remanentes ab aliis horis diurnis. Nam ab aliis remanentes vel confessionibus, vel studio, vel alicui operi fructuoso frequenter intendunt: ab illa vero remanentes otiosis verbis, (5) vel recreationi carnali intendunt. Quantum autem cuilibet cavendum est ne tempus quod sancte expenditur ab aliis, ab ipso male expendatur! *Eccli. 4.*: Fili, conserva tempus, hoc est cum aliis serva tempus, ut scilicet sicut ipsi, sic et tu bene expendas.

Item, hujusmodi remanentes solent alios inquietare frequentur suis vigiliis, et clamoribus, et tardo ingressu ad dormitorium: quod valde cavendum est circa Dei servos. Qui enim ipsos inquietat Spiritum sanctum habitantem in eis contristat. Gregorius in *Dialogo*: Cum vir sanctus ad irascendum trahitur, quis alius ad irascendum, nisi ejus inhabitator, excitatur?

Item, non solum inquietant alios, sed etiam scandalizant. Videntes enim eos remanentes a completorio, non de facili habent rationem judicandi quod remaneant nisi ex causa minus sufficienti, et sic in eis sandalizantur. Si autem illi qui scandalizat unum de pu-

---

(1) Codd. Grat. et Vien.: reddet. — (2) Cod. Tol.: placida. — (3) Cod. Grat.: in margine ita corrigit: aliae orationes. — (4) Cod. Tol.: aliquam efficaciam gratiae conferendae. — (5) Cod. Vien.: ab illo vero remanentes otiosis vel...

sillis expedit ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, ut dicitur *Matth. 18*, quid de illo sentiendum est qui conventum unum scandalizat?

Item, nos solemniter recommendamus nos beatae Virgini in completorio. Constat autem quod valde efficax est recommendatio tam solemnis; unde magister Jordanis narravit quod audivit a quodam viro religioso quod quando fratres dicebant : Eia ego advocata nostra! videbat beatam Virginem flexis genibus recommendantem (1) ordinem Filio suo.

Quam stultus ergo est qui hujusmodi recommendationi non libenter interest! Intersint ergo completorio libenter fratres sancti propter amorem contemplationis, propter amorem silentii, propter curam propriae conscientiae, propter fructum secretarum orationum, propter assequendum effectum aliarum (2) gratiarum, propter cautelam temporis non inutiliter expendendi, propter vitandam inquietationem et scandalum fratrum, et propter devotionem ad Virginem gloriosam.

Quid autem mirum si viri spirituales libenter advesperascente die transeant ad requiem, (3) cum etiam aves tunc garritum suum dimittant et requiescant. Immò, ut dicit Plinius, tota multitudo apum in alveari ad sonitum unius circumvolantis illa hora quiescit sine strepitu usque mane, et tunc ad sonitum ejusdem circumvolantis et excitantis consurgunt.

Denique (4) notandum quod tempora quae statuta sunt ad orandum, quaedam sunt quotidiana et deputata secretis orationibus apud nos, scilicet matutinum post matutinas, et vespertinum post completorium; quaedam vero sunt annualia, ut sunt dies festi, dies jejuriorum, dies rogationum, et alia similia; quaedam quae, emergentibus novis casibus et negotiis, ad hoc deputantur interdum.

L. Quare libenter est orandum post completorium et matutinas.

Porro duo praedicta tempora quotidiana apta sunt secretis orationibus, quia matutinum praecedit occupationes diurnas, vespertinum vero sequitur, et ita utrumque liberum est ab occupatione. (5) Tempus vero

---

(1) Cod. Vien.: recommendare. — (2) Cod. Grat.: aliquorum. — (3) Cod. Grat.: ad quietem. — (4) Codd. Sp. et Vien.: Deinde. — (5) Codd. Sp. et Tol.: operatione.

feriatum id est, liberum ab occupatione, secundum Bernardum *Super Cant.*, aptius est ad orandum. Et ideo non sunt praetereunda (1) ista tempora, quin semper in illis oremus, sive in conventu sive extra, plus et minus pro tempore.

Ista sunt quae etiam David orator optimus observabat in suis orationibus. Observavit matutinum, et ideo dixit, *Ps. 87:* Et mane oratio mea praeveniet te. Observavit vespertinum, et ideo dixit, *Ps. 140:* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Sic etiam fecit Christus suo exemplo nos provocans. Orabat secreto mane, *Marc. 1*: Diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat; et sero secreto, *Matth. 14*: Exibat (2) in montem solus orare; vespere autem facto, solus erat ibi.

Ista sunt illa duo sacrificia legalia, non carnalia, sed spiritualia, scilicet matutinum et vespertinum, quae quotidie jubentur offerri, *Exod. 29*. Orandum est specialiter in mane et in sero, ut primordia et ultima actionum nostrarum offerentes ipsi qui est Alpha et Omega, principium et finis, debitas primitias orationum inchoationis, et decimas consummationis persolvamus eidem. Orandum (3) est mane, ut in actionibus diurnis oratione dirigamur, et hoc sonat oratio quae dicitur in prima. Orandum est etiam in sero, ut oratione contra tentationes nocturnas muniamur, et hoc sonat oratio quae dicitur in completorio.

Istae autem orationes non mutantur, sicut orationes quae dicuntur in aliis horis, secundum diversa tempora, quia immutabiliter iis de causis semper orare debemus in hiis duobus temporibus, etiamsi alio tempore aliquid circa hoc variemus.

Item, orandum est in mane propter futura; orandum est in sero propter praeterita. Hieronymus *Contra Jovinianum, libro primo:* Pythagorae praecepta sunt haec: duorum temporum maxime habendam curam, scilicet mane et vespere, id est eorum quae acturi sumus et quae gessimus, et ideo orandum est ut futura bene fiant, et orandum est ut praeterita male facta remittantur.

---

(1) Cod. Vien.: praetermittenda. — (2) Col. Grat.: ascendit. — (3) Cod. Sp.: Item orandum.

LI. Quare in festis instantius orandum est, et in jejuniis et in diebus rogationum, et aliis quibusdam temporibus.

Circa festa notandum verò est quod dies illi debent esse vacui omni occupatione. *Exod. 20*: Omne opus non facietis in eo.

Item, est probabile quod in illis diebus, quia sunt festa Dei, rex coelorum tamquam in festo suo det largius munera, sicut Assuerus in festo pro nuptiis Esther largitus est munera juxta munificentiam principalem. *Esth. 2.*

Item, in festis, quando debet Deo melius serviri, daemones magis infestant homines. 1 *Mach. 2*: Exercitus Antiochi constituit adversus Judaeos praelium in die sabbatorum. Patet ergo quod magis insistendum est orationibus in festis, quia ad vacandum Deo sunt instituta specialiter, quia major spes tunc habetur de largitate ejus qui rogatur, quia hosti tunc magis infestanti est fortius resistendum per orationes.

Super (1) hoc autem nobis datum est exemplum ab antiquo. 1 *Mach. 12*: Sine intermissione in diebus solemnibus memores vestri sumus in sacrificiis et oblationibus. (2) Notatur etiam in hoc quod specialiter orabatur in solemnitatibus.

Circa jejunia vero notandum quod sicut jejunium est ad sanctificandum a vitiis carnalibus, ita oratio a vitiis spiritualibus. Hieronymus: Jejuniis sanantur (3) pestes corporis, oratione verò pestes mentis. Ad perfectam autem sanctitatem requiritur purgatio ab utroque. 2. *Cor. 7*: Emundemus nosmetipsos ab omni inquinamento carnis et spiritus perficientes sanctificationem. Miscenda est ergo oratio jejunio, ad assequendam perfectam sanctificationem.

Item, quoddam genus est daemonum quod impugnat de vitiis spiritualibus, quoddam de utrisque, scilicet carnalibus et spiritualibus, et hoc genus tamquam fortius non expellitur nisi per orationem et jejunium, sicut dicitur *Matth. 17*. Est autem probabile quod hujusmodi daemonio non potest resisti nisi per eadem, scilicet per orationem et jejunium. Miscenda est igitur oratio jejunio, ut sic omni generi daemonum fortius resistatur.

---

(1) Cod. Grat.: Similiter hoc nobis. — (2) Cod. Grat.: observationibus. — (3) Cod. Sp.: salvantur.

Item, jejunia multa sunt quae (1) Deo non sunt accepta. *Is. 58:* Quare jejunavimus, et non aspexisti? Ut autem sint accepta, laborandum est ut sint sancta. 1 *Joel:* Sanctificate jejunium. Probabile est autem quod sanctificetur jejunium per orationem, sicut cibus sanctificatur per orationem, sicut dicitur 1 *Tim. 4.* Et ideò miscenda est oratio jejunio, ut jejunium per orationem sanctificatum fiat Deo acceptum, et sic petit Ecclesia in oratione in Quadragesima, dicens: Nostra tibi, quaesumus, Domine, sint accepta jejunia, et in multis similibus orationibus.

Sic miscebat orationem jejunio David qui dicit, *Ps. 34:* Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur. Sic Daniel, *Dan. 9,* dicit: (2) Posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare et deprecari in jejunio. Sic Esdras, 1 *Esdr. 8,* dicit: Jejunavimus et rogavimus Dominum, et evenit nobis prospere. Sic Ninivitae, *Jonae 3*: Homines et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam; et post: Et clament ad Dominum in fortitudine. Sic Josaphat, 2 *Paral. 20:* Se totum contulit ad rogandum Dominum in fortitudine, et praedicavit jejunium. Sic Anna prophetissa, *Luc. 2*: In jejuniis et obsecrationibus vacans die ac nocte. Sic apostoli quoque dicuntur jejunasse ab Ascensione usque ad Pentecostem. De eorum autem oratione in qua tunc erant dicitur *Act. 1.*

Circa rogationes notandum est quod triplex solet esse causa apud magnates dandi large munera. Una magnitudo curiae: cum enim principes tenent magnas curias, quanto sunt majores curiae tanto largius in muneribus se effundunt, juxta illud *Esth. 2,* ubi dicitur quod Assuerus fecit convivium permagnificum cunctis principibus et servis suis. Et post: Et dona largitus est juxta magnificentiam principalem. Alia est triumphus victoriae, juxta illud quod, 1 *Reg. 30,* dixit David illis qui prohibebant ne illis qui remanserant ad sarcinas aliquid daretur de praeda: Non sic facietis, fratres mei, de iis quae tradidit nobis Dominus: aequa enim erit pars descendentis ad praelium et remanentis ad sarcinas. Alia est magnitudo intercessoris juxta

---

(1) Cod. Sp.: quae omnia. — (2) Codd. Grat. et Tol.: hic ubique « dicens » pro « dixit. »

illud, 3. *Reg. 2,* quod dixit Salomon matri suae: Pete quod vis, neque enim fas est tibi me quidquam negare.

In ascensione autem Domini fuit major curia in coelo quam unquam fuisset, quia angeli ante soli erant ibi: tunc autem patriarchae et prophetae, et omnis illa beata captivitas quam secum duxit Christus.

Item, illud festum fuit de triumpho Christi, qui triumphator super omnes coelos ascendens victor triumpho nobili, ad dextram Patris residet. (1)

Item, ascendit ut rogaret Patrem pro nobis, et interpellaret vultum Dei pro nobis. Quanta ergo occassio fuit Deo Patri largiter dandi in die tantae curiae in festo de triumpho tam nobili, ad intercessionem tanti advocati!

In memoriam ergo hujus, ante ascensionem, Ecclesia facit preces et rogationes, sperans in tali festo se specialius et efficacius obtinere, et ideò tunc est omnibus orandum devote.

Circa quartum notandum quod religio christiana sciens quod omnia fiunt divina providentia, et in manu divinae potentiae sunt omnia constituta, consuevit recurrere ad pietatem ipsius in necessitatibus suis, sicut pro serenitate sive pro pace et similibus, exemplo antiquorum, qui clamabant ad Dominum, cum tribularentur. *Ps. 106.* Super iis Salomon rogavit Dominum, 3. *Reg. 8,* videlicet ut clamantes ad eum in templo variis necessitatibus exaudiret.

Est autem fructus hujus clamoris triplex: quandoque enim Dominus sic clamantes adjuvat, ut possint portare tribulationes; quandoque liberat; quandoque convertit in magnam utilitatem. *Ps. 90:* Clamavit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum tribulatione, scilicet adjuvando, ecce primum; eripiam eum: ecce secundum; et glorificabo eum: ecce tertium. Cum ergo fructus isti sint tam gloriosi, libenter est orandum in hujusmodi casibus emergentibus, et maxime cum indicitur oratio super hoc ab Ecclesia. Quanto enim plures orant, tanto citius flectitur pietas divina, quia prout dicit auctoritas, impossibile est preces multorum non exaudiri.

---

(1) Cod. Sp.: ascendit... residens.

Sequitur: **In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit, ut si forte aliqui, etiam praeter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento qui ibi aliquid agendum putaverint.**

Hic tradit mandatum circa orationes extraordinarias, et quia non sunt necessitatis sed voluntatis, non tradit mandatum ut fiant, sed mandatum ne impediantur.

LII. De nomine oratorii et quare fuerit institutum, et quae non sunt ibi facienda.

Et notandum primo circa expositionem hujus nominis (1) « oratorium », quod Dominus universorum non solum de personis retinuit ad ministrandum sibi aliquos specialiter, ut ministros Ecclesiae, sed et de rebus decimas ad ministrorum sustentationem, de temporibus dies solemnes, et de locis aliqua sibi specialiter appropriavit, ad serviendum sibi in illis. Inter quae unum genus est oratorium, quod dicitur ecclesia, id est congregatio, ratione eorum qui ibi conveniunt; dicitur etiam templum, ratione ejus in cujus nomine conveniunt, scilicet Dei: templum enim dicitur a theos (θεός) quod est Deus, et platea, (2) quasi Dei platea; et oratorium, ratione ejus quod ut frequentius et principalius fit ibidem, scilicet oratio.

Secundo, quaeritur de hoc verbo: « ad quod factum est. » Videtur enim quod in tempore gratiae non debeat esse locus aliquis proprius ad orandum. Mulieri enim Samaritanae quaerenti, *Joan. 4,* ubi esset locus ad orandum, (3) respondit Dominus dicens: Venit hora in qua veri adoratores adorabunt in spiritu. Ergo non est curandum de loco. Respondeo: Non est in loco ponenda talis fiducia quod non credat aliquis alibi se non posse exaudiri, sicut fecerunt aliqui Judaei, sed curandum est ex aliis causis de loco.

Si enim non esset aliquis locus orationibus deputatus, tunc cum nesciretur utrum homines orarent vel non, multi omitterent orare.

Item, cum vadit quis ad locum deputatum orationi, plus laborando plus meretur.

---

(1) Cod. Tol.: verbi. — (2) Hic recole quae supra diximus de etymologiarum scientia apud veteres. — (3) Codd. Grat. et Sp.: locus orandi.

Item, ipse locus ad hoc deputatus ad orationem incitat, (1) sicut locus deputatus comestioni ad comedendum, et similia. Et ideo, licet orationis virtus sit in spiritu, tamen deputatur locus aliquis orationi, ut sit Ecclesia certa de oratione fidelium, et ut ipsi illuc eundo plus mereantur, et ad orandum efficacius incitentur.

Tertio, quaeritur de justitia hujus mandati ibi: « nemo aliquid agat, nisi, etc. » Videtur enim secundum illud quod non liceat in oratorio praedicare, vel confessiones audire, et similia. Hoc enim non est orare. Respondeo: Ista spiritualia exercitia quibus animi eriguntur in Deum secundum quamdam nominis extensionem vocantur orationes quandoque, quia oratio est ascensus animi ad Deum, secundum quamdam definitionem. Unde *Glossa* super illud *Matth. 17:* Hoc genus demoniorum non ejicitur nisi per orationem et jejunium, dicit: Oratio generalis non solum est in verbis, sed in omnibus quae in obsequium Dei et fidei devotionem gerimus. Sicut ergo sub parte satisfactionis quae est jejunium comprehenditur omnis carnis afflictio, et sub eleemosyna omne genus pietatis, ita sub oratione omnes actiones spirituales. Cum ergo dicitur quod in oratorio nihil aliud agatur quam orare, non prohibentur per hoc fieri ibi actiones praedictae spirituales.

Sed iterum quaeritur numquid non licet in casu ibi comedere, vel jacere? Respondeo: Non, regulariter; sed dispensative ex causa.

Sed iterum quaeritur numquid licet ibi dispensative emere vel vendere, sicut comedere, cum Dominus ejecit ementes et vendentes de templo? Respondeo: Non, quia ista quasi nunquam exercentur sine peccato.

Ex hiis collige quod actiones spirituales regulariter possunt ibi fieri; actiones vero corporales, quae sunt necessitatis et sine peccato, possunt ibi fieri dispensative; actiones vero, quae vix aut nunquam sunt sine peccato, nullatenus debent ibi fieri, nisi forte in necessitate (2) praegrandi.

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: deputatas est ut.... incitet. — (2) Cod. Sp.: peregrinandi.

LIII. De commendatione orationum secretarum, seu extraordinariarum.

Quarto, attendendum est quod in hoc quod Augustinus prohibet impediri illos qui fortasse interdum orare volunt praeter horas constitutas, manifeste commendat hujusmodi orationes secretas, quae procul dubio sunt signum evidens sanctitatis, et a viris religiosis cum omni diligentia sunt sectandae. Hujusmodi exemplum reliquit nobis Salvator qui, cum nullo indigeret, toties tamen legitur orasse sic, ut nos ad hoc suo provocaret exemplo. Hujusmodi exemplum reliquerunt nobis Apostoli, qui ministerium mensarum propter hoc relinquentes, dixerunt, *Act. 6*: Considerate viros ex vobis quos constituamus super hoc opus, nos vero orationi instantes erimus. Hujusmodi exemplum reliquerunt nobis fere omnes antiqui sancti, sicut patet in gestis eorum. Unde et sanctissimus pater Paulus primus eremita mortuus inventus est appodiatus ad arborem, ore et manibus in coelum erectis, quasi orans. Hujusmodi exemplum speciale reliquit nobis sanctus Dominicus pater noster qui tam frequenter etiam pernoctabat in orationibus, carens lecto. Hujusmodi exemplum reliquerunt nobis primitivi fratres, sicut dicunt illi qui viderunt statum ordinis primitivum. Unde cum quidam frater de primitivis factus fatuus, ut creditur, ex nimia devotione, devenisset Parisius, et quodam die intrasset ecclesiam nostram quae nunc est, et nullum fratrem invenisset ibi orantem, et recordatus quomodo ecclesia prima parvula quasi semper erat plena fratribus orantibus in tempore quo ante ibi fuerat, quaesiisset cujus esset illa ecclesia quae nunc est, et cum dictum fuisset ei quia erat fratrum, ait: « Absit! haec non est ecclesia Fratrum Praedicatorum. Ecclesia enim eorum est quaedam ecclesia parvula, plena fratribus orantibus, ante alteria prostratis per totam Ecclesiam: haec autem non est talis. Ex quo patet quam assidui fuerunt illo tempore fratres in hujusmodi orationibus.

Ad commendationem autem hujusmodi orationum, sciendum est quod habent aliquas praerogativas super orationes solemnes, quae fiunt ordinarie horis et temporibus constitutis in officio ecclesiastico. Illae (1) enim quae sunt in communi officio pro majori parte magis

(1) Codd. Sp.: et Grat. illa.

sunt laudes quam petitiones; laudes vero magis ad patriam pertinent, quae est in plenitudine petitionis, juxta illud, *Joan. 16:* Illo die me non rogabitis quidquam; (1) e converso ad viam in qua est status indigentiae magis pertinent petitiones juxta illud Joannis, *eod. cap.:* Petite, hic scil., quantum ad orationes, et accipietis, gloriam, scil., quantum ad laudes divinas. Secretae vero orationes sunt petitiones magis quam laudes, et ideo magis sunt in praesenti necessariae.

Praeterea, in communi officio, cum sunt ibi petitiones, sunt certae, et interdum tales quibus qui interest non multum indiget; in orationibus vero secretis petit quilibet quod sibi placet secundum indigentiam suam, secundum modum Augustini dicentis in oratione sua: Miser sum, misericors es; infirmus sum, medicus es, et similia. Cuilibet autem magis necessarium est magis laborare pro eo quo indiget magis.

Praeterea, orationes communis officii sunt de institutione Ecclesiae; orationes vero secretae de institutione Dei, juxta illud, *Matth. 6:* Tu vero clauso ostio ora Patrem tuum. Et de sic orando legitur exemplum dedisse Dominus, de alio vero modo orandi non. Et ideò sunt majoris necessitatis: unde et ad omnes pertinent. Ex his ergo tribus patet quod sunt majoris necessitatis.

Item, habent in se aliqua propter quae videntur esse majoris efficaciae. Sunt enim magis mentales quam vocales: hoc autem multum facit ad efficaciam orationis. *Ps. 4:* Cum invocarem, id est, intus vocarem, exaudivit me Deus.

Praeterea, generant majorem affectionem. Potest enim sic orans plus morari circa singula meditando, et ex hujusmodi morosis cogitationibus generantur majores affectiones desideriorum sanctorum. Hujusmodi autem affectiones multum faciunt orationes efficaciores, juxta illud, *Ps. 9:* Desiderium cordis eorum audivit auris tua.

Praeterea, sunt puriores, quia nihil vanitatis eis admisceri potest sic de facili sicut vocalibus, quae sunt et fiunt coram hominibus. Oratio vero quanto purior, tanto efficacior est. Bernardus, *Super Cant.:* Quam munda et sincera est oratio nulla respicientis laude vel adu-

(1) Codd. Sp. et Tol.: non interrogabitis quaecumque.

latione tentata! Ex iis ergo tribus patet quod hujusmodi orationes sunt efficaciores.

Item, liberius effunduntur, secundum illud, *Ps. 141:* Effundo in conspectu ejus orationem meam. Quae autem in conspectu hominum non ita libere, quia habent interdum impedimentum ab eis.

Praeterea, magis in promptu possunt haberi, quia communes indigent quibusdam libris interdum, et loco et sociis interdum, et certo tempore: in istis vero non sic; sed omni tempore, omni loco et sine omni socio potest orari. Sic (1) *Ps.. 41:* Apud me oratio Deo vitae meae, quasi diceret: in potestate mea est.

Praeterea, deficientibus etiam viribus corporis humani, non oportet deficere spiritum; unde de sancto Martino infirmo dicitur: Invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Non autem sic est de officio divino.

Ex iis ergo tribus patet quod facilius est sic orare. Cum ergo magis sint necessariae, et magis efficaces quoad multa, et facilius possint emitti, constat quod habent prerogativas multas super orationes ordinarias, propter quas sunt cum omni devotione sectandae.

LIV. Quare libentius est orandum in loco sacro.

Quinto, notandum est quod licet hujusmodi orationes in omni loco possint fieri, secundum Apostolum dicentem, 1 *Tim. 2:* In omni loco levantes puras manus, tamen competentius et fructuosius in oratorio effunduntur. Quod innuit sanctus Augustinus cum impeditiva (2) istarum orationum in oratorio fieri interdicit. Quod apparet ex rationibus multis.

Pie enim creditur quod Dominus facilius exaudit orationes quae fiunt in loco ad hoc sibi deputato, 2. *Paral. 7:* Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem ejus qui in loco isto oraverit.

Item, credendum est quod sancti angeli locum talem sanctum magis frequentant qui est domus Dei; unde in hujus rei argumentum vidit Jacob, *Gen. 28*, angelos Dei ascendentes et descendentes in loco qui dictus est Bethel, id est, domus Dei. Ipsi autem sunt

---

(1) Cod. Sp.: sicut. — (2) Cod. Grat. Impedimenta.

qui necessarii sunt orantibus ad deferendum orationes eorum (1) coram Deo.

Item, probabile est quod daemones, qui libenter impediunt orationes, non audent ita accedere ad hunc locum sanctum sicut ad alia, prae terrore quem incutit eis. *Gen. 28:* Quam terribilis est locus iste! Quod verum est, praecipue daemonibus.

Item, omne oratorium consecratum est in honore alicujus sancti. Pium est autem credere quod sanctus patronus ecclesiae specialem curam habeat de convenientibus ad locum sui patronatus, sicut princeps terrae de hiis qui conveniunt ad loca sui dominii, sicut invenitur de B. Jacobo et multis aliis sanctis, qui specialiter juvant aliquos accedentes ad sua oratoria. Cum ergo sic orantibus non modicum necessarium sit adjutorium sanctorum qui sunt potentes apud Deum, secundum illud, *Job. 5:* Ad aliquem sanctorum convertere, consultius oratur in locis sacris quam alibi.

Item, ibi ut frequentius est corpus Domini et reliquiae sanctorum. Quis autem dubitet quin ista valere possint quam multum ad orationes salubriter (2) promovendas? Si enim princeps facilius recipit petitiones in conspectu magnorum, et maxime amicorum, sibi factas, quare non idem sperandum est de Domino? Ideo sicut dicitur *ad Hebr. 9,* manna, quod significabat corpus Domini, et virga Aaron, et tabulae Moysi, tanquam eorum reliquiae custodiebantur in propitiatorio, sive oraculo, et non alibi, tamquam competentia orationi et propitiationi.

Item, ibi sunt imagines Crucifixi, beatae Virginis, sanctorum et angelorum, ut frequenter. Hae autem sensibiliter in mentem introducunt (3) horum memorias, quae introductae multum valent frequenter ad excitandam devotionem: devotionis autem affectus summe facit orationem efficacem. Augustinus *Ad Probam* de orando Deum, ait: Dignior sequitur effectus, quando ferventior praecedit affectus, juxta illud, 1 *Cor. 4:* Ad affectum cordis respicit Deus.

Ex iis ergo patet quod libentius faciendae sunt orationes secretae

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: suas. — (2) Cod. Sp.: sanctorum. — (3) Cod. Grat.: Hoc.... introducit.

in oratoriis quam alibi. Sic autem faciebat egregius orator David qui dixit, *Ps. 5:* Adorabo ad templum sanctum tuum. Sic etiam faciebant boni et mali quondam. *Luc. 18:* Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus pharisaeus et alter publicanus. Sic etiam faciebant apostoli magni. *Act. 3:* Petrus et Johannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.

LV. Quare propter orationes extraordinarias non sunt dimittenda alia ordinarie facienda, nec corporales actiones, et maxime à fratribus laicis.

Sexto, notandum quod licet ad servos Dei devotos pertineat semper sic libenter orare, tamen propter hujusmodi orationes extraordinarias non debent dimitti ea quae ordinarie sunt facienda, et ideo dicit beatus Augustinus: « si eis vacaverit », innuens e contrario quod cum instent aliae occupationes ordinariae, non sunt propter orationes hujusmodi extraordinarias dimittendae, quod constat multis rationibus evidenter.

Qui enim propter orationes hujusmodi dimittit facere quod debet secundum professionis votum, est sicut usurarius qui libentius dat quod non debet quam reddit quod debet. Quo contra, *Rom. 13:* Reddite omnibus debita.

Item, insistere orationibus hujusmodi, relictis communibus occupationibus, sapit singularitatem: hoc est autem quod multum nocet in religione sicut fera in vinea. *Ps. 79:* Singularis ferus depastus est eam, scil. vineam Domini.

Item, ista procedit ex propria voluntate: illa autem ex aliena ordinatione, quod magis acceptat Deus in discipulis suis. *Joan. ult.:* Alius te cinget, et ducet quo tu non vis.

Item, oratio est ad impetrandum quod faciamus quod debemus facere: ergo facere quo debemus finis est orationis. Finis autem melior est quam id quod est ad finem. Patet igitur quod melius est facere communia quam sic orare. *Eccle. 7:* Melior est finis orationis quam principium.

Item, sicut est duplex (1) praedicare, scil. verbo et opere, sic est duplex orare, scilicet verbo et opere. Unde auctoritas: Non cessat orare qui non cessat benefacere. Sed efficacior est praedicatio

(1) Codd. Sp. Tol. et Vien.: dupliciter.... dupliciter....

operis quam sermonis, et oratio operis efficacior est quam vocis. Non sunt ergo opera relinquenda quae incumbit facere (1) propter orationem.

Item, ille qui facit quod alii faciunt non habet ita unde de vana gloria tentetur, sicut ille qui non est sicut caeteri hominum. Oratio ergo extraordinaria facilius fermentatur vanitate quam communis operatio. Ergo (2) est minus accepta Deo, quia noluit Dominus in Lege quod in aliquo sacrificio offerretur fermentum. Ideo dicit per Amos, *Amos 4,* deridendo: Venite in Bethel; et post: Et sacrificate de fermento laudem, et vocate voluntarias oblationes. Quod ideo dicitur quia istae voluntariae oblationes, id est orationes, facile fermentantur.

Item, hii qui relictis cummunibus sequestrant se in orationibus hujusmodi, sunt sicut ovis segregata quam facilius invadit lupus. Sunt etiam sicut Thomas, qui segregatus ab aliis Dominum videre non meruit. Ad istos etiam pertinere videtur quod dixit *Judas:* Hi sunt qui segregant semetipsos animales; quia sicut animalia facile se a grege segregant, et ideo Spiritum non habent: quia sicut bonus abbas facit quandoque pitanciam in conventu, et non vult quod habeant qui non intersunt cum aliis, ita Dominus spirituales gratias et consolationes facit congregatis in opere communi, quarum non sunt participes qui se ab aliis sequestrant.

Sciendum autem quod non solum spirituales occupationes ut lectio, officium ecclesiae, et similia, non sunt dimittendae propter hujusmodi orationes, sed nec etiam corporales actiones quae sunt ad vitae sustentationem necessariae, ut sunt procuratio necesitatum, opera officiorum, et servitia varia pro fratrum necessitatibus.

Certum est enim quod ex hiis occupationibus sequitur aliqua utilitas. De oratione vero sua nescit aliquis utrum sit tantae efficaciae apud Deum quod sibi vel aliis multum prosit: certa autem bona praeferenda sunt incertis. Augustinus: Tene certum et dimitte incertum.

Item, sub pallio hujusmodi orationum quasi vitae contemplativae

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: incumbunt fieri. — (2) Cod. Tol.: Sic ergo.

frequenter nutritur accidia, et refugiuntur opera laboriosa, contra illud *Eccli. 7:* Ne oderis laboriosa opera et rusticationem ab Altissimo creatam. (1) Unde, *Gen. 31,* legitur Rachel, quae est figura vitae contemplativae, aliquando habuisse idola in abscondito, quae se non movent, et significant accidiam.

Item, cum quis vacat operibus per quae aliis subvenit, et facit opus pietatis quod est super omnia opera, etiam ipsum opus supplet orationem in eo. *Eccli. 29:* Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et ipse orabit pro te; et eadem ratione in aliis operibus pietatis. Oratio vero non supplet necessitates quae procurantur per opera pietatis in laborando pro invicem. Si enim semper orarent homines et non laborarent in serviendo mutuo, multas indigentias sustinerent. Exemplum in *Vitis Patrum.* Venit quidam frater ad abbatem Silvanum in monte, et vidit fratres operantes, et dixit eis: Operamini cibum qui non perit: Maria enim optimam partem elegit. Et dixit abbas discipulo suo: Voca Zachariam, et dic ei ut ponat fratrem istum in cella ubi nihil sit. Et fecit sic. Cum autem fuisset hora nona, ascendebat ad ostium ut videret si vocarent eum ad manducandum. Cum autem nullus eum vocaret, ivit ad abbatem et dixit ei: Abba, hodie non comedent fratres? Et dixit abbas: Etiam! Jam comederunt. Et dixit frater: Et quare non vocasti me? Et dixit abbas: Tu homo spiritualis es, et non indiges isto cibo, et optimam partem eligisti. Nos autem carnales sumus, et propterea laboramus ut manducemus. Quod cum audisset frater, prostravit (2) se poenitentiam agens, et dicens: Ignosce mihi, abba. Ideo Augustinus in libro *De opere monachorum* reprehendit monachos, qui abutentes auctoritate Evangelii dicentis: Consideratae volatilia coeli quod non laborant, dicebant monachis non esse laborandum, sed tantum esse Deo vacandum.

Item, per hujusmodi opera acquiruntur alii oratores majoris efficaciae. *Job. ult.:* Sumite vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job., et offeret pro vobis holocaustum, et

---

(1) Cod. Grat.: opera rusticitatis ab Altissimo creata. — (2) Codd. Vien. et Sp.: Quod audiens frater, prostratus poenitentiam agens, dixit....

ipse orabit pro vobis, et faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia.

Item, per hoc potest fieri oratio magis continua, et impleri melius verbum apostoli dicentis, 1 *Thess. 5*: Sine intermissione orate. Exemplum in *Vitis Patrum*. Venerunt quidam fratres qui dicebantur euchitae, (1) id est orantes, ad abbatem Lucium. Et dixit eis: Quod est opus vestrum? Et dixerunt: Nos non contingimus aliquod opus, sed sicut dicit apostolus, sine intermissione oramus. Et dixit senex: Et non dormitis aliquando? Et iterum: Non manducatis? Et nescierunt quid dicerent. Et dixit eis senex: Ignoscite mihi, quia non facitis quod dicitis. Ego autem vobis ostendam (2) quia et manibus operor, et sine intermissione oro. Et dixit: Ecce sedeo, et infindo mihi paucas palmas ut faciam plectam, et dico: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Oratio est annon? Et dixerunt: Sic. Et ille: Cum sic permansero tota die, et lucratus fuero sex denarios, vel plus vel minus, do duos ad ostium pauperibus, et reliquos manduco; et ipsi, dum dormio et manduco, orant pro me, et sic per gratiam Dei impletur illud dictum apostoli in me: Sine intermissione orate.

Item, homines erunt sicut angeli Dei, *Matth. 22*, sed nondum sunt, quia indigent alimonia, et ideo non est hominis modo ex toto vacare Deo, sed necessitatibus humanis habet intendere. Exemplum in *Vitis Patrum*. Dixit abbas Johannes brevis staturae fratri suo majori: Volo esse sicut angeli nihil operantes, sed sine intermissione Deo vacantes; et exutus vestibus intravit eremum profundum. Cum autem ibidem stetisset per hebdomadam, rediit ad fratrem suum; et cum pulsasset, dixit ei frater: Quis es tu? Et dixit: Ego sum Joannes. Et respondit: Joannes inter angelos est, et ultra inter homines non comparet. At ille: Immo vivo: ego sum Joannes. Frater autem non aperuit ei usque mane, dimittens eum affligi. Postea vero aperiens ei dixit: Si homo es, opus habes operari ut pascaris. Ille autem poenitentiam agens dixit: Ignosce mihi quia peccavi; recognoscens quod hominis est in praesenti non solum Deo vacare, sed etiam laborare propter necessitates corporis, quod nondum est spirituale sed ani-

(1) A graeco εὐχή. Codd. hic passim errant. — (2) Cod. Sp.: ostendo.

male. Et ideo dixit apostolus, 2 *Thess. 5:* Si quis non vult operari, non manducet.

Item, illi qui relinquunt hujusmodi laborem aliis et ipsi nolunt laborare, frangunt poenitentiam universaliter injunctam in persona primi parentis omnibus, de qua poenitentia, *Gen. 3:* In sudore vultus tui, non alieni, vesceris pane tuo.

Attendendum autem quod licet in omnibus fratribus reprehensibile sit dimittere laboriosa opera, quibus fratrum necessitatibus (1) subvenitur, propter orationes hujusmodi, tamen magis est reprensibile in fratribus laicis (2): non enim esset laudabile quod a patrefamilias vocatus operarius ad laborandum in vinea sua, illud dimitteret propter orationem longam quam faceret in ecclesia. Ipsi autem fratres laici (3) vocati sunt proprie ad operandum, sicut clerici ad alia spiritualia, et ideo debent illud ad quod vocati sunt diligenter exercere. 1 *Cor. 7*: Unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, in ea permaneat.

Item, divisiones gratiarum datae sunt ad hoc ut invicem se juvent servi Dei ex illis gratiis. Sicut ergo clerici ministrant eis gratias spirituales doctrinae et officii et hujusmodi quas acceperunt, ita et illi debent eos juvare ex gratia officii vel labore, prout acceperunt. 1 *Petr. 4:* Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.

Item, in corpore quod unum est sunt multa membra habentia actus et officia diversa. Unumquodque autem membrorum servit de officio suo, et officium alterius non assumit. 1 *Cor. 12*: In idipsum pro invicem sollicita sint membra. Fratres (4) laici ergo qui sunt manus cujus est operari, melius faciunt hoc sollicite agendo, quam si assumerent oculi officium, contemplationi ultra modum vacando. (5)

Item, status contemplantium altus est, status autem laborantium humilis est. Melius est autem in domo Dei currere ad humilia ex propria voluntate quam ad sublimia, cum ad ista non non cogit vo-

---

(1) Cod. Sp.: necessitas. — (2) Codd. Sp. et Il.: conversis vel laicis. — (3) Codd. Sp. et Il.: laici seu conversi. — (4) Codd. Sp. et Il.: conversi seu fratres laici. — (5) Cod. Sp.: vacandi.

catio, et ideo melius est eis laborare quam ultra debitum orare. *Luc. 14:* Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.

Item, cogitare debent quod qui sustinent praedicatores sunt sicut palus sustentans vitem: participes autem sunt bonorum quae per eos fiunt. *Matt. 10:* Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet. Et ideo libenter debent laborare pro sustentatione fratrum praedicationi, et animarum fructui deputatorum.

Item, homines saeculi de proprio labore pascunt et sustentant sacerdotem, qui quandoque est justus quandoque malus, propter spiritualia quae ab ipso recipiunt, et ad hoc tenentur secundum sententiam apostoli, 1 *Cor. 9:* Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnumne est si carnalia vestra metamur? Quantum ergo debent laborare fratres laici pro clericis, a quibus tot spiritualia doctrinae (1) bona, toties et tam bona exempla, et tot alia bona spiritualia recipiunt!

Item, saeculi homines laborant tam assidue, tam vehementer, tam sollicite pro vita sua quoquo modo habenda in mundo. Si ergo illi sic faciunt pro mundo, nihil aliud expectantes, quid debent facere servi Dei pro Deo, a quo gloriosam expectant remunerationem, si laborent in vinea ejus? *Matth. 20*: Cum sero factum esset, dixit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem suam.

Propter hoc igitur laudibilior est judicandus fratrer laicus qui, succincte dictis .orationibus ad quas tenetur, dimittit solemnitatem et multitudinem missarum, et prolixitatem officii in matutinis et alio tempore, et occupationes in serviendo in missis privatis, et orationes extraordinarias, ut plus de tempore expendat in corporali labore, quam qui in his se detinens et occupans, minus operatur tempore operandi sive de die sive de nocte, praecipue cùm non sit sine magno periculo, in ordine paupere et de eleemosynis vivente, eleemo-

---

(1) Cod. Grat.: a quibus tot spiritualia doctrinae toties et tam bonae, toties et tam buna exempla, et tot alia bona spiritualia sancta recipiunt! - Cod. Tol.:.... spiritualia doctrinae tam bonae, toties et tam bona, et tot....

synis pasci illi qui non est aptus ad seminandum aliqua spiritualia, nisi (1) per fructum sui laboris hujusmodi eleemosynas recompenset.

Sequitur: **Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore.**

Hic tradit mandatum circa attentionem quam debet habere orando vir religiosus in his quae dicit. Sed videtur inconvenienter loqui, cum dicit: « psalmis et hymnis, » cum omnis psalmus sit hymnus, sicut patet ac titulo Psalterii qui talis est: Liber hymnorum. Respondeo: Licet proprie loquendo omnis psalmus sit hymnus, tamen quia hymnus est laus Dei cum cantico, quandoque restringitur ad illos hymnos qui habent notabiliores cantus, et ideo accipitur hic pro illis qui in officio habent distinctum modum in cantu a psalmodia, ut sit sensus: Cum oratis Deum psallendo, sive alio modo, hoc versetur, etc.; vel aliter: « psalmis », id est, orationibus secretis, in quibus ut frequenter dicuntur psalmi; « et hymnis, » id est, orationibus sonoris, scilicet publicis. Est autem sumptus hujusmodi modus loquendi a Paulo dicente, *Eph.* 5: In psalmis et hymnis.

Et notandum juxta hoc quare Ecclesia in orationibus plus utitur psalmis quam aliis Scripturis canonicis.

Item, quare alios hymnos sive cantus adinvenit, qui non sunt de corpore Sacrae Scripturae.

LVI. Quare Ecclesia utitur potius psalmis quam Scripturis aliis in orationibus, et quare inveniuntur cantus.

Ad primun dicendum est quod memoria David, qui de tanto peccatore est factus tantus propheta, maxime valet ad elevationem spei nostrae: hujusmodi autem elevatio multum est necessaria orantibus.

Item, nulla Scriptura, scil canonica, habet tot orationes immixtas sicut psalmi: fere enim quidquid est in psalmis est oratio, immo orationes sanctissimae et devotae.

Item, orationes sunt ad assequendum salutares effectus: nulla autem Scriptura tot habet; unde auctoritas quae dicitur esse Augustini: Canticum psalmorum angelos invitat in adjutorium, effugat daemones, efficit sanctitatem, refectio mentis est, sicut sol illumi-

---

(1) Cod. Sp.: unde.

nat, sicut oleum defluit, voluntatem illicitam extinguit, iracundiam frangit, omnia penetrat, omnia implet, hominem deificat, sensum aperit, desiderium regni coelestis tribuit, ignem spiritualem in corde succendit, radices omnium malorum expellit, consolatio doloris est, notitia veri luminis est, taedium animae detrahit; qui diligit canticum psalmorum assiduum non potest agere peccatum. Ratione igitur auctoris et ratione psalmorum ipsorum, et ratione effectus eorum, juste in orationibus assumuntur.

Ad aliud vero dicendum quod antiquitus fiebant cantica nova secundum Scripturae auctoritatem tribus de causis, scilicet propter mirabilia, *Ps. 97*: Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit; propter beneficia recepta, *Ps. 39*: Et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis, et immisit in os meum canticum novum; propter spem futurorum bonorum, *Ps. 49.*: Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia Sanctorum; et post: Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem, exultabunt sancti in gloria, etc.

Cum ergo in tempore gratiae Deus fecit plura mirabilia, et plura contulit beneficia, et majorem spem futurorum, quid mirum si in hoc tempore facit Ecclesia novos cantus?

LVII. De corde habendo in orationibus.

Sed quaeritur de hoc mandato utrum (1) obliget. Respondeo: Augustinus, (2) sicut fit in canonica Scriptura, quaedam ponit in regula quae non sunt tam praecepta quam incitamenta ad bonum, de quorum numero hoc est unum: unde virtute regulae non obligatur ad hoc aliquis aliter quam obligetur ex jure divino.

Sciendum vero quod cum cor evagationem patitur in orationibus, aliquando hoc accidit ex infirmitate humana, aliquando ex negligentia, aliquando ex proposito. Licet autem totum sit reprehensibile, tamen tertium magis quam secundum, et secundum magis quam primum.

Item, sunt quaedam cogitationes cujusdam necessitatis, sicut cum incumbit aliquid alicui, de quo oportet eum cogitare, de quibus ha-

---

(1) Cod. Sp.: in margine: utrum. — (2) Cod. Sp.: Secundum Augustinum.

betur *Sap. 9:* Terrena inhabitatio (1) deprimit sensum multa cogitantem.

Aliae vanitatis. *Ps. 93:* Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt.

Aliae iniquitatis. *Sap. 1:* Perversae cogitationes separant animam a Deo. In orationibus cavendum est a primis, sed plus a secundis, sed plus a tertiis.

Item, quaedam oriuntur ex immissione daemonum; quaedam ex culpa praecedenti, ut cum quis ante orationem est adeo vagus quod illa occasione occurrunt ei orando, sicut et in somniando, quae ipsum impediunt; quaedam ex culpa praesenti, ut cum quis dicendo officium occupat se in aliis. Primum malum, secundum pejus, tertium pessimum.

Item, in orando occurrunt quandoque quaedam cogitationes utiles et de pertinentibus ad orationem, ut cum occasione alicujus verbi occurrentis in oratione cogitat quis aliquid utile ad sermonem; quandoque quaedam utiles, sed de impertinentibus; quandoque quaedam et impertinentes et inutiles: immo quandoque nocivae. Primae habent aliquam excusationem, secundae minorem, tertiae minimam.

Secundum ergo praecedentes differentias cogitationum, potest adverti quando plus debet quis timere conscientiae suae, cum patitur evagationes cogitationum in orando. (2)

Si vero quaeratur utrum teneatur repetere horas debitas ille qui non cogitat in his quae dicit, potest dici quod tanta posset esse evagatio, et tam culpabilis secundum supra notata, quod teneretur: alias verò non; sed sufficit de hujusmodi confiteri. Judicium vero istorum relinquendum est unctioni et rationi; vel potest dici quod in nullo casu, cum quis ore dixit horas, tenetur repetere, quia obligatio non transit nisi super actum exteriorem.

Porro multum debent omnes, et maxime religiosi, dare operam ut orando « versetur in corde quod profertur in ore. » Alias oratio eorum est simiatica. Simia enim interdum labia movet ad modum

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: cogitatio. — (2) Cod. Vien.: debeat.

orantis, licet nesciat quid dicat. *Matth. 15:* Populus hic labiis me honorat.

Item, in docendo, in disputando, in fabricando, et in omni actione etiam corporali, fatuus reputatur qui non cogitat in eo quod operatur vel facit, secundum *Glossam* dicentem super illud *Ps. 46:* Psallite sapienter: Nemo sapienter agit quod non intelligit. Quanto magis in orando! *Eccli. 21:* Os sapientium in corde ipsorum. Quod ideò dicitur, quia quod dicunt versatur in corde ipsorum.

Item, cum quis loquitur proximo suo, cogitat in eo quod dicit, et tanto magis quanto major est cui loquitur. Cum ergo orando loquamur summo Deo, quantum cogitare debet quilibet in oratione sua! Bernardus: Cum ad orandum in ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultum relinque exterius, ut soli Deo vacare possis: fieri non potest ut loquatur cum Deo qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur.

Item, oratio cibus est cordis. Sicut ergo amittit dulcedinem boni morselli qui non masticat eum, sic dulcedinem spiritualium orationum qui non conterit dentibus intelligentiae orationem. Bernardus: Cibus in ore, psalmus in corde sapit. Non negligat anima terere illum dentibus intelligentiae, ne, si forte integrum glutiat, frustretur sapore palatum, dulciore super mel et favum.

Item, in oratione petimus ut Deus nobis intendat, juxta illud, *Ps. 54:* Intende mihi et exaudi me. Quomodo autem est probabile quod hoc faciat, si nos nobis non intendimus? Bernardus: Quomodo mihi intendit, qui mihi non intendo?

Item, quod magis efficax est in oratione est ex parte cordis. Augustinus: Potius ad vocem cordis quam corporis aures ejus. Et Isidorus: Oratio cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Qui ergo cor non habet in oratione subtrahit quod melius est in oratione.

Ex his ergo patet quod necessaria sit in oratione cordis intentio. Propter hoc dicebat David propheta, 2 *Reg. 27:* Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te. Et Apostolus, 1 *Cor. 14:* Orabo spiritu, orabo et mente. Et de justo generaliter dicitur, *Eccli. 39:* Justus cor suum tradet ad vigilandum, etc.; et post: Et in conspectu Al-

tissimi deprecabitur. Et ad hoc invitat Petrus, 1 *Pet.* 4, dicens: Vigilate in orationibus. *Glossa*: Ne animus cogitet aliquid aliud praeter id solum quod precatur. Quod ut melius fiat, recolligendum est cor, cum acceditur ad orandum.

Interdum etiam respiciendum est in libro, ut melius cor applicetur ad ea quae dicuntur.

Solent etiam aliqui interdum propter idem dicendo psalmos numerare versus, et alia hujusmodi invenire remedia.

Sciendum tamen quod licet ex infirmitate humana non possit quis habere cor multum in suis orationibus, tamen non propter hoc tepescendum est ab oratione, quia pauper, licet non semper clamet, tamen sola instantia corporis diu sedendo ad portam movet dominum domus ad misericordiam. Et multo magis est de misericordia Domini confidendum.

Praeterea ipsae voces orationum, ut pie creditur, habent multam efficaciam, ut verba quae incantant serpentes.

Item, cum a principio orationis fuerit intentio meritoria, totum opus quod sequitur est meritorium, licet non semper actu cogitetur de illo, et valet opus orationis, etsi non per modum orationis, tamen per modum meriti.

Sequitur: **Et nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est ut cantetur non cantetur.**

Hic tradit mandatum circa maturitatem in cantando, mandans ut non aliud quam quod scriptum est cantetur, cum dicit: « Et nolite, » etc.; neque aliter cum dicit: « quod autem non ità. » etc.

Habetur autem argumentum ex iis quae hic dicuntur quod cantus ecclesiasticus habuit originem non solum a tempore Gregorii, sed longe ante, cum Augustinus defuerit (1) longe ante.

Item, quod diligens cura est habenda de libris ecclesiastici officii habendis, cum nec aliud nec aliter quam scriptum sit sit cantandum.

---

(1) Cod. Grat.: fuerit.

Item, quod cavendum est diligenter ne quis audeat attentare circa officium, nisi quod a majoribus est traditum in scriptis.

Item, quod cum oporteat secundum traditionem factam in scriptis facere officium, cura habenda est cuilibet cui incumbit officium dicere vel facere, ut sciat quae continentur in libris.

LVIII. De utilitatibus cantus vocalis.

Circa primum notandum est quod, licet haeretici reprehendant cantus vocales Ecclesiae, tamen Ecclesia non sine magna ratione ipsos instituit.

Habet enim hujusmodi cantus sive jubilus multos utiles effectus. Unus est quod cor liquefacit in affectum sanctum. Unde de beato Augustino patre nostro scriptum est: Flebat autem uberrime in hymnis et canticis, suave sonantis Ecclesiae vocibus vehementer affectus.

Item, mentem elevat. Bernardus: Oculos cordis attollit jubilus laudis, unde multi rapiuntur in extasim in hujusmodi jubilatione. Et ideò postquam dictum est in *Ps. 67:* In ecclesiis benedicite Deo Domino, sequitur: Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.

Item, tristitiam malam depellit. *Glossa* super illo verbo *Jac. 5.:* Tristatur aliquis vestri, etc.: Crebra psalmodiae dulcedo nocivae tristitiae pestem depellit; ideò dicit David, *Ps. 70:* Exultabunt labia mea, id est, ita replebor gaudio quod in labiis apparebit, cum cantavero tibi.

Item, praeparat viam cordis Domino ad infusionem multiformium gratiarum. Gregorius, *Super. Ezech.*: Cum vox psalmodiae per intentionem cordis agitur, omnipotenti Domino iter ad cor preparatur. *Ps. 67:* Psalmum dicite nomini ejus, et sic iter facite ei. Et, 4 *Reg. 3:* Cum caneret psaltes facta est super Elisaeum manus Domini. Et isti sunt quatuor effectus in anima.

Item, diabolum fugat. 1 *Reg. 16*: David tollebat citharam, et psallebat manu sua, et refocillabatur Saul, et melius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.

Item, Deum delectat, unde in Canticis dicit Ecclesiae, *Cant. 2:* Sonet vox tua in auribus meis.

Item, militantem Ecclesiam vertit in similitudinem triumphantis quae semper jubilat. Bernardus, *Super Cant.*: Nihil in terris ita pro-

prie repraesentat quemdam coelestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum.

Item, inimicos Ecclesiae conturbat. 2. *Paral. 20:* Cum que coepissent laudes canere, vertit Dominus insidias inimicorum in semetipsos, et percussi sunt.

Felices effectus isti, et felix illa jubilatio quae duritiam cordis resolvit, quae terrenam mentem elevat, quae tristitiam saeculi depellit, quae ad susceptionem divinae benedictionis viam praeparat, que diabolum fugat, Deum delectat, militantem Ecclesiam triumphanti assimilat, hostesque ipsius confundit!

Porro circa libros ecclesiasticos bene correctos et bene legibiles habendos est magna diligentia habenda. (1) Per ipsos enim dirigimur in ea quae pertinent ad Deum: per scholasticos vero in ea quae pertinent ad proximum, ut est docere, et praedicare, et hujusmodi. Magis vero curandum est nobis de hiis quae pertinent ad Deum, quam de hiis quae pertinent ad proximum.

Item, hujusmodi libri sunt communes, et omnes illis utuntur: non est autem ita de scholasticis. Communia vero praeponenda sunt propriis.

Item, ad istos necesse habent recurrere senes et male videntes, et nimis provecti, et hujusmodi defectus habentes, et ideo magis necesse est ut de hiis competenter provideatur.

Item, pertinent ad ornatum ecclesiae, et ideo meliores esse debent, sicut et alia quae pertinent ad ornatum.

Item, ex defectu (2) eorum fiunt defectus et errores in officio, unde plures turbationes et scandala oriuntur quam ex insufficientia aliorum librorum, quae sunt valde cavenda in officio divino.

Cavendum est autem cuilibet ne aliud vel aliter quam scriptum est in libris cantet vel legat ex proprio sensu. Magis enim sequenda est auctoritas majorum quam etiam ratio, quia illud habet humilitatem, istud presumptionem, sicut dicit expositor regulae.

Praeterea, si iste vult cantare aliud quam sit scriptum et ille similiter, fiunt divisiones et turbationes in officio.

---

(1) Cod. Grat.: adhibenda. — (2) Cod. Grat.: Cum ex defectu.

Item, tolerabilius est aliquid minus bene cantari vel legi, dummodo non sit error intolerabilis, qui nusquam invenitur in libris, quam fieri turbationem in officio, et ideo semper faciendum est officium secundum libros.

Denique sciendum quod valde curandum est cuilibet ut sciat quae scripta sunt in officio. Si enim studetur cum tanta diligentia in illis ad quae nullus tenetur, quanto magis in illis ubi addiscunt homines illa ad quae tenentur! Haec est scientia salutaris, scilicet pertinens ad salutem.

Sequitur: **Carnem vestram domate jejuniis et abstinentia escae et potus, quantum valetudo permittit.**

Hic tradit mandata circa secundam partem poenitentiae, quae pertinet ad carnis macerationem, et dat tria circa hoc mandata.

Primum pertinet ad potentes, secundum ad impotentes, ibi: « Cum autem aliquis non potest jejunare »; tertium ad utrosque, ibi: « Cum acceditis, ad mensam » etc.

Et vide quod secundum surgit ex primo, et tertium ex secundo. Cum enim dicit: « quantum valetudo permittit, » quia posset aliquis dicere: (1) Quid faciendum est impotentibus, subjungit: « Cum autem aliquis non potest, » etc. Et quia in illo dicit: « non tamen extra horam prandii, » etc., ideo subjungit quid in prandio utrisque sit agendum cum dicit: « Cum acceditis, » etc.

Circa primum vero dans mandatum dicit quid carni faciendum, quia domanda, non extinguenda; et per quae, quia per duo, scil. per jejunia et abstinentias duplices, scilicet escae et potus; et quantum, scilicet quantum valetudo permittit.

LIX. Quod ad praedicatorem multum pertinet carnis maceratio.

Et notandum quod licet ad omnes servos Dei pertineat carnem domare, sicut leguntur fecisse fere omnes sancti, juxta illud Gregorii: Ecce electi Dei carnem domant, tamen specialiter requiritur hoc a praedicatore.

Praedicatoris est enim frequenter praedicare Jesum Christum et hunc crucifixum, 1 *Cor. 1, 2,* et ad hujusmedi etiam crucifixionem

(1) Cod. Vien.: credere. - Cod. Sp. in margine: quaerere.

alios inducere. Quanta autem verecundia est hujusmodi praedicare a corpore incrassato! Hieronymus *Super prophetam Michaeam*: Annon confusionis et ignominiae est Jesum crucifixum magistrum pauperem atque esurientem farsis praedicare corporibus, et jejuniorum doctrinam rubentes buccas et tumentia ora proferre?

Item, praedicatoris est modo in praedicationibus, modo in confessionibus, modo in consiliis imponere aliis vel persuadere ut carnem suam doment. Quid autem prodest homini ita esse sollicitum de aliis circa ista, et pro salute sua digito nolle tangere talia? Ideo dixit e contrario Apostolus, 1 *Cor. 9:* Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar, scil. non curando de me sicut de aliis.

Item, praedicatoris est discurrere per mundum inter foeminas et alia incentiva ad malum innumerabilia, et ideo si corpus ejus non fuerit edomitum, de facili praecipitabit eum in praecipitia multorum vitiorum, plusquam si remaneret in claustro inclusus, sicut equus indomitus in stabulo Et ideo dixit sancta Syncleticen in *Vitis Patrum:* Jejunium frenum est monacho ad peccatum vitandum. (1) Qui ergo abjicit jejunium, sicut equus fervens desiderio foeminae rapitur.

Item, praedicator nuntius est missus a Rege coelesti. Non solet autem credi nuntio, nisi ostendat signa per quae constet ipsum esse vere nuntium, et de familia illius a quo dicit esse se missum. Unde et Dominus quando misit Moysen ad filios Israel, dedit ei signa per quae crederetur ei. Praedicator ergo debet signa domini sui portare manifeste. Haec autem sunt carnis maceratio. *Gal. 5:* Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt.

Item, praedicatoris est per famam sanctitatis mundum ad se trahere. Nulla autem sunt opera virtutum quae tam famosum faciant hominem in sanctitate apud homines sicut abstinentiae, quia hae videntur (2) magis sensibiliter, et ideo praedicator debet in hiis abundare, ut sic homines melius attrahat; et sic reperitur de Johanne Baptista, *Matth. 3,* ubi cum dictum fuisset: Esca ejus erat locusta

---

(1) Cod. Sp.: in margine: contra peccatum. — (2) Cod. Vien.: haec vident.

et mel silvestre, statim sequitur: Tunc exibat ad eum Jerosolyma et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem.

Item, praedicatio Christi, quae docuit animam (1) perdere, summe est contraria sectae Epicuri quae dicit corpora impinguanda. Proinde differunt quia Epicurus habet in suo armento pingues pecudes, Christus vero macilentas. Unde Hieronymus *Ad Jovinianum* sectatorem Epicuri dicit: Quos (2) buccis rubentibus video de tuo armento sunt: de nostro grege tristes et pallidi sunt. Quid autem indecentius quam praedicatorem Christi videri discipulum Epicuri?

Item, praedicatoris est laudes Dei dulciter personare: pellis autem pinguis non bene resonat, et ideo sicut de pellibus desiccatis fiunt tympana ad bene cantandum, sic dulcius resonat laudes divinas praedicator siccus quam pinguis, et ideo secundum Gregorium (3) dicitur in *Ps. 150*: Laudate Dominum in tympano, quod sit scilicet de pelle desiccata.

Item, praedicatoris est praedicare de Scripturis sanctis, et ideo debet se aptare ad penetrandum subtilius usque ad secretas intelligentias. Ad hoc autem multum valet carnis maceratio, quia secundum Hieronymum, pinguis venter sensum non gignit tenuem. Exemplum de Daniele, *Dan. 1*, cui vescenti leguminibus et aquam bibenti data est intelligentia visionum.

Item, praedicatoris est inducere homines ad vitam Christi tenendum, ut sicut ipse ambulavit ita et ipsi ambulent. Melius autem docet pingere qui non solum verbo, sed etiam imaginem ostendendo docet, et ideo praedicator debet vitam Christi non solùm verbis praedicare, sed etiam in se ostendere. Et ideo dicit Paulus, 2 *Cor. 4*: Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu Christi manifestetur in corporibus nostris, id est manifeste appareat. Quid autem fuit vita ejus, nisi quaedam corporis ejus mortificatio?

Propter hoc igitur quia tam conveniens est praedicatorem carnem domare, statuerunt non immerito patres nostri ut summa jejunia

---

(1) Cod. Grat.: animas. — (2) Cod. Grat.: Quod. — (3) Cod. Tol.: secundum expositionem Gregorii.

quae inveniuntur apud aliquos religiosos, scilicet a Festo crucis usque ad Pascha, et summam abstinentiam, scilicet a carnibus, haberemus.

LX. De malis quae facit ingluvies ventris in religione.

Sed sunt quidam miseri religiosi qui non secundum spiritum, sed secundum carnem ambulantes, ventris ingluvie superati, vitae austeritatem quam assumpserunt voluntarie post experientiam exhorrentes, inconvenientia multa hac occasione committunt.

Hoc est enim quod interdum fugat eos de statu claustrali, sicut dicitur de lupo famelico (1) quem fames fugat de nemore: modo si occurrat opportunitas, facile transeuntes ad dignitates contempto periculo curae animarum; modo, si hoc non possunt, libenter morantes in curiis, et in statu verecundiae pleno; modo ad aliam religionem se transferentes, non animo austeriorem vitam ducendi, sed laxiorem; modo, quod pejus est, cum apostasiae crimine, ad saeculi Egyptum propter ejus cibaria revertentes, et in hiis omnibus ventris refectionem quaerentes, et, proh dolor! cum eam inveniunt non possunt ab ea separari, sed in ea detenti nunquam revertuntur ad claustrum, sicut corvus adhaerens cadaveri non est postmodum ad arcam reversus.

Item, hoc est quod remanentibus in claustro quibusdam facit (2) eis interdum sic illud displicere ut carcerem. Exemplum. Vidi ego quamdam fratrem de morantibus in curiis, qui cum captus fuisset cum domino suo a domino Frederico, et traditus cuidam civi ad custodiundum, laboraverunt fratres ut cum eis posset morari. Quod cum obtinuissent, et aliquot diebus cum eis fuisset, videns austeram vitam eorum, magis elegit redire ad carcerem quàm cum eis amplius commorari.

Item, hoc est quod facit aliquos quasi in continuo discursu esse, nec possunt in claustro teneri; sed in locis in quibus laute procurantur exterius continue intendentes. Cum autem sunt in conventibus in quibus melius procurantur quam extra, vix possunt ad aliqua negotia etiam sancta emitti. Et facti sunt similes histrionibus qui semper frequentant loca ubi sunt convivia meliora. Contra quod dicitur, *Ec-*

---

(1) Cod. Grat.: de lupo quem. - Cod. Tol.: quod fames fugat eum.... — (2) Cod. Grat.: fecit.

cle. 7: Melius est ire ad domum luctus, in qua scilicet male comeditur, quam ad domum convivii, ubi scilicet sunt epulae in abundantia. Isti qui sic vexantur ab ista peste sunt qui non possunt residere in oratione, nec instare lectioni, nec hujusmodi spiritualibus vacare: sed assueti per domum circumire, modo explorant quid comedetur, modo expectant si aliquid deforis apportetur, modo solem aspiciunt quantum ascenderit, modo sacristam molestant non pulsantem ad horam, (1) quod (2) transierit hora comendendi, modo morantur propre hospitium, si forte occurrit occasio quod ibidem invitentur. Si desunt aliqua, murmurant sicut filii Israel in deserto; si restrictiones circa carnalia fiant, pro viribus se opponunt; si datur poenitentia pertinens ad abstinentiam, aut non faciunt, aut tantum differunt quod sepelitur in oblivione. In dispensationibus secum faciendis super abstinentiis necessitatem vel rationem aliquam non attendunt; praelatos circa hoc faciles optimos reputant et commendant, rigidos vero in hiis intolerabiles reputantes quam cito possunt ejiciunt. Si vero infirmitate vel senio contingat eos debilitari, tantam curam habent carnis in medicinalibus, in recreationibus et hujusmodi, quod ab hiis avelli non possunt, licet aliquando hujusmodi visi fuerint non curare. Et sicut dicitur in libro *Collationum:* Similes sunt aquilis qui in alto volantes subito se dejiciunt ad cadaver, ipsi inseparabiliter adhaerentes.

Interdum autem (3) propter hujusmodi cadaver incidunt in vitium proprietatis cujusdam, semper apud aliquos procurantes haberi aliquid ad quod habere recursum possint, providentia divina deficiente eisdem.

Interdum vero in tantum excedunt in cibis, et potibus, et medicinalibus, et in coenis serotinis, quod carnem miseram cui fomenta ministrare debuerant, destruunt, more illorum qui quos debent balneare interdum suffocant et extinguunt.

Quis his consideratis non judicat quod Nabuzardam princeps coquorum, id est gula, domum Domini, id est religionem totam, destruit et incendit, sicut, 4. *Reg.* 25, dicitur.

LXI. Quod abstinentiae et jejunia sunt rigide observanda.

Proinde disciplina abstinentiarum, sicut statuta est, debet rigide observari a quolibet, et a praelatis est super

(1) Cod. Grat.: horas. — (2) Cod. Grat.: quasi. — (3) Cod. Grat.: quoque.

junia sunt rigide observanda, nec circa haec facile dispensandum.

hoc diligenter vigilandum ne facile circa hoc aliquid relaxetur. Ad quod praeter damna praedicta quae per hoc evitantur, sunt multa alia inductiva.

Reperitur enim quod Judaei cum tanto rigore observant abstinentias suas, quod potius eligunt mori quam contrafacere, sicut patet 1 *Mach. 1.* Hoc idem etiam in haereticis et Sarracenis plurimis invenitur. Quanta ergo verecundia est quod homines, qui reputantur summae perfectionis inter Christianos, leves inveniantur in suis observantis relaxandis!

Item, non invenitur aliquod peccatum humanum gravius punitum quam fractionem abstinentiae impositae primis parentibus. Quamtum ergo ex hoc exemplo timendum (1) est illis qui tam facile debitas abstinentias frangunt! Ideo dicitur, *Zach. 13*: Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

Item, abstinentia multos malos habet impugnatores. Ipsam enim impugnat caro; ipsam impugnat, quod majus est, ratio, quae facile contra eam invenit multa argumenta; ipsam impugnat diabolus, sicut patet in primis parentibus; ipsam impugnant creaturae visu pulchrae et ad vescendum suaves; item, societas, quae frequenter sua importunitate circa hoc ipsam molestat: et ideo tanto virtuosior, si perdurat, quanto magis impugnatur, secundum auctoritatem quae dicit quod multum adjicit ad virtutem virtus lacessita; et ideo viri virtutum, quibus dicitur 1 *Cor. 16:* Viriliter agite, districte debent eam servare, ut ex hoc fiant in virtutibus gloriosiores, quia quanto pugna gravior, tanto victoria gloriosior.

Item, licet caro multa possit, tamen interdum simulat se impotentem, ut sic assequatur quod cupit ut trutanus; et sicut vulpes quae in horto simulat se esse mortuam, ut possit capere gallinam. Et ideo non est ei passim credendum, sed cavendum est ne decipiat. *Mich. 7*: Ab ea quae dormit in sino tuo, scilicet concupiscentia, custodi claustra, scilicet clausuram, oris tui, ne scilicet eam eidem facile aperias.

Item, venter est sicut malus episcopus qui procurationem quam

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: quanta ergo paena infligenda tandem est eis qui....

semel accepit iterum exigit, licet non habeat jus in ea. Et ideo sicut clerici propter hoc resistunt episcopo in prima receptione, sic faciendum est ventri a bono viro. *Job. 3*: Vocem exactoris, scilicet ventris, non audit.

Item, spiritus habet jus in homine, similiter et caro: debet enim sibi homo suam necessitatem, sicut interdum duo nobiles habent jura sua in eodem castro. Consueverunt autem hujusmodi nobiles, maxime ubi non bene concordant, multum cavere ne alter acquirat aliquid in jure alterius. Cum ergo caro et spiritus sibi invicem adversantur, quantum debet cavere spiritus ne caro acquirat aliquid super eum! Certum autem est quod homo non debet carni vitam secundum voluntatem suam, sed solum secundum necessitatem, juxta illud, *Rom. 8:* Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, idest, secundum voluntatem carnis. Et ideo valde cavendum est spiritui ne ultra necessitatem carni aliquid ministretur, ne ex hoc caro sibi jura sua in homine ampliet super spiritum.

Item, extraordinariae recreationes, quae praeter cursum consuetum interdum recipiuntur, solent generare infirmitates. *Eccli. 31:* Vigiliae, et colera, et tortura viro infrunito; *Glossa*: Id est, guloso.

Praeterea, cum consuetudo faciat hominem potentiorum, juxta illud: Quod male fers, assuesce, feres; (1) e contrario interruptio consuetudinis facit minus potentem. Et ideo frangentibus facile abstinentias semper est difficilius ad consueta redire, (2) sicut probatum est in multis.

Item, hujusmodi dispensationes interrum punt praescriptionem (3) dominii, quam (4) ex consuetudine continua acquirit spiritus super carnem. Hujusmodi autem interruptiones prescriptionum solent caveri. Cum autem hujusmodi recreationes et infirmitates corporales generent, et difficultates inducant in hiis quae sustinere oportet, et dominium interrumpant spiritus, quantum sunt timendae et cavendae!

LXII. Quod discretio servanda.

Sciendum tamen quod licet abstinentiae districte sint observandae, semper tamen habenda est in istis discretio,

---

(1) Cod. Vien.: levius feres. — (2) Cod. Grat.: reducere. — (3) Cod. Grat.: praescriptiones. — (4) Codd. Sp. et Il.: quod.

vanda est etiam in abstinentiis.

et cavendum ne quid nimis fiat, et hoc praecipue apud fratres, et ratione societatis, et ratione paupertatis, et ratione officii.

Cum enim quis affligit carnem indiscrete, incurrit interdum infirmitatem et impotentiam per quam redditur aliis onerosus. Prudentis autem animi est aliis ab hujusmodi onere praecavere, juxta illud, 2 *Cor.* 11: Sine onere me vobis servavi et servabo.

Item, cum aliquis hac occasione incurrit infirmitatem, oportet plures expensas pro eo fieri, quod cavendum est diligenter ubi est paupertas. Exemplum in *Vitis Patrum* de quodam paupere eremita qui factus episcopus (1) plures abstinentias faciebat in episcopatu quam ante; et requisitus quare, respondit quod cum esset in eremo conservabat corpus suum ut poterat bono modo, cogitans quod si infirmaretur non haberet necessaria. In episcopatu autem non timebat hoc, quia in illo paratae erant sibi consolationes in omni infirmitate sua.

Item, prudentis viatoris qui habet facere multas dietas est cum multa diligentia equum suum custodire; multo magis viro qui habet in praedicatione et in aliis pertinentibus ad activam vitam assidue occupari, cavendum est ne deficiat ei equus proprii corporis, et magis quam de alio equo. Si enim deficit equus viatori, potest alium quaerere, vel ipsum relinquendo pedes ire, vel alii custodiam ejus committere: hic vero non sic, quia corpus aliud nemo potest acquirere sibi, nec ipsum relinquere, nec sic alii custodiendum committere quin et ipsum oporteat eidem servire. (2) Ideo dicebat Psalmista, *Ps. 58:* Fortitudinem meam, scilicet vires corporis mei, ad te custodiam. Propter hoc etiam notabiliter dicit Augustinus carnem domandam, non extinguendam: domandam scilicet ne lasciviat ut pullus indomitus, ne rebellet ut servus malus, ne desaeviat ut fera crudelis. Propter hoc etiam dicit Gregorius in *Moralibus*: Per abstinentiam vitia sunt extinguenda, non caro; et tanto quis debet praeesse sibi moderamine, ut ad culpam caro non superbiat, et tamen ad effectum rectitudinis in opere subistat. Hinc et quod viri sancti interdum solent illas

(1) Cod. Tol.: de quodam qui de hesemita factus..... — (2) Codd. Sp. et Grat.: servare.

abstinentias libentius facere quae et parum noceant corpori, et tamen multum valeant ad virtutem, ut sunt abstinentia a fructibus contrariis suae complexioni, et ideo non solum propter sanitatem, sed etiam propter virtutem; ab herbis et fructibus crudis, a salsis aliquibus, a multitudine ferculorum, a cibis sumptuosis, et a curiose paratis; ab extraordinariis comestionibus, ab omni notabilitate in potu, et similibus multis, per quae et vitia carnis domantur, nec multum laeditur corporis valetudo.

LXIII. Quod religiosis valde cavendum est ab omni nota circa vinum, et de malis contrariis religiosis quae facit vinum.

Notandum vero quod quamvis Augustinus imponat abstinentiam tam escae quam potus, tamen omni religioso cavendum est specialiter ab omni excessu circa potum, ad quod sunt multa inductiva.

Sarraceni enim secundum legem suam perpetuo abstinent a vino.

Item, Rechabitae in veteri Lege nunquam bibebant vinum. *Jer. 35.*

Item Nazareni tempore consecrationis suae non bibebant vinum, vel aliud quod posset inebriare. *Num. 6.* Cum autem omnia haec fiant ab eis propter falsam religionem, vel figuram verae religionis, quam reprehensibilis est in viris religiosis excessus in vino!

Item, sicut narrant historiae, Carolus non bibebat nisi ter in mensa. Ludovicus etiam rex Francorum in vase quo bibit dicitur habere signum usque ad quod mensurabatur (1) ei vinum, et residuum totum implebatur aqua, et fuit (2) fere in eadem quantitate cum vino. In regno Apuliae ubi est maxima copia vini, in multis curiis nobilium solet ministrari in mensa vinum certis vicibus, et in certo numero per mensuras. (3) Si vero hoc faciunt saeculares, quanta verecundia est religiosis quod excedant in potu! Ideo dicitur, *Is. 23:* Erubesce, Sidon, ait mare.

Possunt autem multa esse reprehensibilia in religiosis circa potum vini. Quorum unum est circa quantitatem, et ideo dicitur 1. *Tim. 5:* Modico vino utere. Bernardus *Ad monachos*: Si tantum vobis placet auctoritas apostoli de bibendo vino, obsecro ne tradatis oblivioni quod dicit: modico.

---

(1) Cod. Vien.: ministrabatur. — (2) Cod. Grat.: et est. — (3) Cod. Vien.: ministratur.

Aliud est circa fortitudinem vini. Dicitur in concilio : Praelatus vinum sibi temperet, et se vino. Quanto magis hoc faciendum est religioso ! *Eccli. 31 :* Quam sufficiens est homini vinum exiguum, id est debile, (1) sicut dicitur in vulgari.

Aliud est circa varietatem vinorum. Et nota quod non invenitur etiam apud gentiles quod in nobilissimo convivio de quo habetur, *Esth. 1.,* unquam reperiatur factum apud eos quod ministrata fuerunt eis vina diversa, sed vinum idem abundans ministrabatur, non vina, ut dicitur *Esth. 1.* Quam indecens est ergo religiosis non esse contentos uno vino, sed varietates non paucas in uno convivio congregare !

Aliud est circa pretiositatem. Non enim est viri religiosi in haustu vini pretium ponere, unde multi pauperes commode possent sustentari per diem. Unde vox illa, *Sap. 2 :* Vino pretioso nos impleamus, non est bonorum, sed hominum pessimorum.

Aliud est circa extraordinarias potationes, quae solent fieri extra horam bibendi vel comedendi. Si enim equi vel asini non adaquantur nisi certis horis, quam indecens est viro religioso tota die bibere, modo hic, modo ibi ! Qui hujusmodi sunt, sunt illi morantes in vino de quibus dicitur, *Prov. 23 :* Cui vae ? etc.... Nonne hiis qui morantur in vino ?

Aliud est circa verba. Sunt enim aliqui qui fere per totam mensam interdum loquuntur de vinis et praesentibus et absentibus, dicentes : Hoc est tale, illud est tale, et hujusmodi. *Ose. 7 :* Super vinum ruminabant. Quidam miles religiosus, cum esset in mensa cum quibusdam spiritualibus viris qui multum loquebantur de vinis, dixit : Pro Deo, charissimi, non loquamur tantum de vinis, sed bibamus de meliori sine tot verbis !

Aliud est circa subtilitatem judicandi de vinis. Sunt enim quidam qui ita sciunt subtiliter judicare de valore et conditione vinorum, quasi essent magistri in illa arte. Quo contra invenitur de antiquis religiosis quod bibebant interdum oleum pro vino, adeo habebant sen-

---

(1) Quod verbum hic gallicum est, prout vulgare.

sus mortificatos, ad modum Berzelai, qui dicit, 2 *Reg. 19:* Numquid vigent sensus mei ad discernendum inter suave et amarum?

Sciendum etiam quod vinum abutentibus eo solet multa mala facere, quae sunt valde contraria religionis honestati. Religiosos enim summe (1) decet continentia ratione voti: vinum autem incitat ad libidinem. *Prov. 20:* Luxuriosa res est vinum.

Item, sunt in societate in qua debent habere cor unum et animam unam cum aliis: vinum autem facit turbationem ad alios. *Eccli. 31:* Vinum multum potatum irritationem facit. Facit enim prorumpere ad multa per quae irritantur alii.

Item, ipsorum est laudibus divinis insistere: hoc autem facit blasphemare. *Glossa*, super illud, 1 *Cor. 10:* Sive comeditis, sive bibitis, etc....: Si vinolentia te ingurgites, quascumque laudes lingua sonet vita blasphemat.

Item, ipsorum est linguam disciplinatam habere, alioquin, secundum Jacobum, *Jac. 1,* vana est eorum religio. Hoc autem facit fatue loqui, secundum, 3 *Esdr. 3:* Omnia (2) facit per talenta loqui (3) illud.

Item, eorum vita debet esse in luctu: hoc autem incitat ad vanam laetitiam. 3 *Esdr. 3* de eodem: Omnem mentem convertit in securitatem et jucunditatem, et non meminit omnem tristitiam.

Item, ipsorum est contemplationi vacare, modo meditando, modo legendo, modo revelationes suscipiendo. Vinum autem obscurat intellectum naturalem. *Glossa* super illud *Prov. 23:* Cui suffossio oculorum: Immoderatus haustus vini interioris et exterioris visus ingerit caecitatem. Impedit quoque scientiam acquirendam; ideo dicit Salomon, *Eccle. 2:* Et ut animam meam melius transferrem ad sapientiam, cogitavi a vino abstrahere carnem meam. Similiter scientiam infundendam: ideò dicit Daniel, *Dan. 10:* Trium hebdomadarum diebus caro et vinum non introierunt in os meum: quando scilicet aspirabat ad revelationem.

---

(1) Cod. Sp.: summa. — (2) Codd. Sp. et Tol.: Homines. — (3) Notabile theologo erit hic et passim a V. Humberto adduci III et IV Libri Esdrae auctoritatem.

Item, quid prosunt eis omnia, nisi perseverent usque in finem? Hoc autem aufert vinum. *Eccli. 19:* Vinum apostatare facit etiam sapientes. Quod ad litteram verum est, ut patet in goliardis, qui frequenter occasione vini relinquunt abbatias, ut per tabernas discurrere (1) possint.

Cum ergo tot turpes maculas generet vinum in religiosis, et tantum eis noceat, non modicum est eis necessaria abstinentia, non solum a vino, sed ab omni potu qui potest eadem inducere. Et ideò bene dicit Augustinus religiosis non solum abstinentia escae, sed etiam abstinentia potus carnem domandam. Quid autem mirum si hoc religiosis dicit, cum ipse Salvator dixerit discipulis suis, *Luc. 21:* Attendite ne graventur corda vestra crapula et ebrietate. Necessaria siquidem sunt naturae cibus et potus, et ideo facile sub pallio necessitatis hujusmodi vitia subintrant etiam apud sanctos.

LXIV. De potentia abstinendi quae est in homine multa.

Sed numquid tenentur omnes professores hujus regulae ad domandam carnem quantum possunt, cum dicat Augustinus: « quantum valetudo permittit? » Respondeo: Quaedam sunt in regula, sicut et in divina Scriptura, quae potius sunt incitamenta ab bonum, quam obligatoria per praeceptum: et hoc est de talibus.

Notandum vero quod natura humana quae valde fortis fuit in prima conditione sui, non est adeo debilitata quin multa possit in abstinentiis: quod patet ex abstinentiis magnis et longis quas sustinent inviti in carceribus, et quas faciunt aliqui pro sanitate vel acquirenda vel conservenda, et quas fecerunt et faciunt adhuc multi sancti, non solùm viri similis naturae nobis, sed etiam mulieres fragilioris naturae nobis. Si enim tanta sustinent inviti, si tanta sustinent aliqui pro corpore, si tanta fragilis natura, (2) quantum possent homines si essent voluntarii, si tantum diligerent animas sicut corpora! Profecto si probarent vires suas, invenirent se plus posse quam credant. Sed se probant homines quantum possunt in projiciendo lapidem, quantum in currendo, quantum in luctando, et in similibus: in hiis autem quae

(1) Cod. Sp.: discumbere. — (2) Cod. Sp.: naturae.

Dei sunt non probant vires suas. Bernardus: Ignosce, Domine, ignosce! Dissimulamus, tergiversamur, et in hiis quae ad te pertinent vix est qui velit experiri quid possit. Dicunt filii Zebedaei, *Matth. 20:* Possumus, scil. bibere calicem passionis, et nos non possumus levem abstinentiam sustinere? Dicit Paulus, *Philip. 4:* Omnia possum in eo qui me confortat; et nos, quibus nunquam deest adjutorium divinum, diffidimus nos pauca posse. Proculdubio multa possumus: multa, si volumus; sed nolumus. Hieronymus: Non posse (1) dicunt esse in causa, cum non velle sit in culpa.

Sequitur: **Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum aegrotat.**

Hic tradit mandatum circa jejunia quoad impotentes. Et est sensus: Cum aliquis non potest jejunare, non teneatur ad jejunia. (2) Tamen ne solutio jejunii cedat in dissolutionem, non comedat extra horam prandii, nisi forte non solum sit impotens, sed etiam infirmus, cum infirmis non sit lex imposita: quin comedant quandocumque necessitas hoc requirit.

Eliciuntur autem ex hoc mandato tria.

Primum, est quod mitius agendum est in jejuniis cum debilibus quam cum fortibus.

Secundum, est quod cavenda est extraordinaria comestio in claustro diligenter (3) a religiosis viris, cum etiam debilibus eam inhibeat Augustinus.

Tertium, est quod opera pietatis circa infirmos praeferenda sunt rigori religionis, cum eorum comestio sub certa lege non claudatur.

LXV. De impotentibus jejunare.

Sed quaeritur circa primum quomodo praelato constabit de infirmitate (4) fratris? Si in verbo ipsius standum est, multis (5) poterit esse occasio mentiendi.

---

(1) Cod. Grat.: non debet. — (2) Cod. Grat.: jejunare. — (3) Cod. Sp.: diligenter communiter. — (4) Cod. Grat.: debilitate. — (5) Cod. Sp.: multum.

Respondeo: Quamdiu habetur bona opinio de fratre quod sit servus Dei, credendum est ei de debilitate quam dicit se habere. Si vero praesumptiones (1) malae habentur de eo, non oportet semper credere verbo suo, nisi constet per alia argumenta.

Sed quid fiet de illis qui non dicunt suam debilitatem? Respondeo: Pii praelati est cognoscere vultum pecoris sui utrum macilentum sit an pingue, et esse sollicitum non solùm de anima, sed etiam de corpore ipsius. Debet etiam fratribus injungere ut sint invicem solliciti advertere si frater aliquis aliquam necessitatem patitur, et praelato eam charitative indicare, et eorum maxime qui prae (2) humilitate vel verecundia solent de hiis tacere.

Sed numquid poterit praelatus dispensare in jejuniis Ecclesiae generalibus? Respondeo: Non credo quod possit. Sed cum sit credendum quod Ecclesia nunquam intendit obligare ad jejunia impotentes, potest judicare de impotentia subditorum, quae oritur ratione vel juventutis, vel senectutis, vel complexionis et similium, et ejus declarationem possunt subditi cum bona conscientia tenere.

LXVI. De extraordinaria comestione, et quare est libenter comedundum in conventu.

Circa secundum verò notandum de hiis qui extra horam prandii comedunt, si fortassis fructus quoscumque comederent extra mensam, quod est valde cavendum viris sanctis, nec modicum reputandum. Nonne totus mundus damnatus est pro hujusmodi comestione primorum parentum? Nonne monialis transiens per hortum, et comedens lactucam, cum lactuca comedit diabolum, sicut refert Gregorius in *Dialogo?* Ideo viri religiosi multum debent resistere tentationi comestionis hujusmodi. Exemplum in *Vitis Patrum* de quodam qui, cum tentatus fuisset de comedendo cucumere in horto, suspendit illum in cella ante oculos suos, et sic multum in aspectu illius se cruciabat. Item quidam Archiepiscopus vir magnae honestatis, cum se posuisset in mensa, et apportatae fuissent ei ficus quas multum diligebat, accepit unam, volens eam comedere ante benedictionem quam tradiderat oblivioni. Cum autem hoc advertisset, deposuit eam et dixit gulae suae: Domina gula, nimis festinabatis, et ideo facietis poenitentiam hanc, quia hodie non comede-

(1) Cod. Sp.: praesuppositiones. — (2) Cod. Sp.: pro.

tis ficus (1). Et sic stantibus ficubus coram se, non comedit ex eis per totam mensam.

Item, extra horam comedunt qui fugientes communem refectionem fratrum captant sine causa rationabili horam vel locum alium, ut ibi aliquid melius habeant. Quo contra viri religiosi dant omnem operam ut semper comedant cum conventu, et hoc est ut pascantur non solum corpore, sed etiam spiritu ex lectione, unde infra: « Ne solae vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei. »

Item, ut vitent dissolutiones quae frequenter solent accidere in comestionibus extra conventum, et maximè in verbis, propter quae punitus legitur dives in lingua in inferno. *Luc. 16:* Ut refrigeret linguam meam. *Glossa:* Nota quod, sicut mos est, inter convivia loquacitati studuit (2).

Item, ne fructum perdant qui sequitur ex moderata refectione; de quo Chrysostomus, *Super Epistolam ad Hebraeos*: Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic aegritudinem fugat, sicut moderata refectio. Hujusmodi autem moderamen melius servatur in conventu quam extra.

Item, ut certiores sint de societate Christi. Cum enim Christus sit ubicumque duo vel tres fuerint in nomine ejus congregati, sicut dicitur *Matth. 18,* certius est ipsum esse ubi plures sunt, et magis specialiter (3) propter ipsum congregati.

Item, propter meliorem sequelam hujusmodi refectionis. Hanc enim refectionem sequuntur gratiarum actiones, ecclesiae visitatio, orationes secretae, meditationes sanctae, officium mortuorum frequenter, et similia. Illam autem vigiliae, locutiones, potationes, et aliae dissolutiones, more illorum de quibus dicitur, *Exod. 32:* Sedit populus manducans et bibens, et surrexerunt ludere.

Item, propter scandalum fratrum vitandum. Sicut enim sequentes conventum multis sunt ad exemplum in bonum, ita comestiones extraordinariae multis sunt occasio judiciorum malorum, (4)

---

(1) Cod. Sp.: fructus ficus. — (2) Cod. Sp.: studeret. — (3) Codd. Sp. et Tol.: spiritualiter. — (4) Codd. Grat. et Sp.: multorum.

murmuris et turbationis, quae sunt valde cavenda; unde Apostolus, 1 *Cor. 8:* Si esca mea scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum.

Propter haec igitur et alia quaedam, non sunt talia convivia extraordinaria sectanda, nec sectatores eorum imitandi. Et ideò dicitur, *Ose. 4*: Quasi vacca lasciviens declinavit Israël, quae scilicet separat se ab aliis in pascuis. Et post: Dimitte eum: separatum est convivium eorum.

Sed numquid novitii et alii debiles, qui comedunt ante horam prandii, trasgrediuntur hoc mandatum? Respondeo: Non, dummodo comedant in hora et in locis statutis a majoribus. Hoc enim quod secundum statutum fit, hora debita factum reputatur.

Item, numquid qui medicinalibus utitur, vel bibit extra horam prandii, transgreditur hoc mandatum? Respondeo: Non; et hoc patet ex hoc quod dicit: « alimentorum. » Medicinalia enim et potus licet interdum nutriant, tamen simpliciter non vocantur alimenta.

Item, quando conventus nimis mane comedit tempore jejunii, nonne praeteritur hoc mandatum? Respondeo: Tam cito posset comedere quod sic. Unde secundum morem patriae, et quantitatem dierum, est hora prandii determinanda. Dicit autem expositor quod hora prandii tempore jejunii est inter nonam et vesperam, alio vero tempore inter tertiam et sextam. Et vide quod religiosi viri non debent os suum aperire ad cibum sicut bestiae, quae non observant vel vices, vel locum, vel tempus. Ipsi vero comedere non debent nisi certis vicibus, quia semel vel bis, et certo loco, et certis horis, ut dicitur hic. Et ideò ad majorem gulae refraenationem statutum est apud eos ut non comedant neque bibant, nisi sedendo et praecedente benedictione, nec bibant nisi cum duabus manibus.

Item, notandum quod vult Augustinus quod habeantur certae horae ad orandum, ut supra: « Orationibus instate horis et temporibus constitutis », et ad legendum ut infra: « Codices certa hora petantur », et ad comedendum, ut hic.

LXVII. De praerogativa mi-

Circa tertium notandum quod quidam pretextu religionis exercent quasdam austeritates circa infirmos in

sericordiae circa infirmos super rigorem religionis.

cibis, in silentio, (1) et aliis hujusmodi, praeferentes hujusmodi austeritatem operibus pietatis, et in hoc se putantes religiosos.

Haec est religio pharisaeorum maledicta a Domino. *Matth. 23:* Vae vobis scribis et pharisaeis, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis: misericordiam, etc. Haec non est religio quam Jacobus definit dicens, *Jac. 1:* Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulationibus eorum; et eadem ratione, infirmos. Habetur in *Vitis Patrum* quod fuerunt duo fratres, quorum unus multum jejunabat, alter multum serviebat infirmis devote. Quaesitum autem fuit a quodam sene quis eorum esse majoris meriti, et dixit senex: Si fratrer ille jejunans appendat se per nates, (2) non potest venire ad mensuram illius qui servit infirmis. Mandat Dominus, *Luc. 6*, ut simus misericordes, sicut et Pater coelestis misericors est. Sed miserationes ejus sunt super omnia opera ejus. *Ps. 144.* Non est autem major misericordia quam quae exercetur circa infirmos. Ergo in homine praevalet misericordia super omnia alia opera ejus. Ibi enim pascitur esuriens, potatur sitiens, vestis nudo paratur, lectus fatigato aut extraneo, in hospitalitate visitatur ligatus vinculis infirmitatis, et tandem mortuo exhibentur officia humanitatis. Et sic in hoc opere omnia opera misericordiae adimplentur.

Praeterea, in operibus rigoris religionis servitur quandoque Deo de uno sensu vel membro, ut in abstinentia de gustu, in vigiliis de visu, in aspero vestitu de tactu, in silentio de lingua, in clausura de pedibus. In operibus vero pietatis circa infirmos servit ei oculus vigilando, et interdum horrenda videndo; olfactus, foetores sentiendo; auditus, dura audiendo, interdum ad ipso infirmo; tactus, infirmum tractando; gustus, propter eos solitam comestionem intermittendo; lingua, eos consolando; pes, pro eis discurrendo: immo et totum corpus, pro eis diversimode laborando. Quae ergo religio poterit huic comparari, in qua sic homo se ipsum relegat, et totum

---

(1) Cod. Grat.: silentiis. — (2) Codd. Vien., Grat. et Sp.: nares.

se Deo religat, ut ei ex toto corde serviat, immo et ei et proximo, seu ei in proximo, et proximo in eo. (1)

Hujus religionis sectandae dedit nobis exemplum Dominus, qui tam benignum se exhibuit infirmis, visitando eos, dulciter alloquendo, frequenter sanando; qui apostolos mittendo de eis inungendis et sanandis mandavit; qui per Jacobum apostolum speciale sacramentum instituit ad alleviationem infirmitatis humanae perpetuo valiturum. *Jac. 5.*

Sequitur: **Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentione audite, ne solae vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei.**

LXVIII. De lectione mensae et quare viri religiosi debent loqui de edificatoriis in conviviis.

Hic ponitur mandatum quod pertinet tam ad potentes quam ad impotentes: quod enim hic dicitur pertinet ad utrosque.

Et nota quod in concilio Toletano statutum fuit quod in convivio sacerdotali semper haberetur lectio de divinis Scripturis, sicut dicitur *Dist. 48,* Pro reverentia.

Hujus autem statuti triplex potuit esse causa.

Prima, ut ibidem non solum exterior homo, sed etiam interior pasceretur verbo Dei. Quo contra dicitur *Job. 24,* de iniquo: Pavit sterilem quae non parit, scilicet carnem, et viduae non benefecit, scilicet animae, quae in praesenti solatio viri sui, scilicet Christi, caret.

Secunda, ut anima intenta divinae lectioni, et per hoc retracta a delectatione ciborum, per hoc magis ac magis peccata caveat quae ex hujusmodi delectationihus nasci solent. Quo contra dicitur in *Epistola Judae* de quibusdam: Animales, spiritum non habentes; quia sicut animalia quae sunt sine ratione, ex tota concupiscentia effundunt se super escam, ita et ipsi: unde de ipsis praemittitur in eadem *Epistola:* Hii sunt in epulis suis maculae, convivantes. etc.

Tertia, ut per hoc evitentur nociva verba quae solent in conviviis oriri, propter quod dives epulo legitur apud inferos punitus in lingua. Et hoc est in conviviis valde (2) laudabile. Hieronymus, *Ad Na-*

---

(1) Codd. Grat. et Vien.: ei et proximo in eo. — (2) Cod. Sp.: in marg.: non.

tal. episc.: Convivia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis absentium nulla vita remordetur, nullus ex allusione reprehenditur, nec in eis negotiorum saecularium inanes fabulae audiuntur.

Porro hujusmodi statutum olim servatum fuit, cum clerici solebant comedere insimul, et adhuc apud aliquos servatur qui sic comedunt: sed quia pauci sunt tales, multum evanuit apud eos. Servatur tamen ab episcopis et magnis viris, qui tum propter sui honestatem, tum propter multitudinem secum frequenter convivantium, hoc observant: a religiosis vero perfectius est observandum. Ipsi enim praelati interdum lectionem habent in parte convivii, sed religiosi debent habere per totum; et ideò dicit Augustinus: « donec inde surgatis. »

Item, apud eos est tantus tumultus quod vix lectio potest audiri: sed apud religiosos servatur silentium ut lectio quietius audiatur. Et ideo dicit: « sine tumultu et contentione audite. »

Item, apud eos pauci sunt qui animum ad lectionem applicent: religiosorum verò est avidius lectionem audire quam cibum sumere. Et ideo dicit: « Ne solae vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei. »

Et attendendum est quod ubi sunt viri spirituales, et maxime praedicatores, in aliquo convivio ubi non est lectio, convenit eos semper aliqua aedificatoria dicere ante finem convivii, ut nunquam cibus carnalis sit sine cibo spirituali. Hinc est quod candelabrum, quod significat lumen Scripturae, erat in mensa panum in tabernaculo in templo, et tabulae testamenti erant in arca cum manna. *Hebr. 9.* Hinc est iterum quod dignus memoria episcopus Parisiensis Willelmus in mensa sua verbis aedificatoriis solebat affluere, et dicebat se nolle alium lectorem in mensa sua habere. Hujusmodi etiam exemplum reliquit nobis Salvator, qui, ex quo praedicare incoepit, non legitur in convivio fuisse in quo non dixerit aliqua aedificatoria.

Comedit cum phariseo eum invitante, et dixit ibi: Simon, habeo tibi aliquid dicere etc. *Luc. 7.*

Item, fecit ei Levi convivium in domo sua, et phariseis murmurantibus quia cum peccatoribus manducaret dixit: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. *Matth. 9.*

Item, intravit in domum cujusdam principis manducare panem,

et intendens quomodo primos accubitus aligerent invitati, dixit ad eos: Cum invitatus fueris, non recumbas in primo loco.... et caetera quae sequuntur, *Luc. 14.*

Item, comedit cum Zachaeo, et ibi dixit: Hodie huic domui salus facta est. *Luc. 19.*

Item, facta est ei coena in Bethania, et ibi orta murmuratione de unguenti effusione super eum, multa dixit aedificatoria, in excusationem (1) et laudem Mariae. *Joh. 12.*

Item, coenavit cum discipulis suis, et ibi multa dixit aedificatoria, sicut patet *Luc. 22,* et *Joan. 13.*

Item, post resurrectionem comedit cum discipulis offerentibus ei partem piscis assi et favum mellis, et dixit eis: Haec sunt verba quae locutus sum vobis, etc. *Luc. ult.*

Item, in die ascensionis convescens praecepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent, etc. *Act. 1.*

Sequitur: **Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse; nec injustum videri eis quos fecit aliqua consuetudo fortiores.**

Traditis mandatis circa duo quae pertinent ad duas partes primas poenitentiae, tradit hic quaedam circa quae pertinent ad tertiam, quae est circa opera misericordiae.

Quia vero non est ejus intentio tradere circa hoc plenarie omnia, sed solùm quae ut frequentius religiosis sunt magis necessaria, tradit hic mandata circa abusiones quae apud eos oriri solent circa misericordias quae solent fieri apud eos, vel circa aegrotantes, hic; vel circa delicatos, ibi: « Et si eis qui venerunt; » vel circa recreandos post infirmitatem, ibi: « Quemadmodum autem aegrotantes » etc.

Et nota quod aliqui solent moleste ferre quoad voluntatem, et injustum reputant quoad rationem, quando quibusdam aegrotantibus

---

(1) Cod. Tol.: exaltationem.

fiunt interdum misericordiae aliquae in victu: contra quam abusionem ponit hic mandatum.

Item, solent isti reputare tales esse melioris conditionis, et contra hanc abusionem ponit aliud mandatum dicens: « Nec illos feliciores putent, » etc.

Circa primum notandum quod infirmi ex pristina consuetudine dicuntur illi qui solent aegrotare frequenter. Istis autem, sive actu aegrotant sive non, sunt faciendae aliquae misericordiae in victu, modo in infirmitorio, modo in hospitio, interdum etiam in conventu, et in similibus dummodo eorum infirmitas sit manifesta, et hoc est aliter tractari (1) in victu.

LXIX. Quod infirmiores aliter sunt tractandi in victu, nec habendum pro malo.

Quod autem sic sit faciendum, patet. Dominus enim aliter tractavit in victu humanam naturam in statu firmitatis, aliter in statu infirmitatis. In primo enim statu concessit ei in victum fructus arboris tantum; in secundo vero concessit ei panem et herbas, et carnes post diluvium, ut patet *Gen. 2* et *9*.

Praeterea, ars medicinae hoc praecipit: ipsa autem (2) ad hoc ordinata est a Deo, *Eccli. 38:* ergo qui huic resistit, ordinationi Dei resistit.

Item, nonne Apostolus praecepit Timotheo, 1 *Tim. 5*, ut uteretur vino, propter frequentes infirmitates? Quod non legitur aliis praecepisse, qui non habebant hujusmodi infirmitates. Porro qui hoc moleste ferunt infirmantur de aliorum medicina.

Item, sunt deteriores Juda qui murmuravit de effusione unguenti super Christum sanum, *Joan. 12:* ipsi autem murmurant de effusione misericordiae super ipsum infirmum.

Item, magnae immisericordiae est non facere misericordiam; majoris est non diligere: sed maximae graviter eam ferre. Quantae ergo immisericordiae sunt hujusmodi homines qui eam factam ab aliis moleste ferunt!

Sunt autem, quod gravius est, quidam qui hoc injustum judicant, aestimantes quod quia omnia communia sunt inter fratres, omnia dividi debeant aequaliter: quod si verum esset, ergo injuste fecissent

(1) Codd. Sp. et Grat.: tractantur. — (2) Codd. Tol. et Sp.: et ipsa.

apostoli, qui non dividebant omnia communiter, sed potius unicuique sicut cuique opus erat. *Act.* 2.

Item, eadem ratione omnis homo injuste ageret qui majorem curam haberet de membro infirmo quam de membro sano, et magis expenderet pro eo.

Item, secundum hoc injuste ageret paterfamilias partem domus debiliorem et magis ruinosam magis reficiendo. Quae omnia quia falsa sunt, patet quod (1) hoc non debet injustum videri.

Et attendendum quod in omni afflictione expertus scit eam melius judicare de suo consimili, quia ex hiis quae passus est intelligit melius quae sunt proximi sui: sic pauperes de pauperibus, tentati de tentatis, infirmi de infirmis, et in similibus, melius norunt judicare. Et e contrario divites de pauperibus, intentati de tentatis, fortes de infirmis minus bene judicare consueverunt. Et ideo non fit hoc mandatum omnibus, sed fortibus, cum dicitur: « quos fecit aliqua consuetudo fortiores, » quia tales facilius in hoc errant.

Quod vero dicit consuetudinem hominem facere fortiorem veritas est animadversione digna. Consuetudo siquidem et usus in omnibus vires administrat, ut patet in operariis omnis laboris difficilis, et ideo decipiuntur qui fugiunt laboriosa ut servent fortitudinem: potius est eis assuescendum talibus, et sic fortior efficitur homo ad illa, juxta illud: Quod male fers, assuesce, (2) feres.

Patet igitur ex praedictis ratio hujus mandati.

Sequitur: **Nec illos feliciores putent quia sumunt quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur quia valent quod non valent illi.**

Hic ponit mandatum secundum circa abusionem praedictam.

LXX. Quod felicior est status sanorum quam infirmorum.

Et nota quod infirmi, licet plus sumant, non tamen reputandi sunt feliciores quam sani.

Primo, quia majorem habent indigentiam, quod non est felicitatis, sed miseriae.

---

(1) Cod, Vien.: ergo patet hoc quod.... — (2) Codd. Grat. et Vien.: ut bene feras.

Secundo, quia frequenter quod sumunt cum magna verecundia sumunt et angustia.

Tertio, quia illa quae sumunt, licet meliora, non eos tamen delectant ut sanos minùs bona.

Quarto, quia cum hiis omnibus habent multas afflictiones alias quae eos vexant.

Quinto, quia privantur multis consolationibus spiritualibus quas habent sani in lectionibus, in officiis ecclesiae, in studiis et hujusmodi.

Sexto, quia oportet eos etiam invitos in multis alios portare, ut et ipsi portentur. Quae omnia potius habent miseriam quam felicitatem.

Porro qui sunt sani et fortes in religione habent multam materiam gaudendi in Domino, et ei gratias agendi. Status enim infirmitatis est multis occasio murmuris, et impatientiae, et accidiae, et aliorum peccatorum multorum, et ab hac occasione sunt liberi.

Item, sunt liberi a multa servitute qua sunt infirmi subjecti praelatis et officialibus, occasione suae necessitatis.

Item, libentius in omni conventu habentur et quaeruntur.

Item, onera ordinis sunt eis leviora.

Item, habent unde tanto plus lucrari possunt in meritis, quanto potentiores sunt ad plura opera in quibus omnibus possunt mereri.

Item, jucundiorem etiam in pluribus consolationibus et sine taedio vitam ducunt.

Per quae patet ratio hujusmodi mandati.

Sequitur: **Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorumve datur, quod aliis fortioribus, et ideo felicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur quantum de sua saeculari vita illi ad istam descenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire non potuerunt.**

Duae sunt abusiones quae contingunt interdum occasione misericordiarum quae fiunt delicatis apud alios quibus haec non fiunt.

Una est quod non considerant rationem hujus, et contra hanc ponitur istud mandatum; secunda quod volunt idem fieri sibi, contra quam ponitur sequens mandatum: « Nec debent velle omnes... »

LXXI. De misericordiis faciendis circa delicatos.

Circa istud vero notandum quod in religione faciendae sunt aliquae misericordiae illis qui fuerunt in saeculo delicati.

Primo, ne ex nimia duritia resipiscant, vel de ingressu poeniteant.

Secundo, ne infirmitatem incurrentes perpetuo sibi et aliis graves fiant.

Tertio, ut jucundius Domino serviant.

Quarto, ne saeculares hoc audientes religionem horreant.

Quinto, ne in religione omnibus odibilis rusticitas inveniatur.

Sexto, ne religio irrationabilior sit natura, quae membro nobiliori et teneriori delicatius (1) ministrat.

Septimo, ne carcer Domini crudelior sit carceribus tyrannorum. Quis enim tyrannus, vel etiam sarracenus, nobilibus et delicatis incarceratis apud se non facit in aliquo majorem misericordiam quam aliis?

Octavo, ut ex hoc ad meliora provocentur. Nobilis enim animus magis provocatur ad bonum per misericordiam et gratias quam per duritiam.

Sed sciendum quod quaedam sunt gratiae quae vergunt in dissolutionem, ut nimia libertas loquendi; quaedam in saecularitatem, ut servitia in discalciando et hujusmodi; quaedam in periculum, ut nimia frequentatio parentum, et similia quae non sunt necessitatis. Quia vero circa ista non expedit fieri misericordiam sicut circa illa quae sunt necessitatis, ideo nominat tria circa quae sit facienda misericordia, scilicet alimenta, vestimenta, operimenta, quae omnia sunt necessitatis.

Circa vero ista cavendum est ab excessu nimio.

Primo, ne religio pereat.

Secundo, ne alii juste scandalizentur.

Tertio, ut ipsi quibus fit misericordia ab excessu saeculari per

(1) Cod. Tol.: delicatiora.

medium temperantiae paulatim transeant ad religionis frugalitatem. Et ideo notabiliter dicit: « aliquid alimentorum, » et non aliqua, quod sonat immodicum.

Item, attendendum quod interdum solent aliqui subditi murmurare contra facientes misericordiam, cum nesciunt causam facti. Ideo paterfamilias reddidit rationem contra murmurantes, *Matt. 20:* Annon licet mihi quae volo facere?

Solent etiam quandoque scandalizari contra recipientes, cum nesciunt necessitates eorum. Et ideo Dominus pharisaeis scandalizatis contra discipulos confricantes spicas in sabbato respondendo, ostendit eorum necessitatem, sicut et David simili necessitate comedit panes quos edere non licebat. *Matth. 12.*

Solent iterum quandoque se praeferre illis in corde suo, cum non utantur talibus: sed comparatio status ad statum in saeculo tollit hujusmodi superbiam. Exemplum in *Vitis Patrum* de monacho aegyptio durae vitae, qui fuerat rusticus in saeculo, qui cum visitasset Arsenium qui delicatius vivebat, primo scandalizatus in eum, cum intellexisset quantum fuerat (1) in saeculo delicatus, dixit: Vae mihi! quia tu de deliciis venisti ad duram vitam, ego autem de dura vita veni ad delicias. Bene ergo dicit: « cogitare debent quibus non datur, » etc. videlicet ut considerantes rationem facti, contra facientes hujusmodi misericordias non murmurent; attendentes verò eorum necessitatem, in recipientes non scandalizentur; suum verò statum saecularem illorum statui comparantes, illis se in religione non praeferant.

Sequitur: **Nec debent velle omnes quod paucos vident amplius, non quia honorantur sed quia tolerantur, accipere, ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi quantum possunt fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.**

Hic tradit mandatum circa abusionem secundam praedictam,

---

(1) Cod. Vien.: quantus fuerat in saeculi dixit....

dicens duo: unum in quo est substantia mandati; aliud quod exprimit causam mandati, cum addit: « ne contingat. »

Et nota quod non dicit: non velint omnes, etc., quia tanquam prudens in suis mandatis devitat (1) pericula. Quod autem homo non velit ea quae pertinent ad recreationem carnis valde est difficile, et ideo ut non injiciat laqueum ad peccandum, non dicit: non velint. Dicit autem: « non debent velle, » ut magis moveat ad hoc quod dicit. Plus enim movere solet ratio inserta in mandato quam solum mandatum, et ideo dicit: « non debent velle omnes, » etc., quasi dicat: etiam sine omni mandato, hoc per se est debitum et rationabile. Ea vero (2) non debent omnes velle accipere quae vident, non multos, sed paucos accipere, quia dispensatio quae solet fieri paucis non est redigenda in jus commune.

Item, si fierent in aliorum depressionem, et ad eorum exaltationem, possent (3) esse in fatuis occasio idem volendi. Hoc autem non fit quia ipsi honorentur super alios, sicut dicit.

Item, fit ex pia causa, sicut dicit, videlicet ut tolerentur, secundum Apostolum, qui fratrem infirmantem jubet tolerari. *Rom. 15.*

Justum est ergo, (4) sicut dicit, quod non debent velle omnes accipere quod fit paucis, et non in contemptum eorum, sed ex causa pia. Alioquin oritur perversitas detestanda ut in monasterio, ubi quantum possunt fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati. Perversum est enim et detestandum valde quod pauper velit fieri delicatus, quod est divitum; sed magis in monasterio, quod est locus poenitentiae, non deliciarum: sed maxime ubi videt exempla ante oculos suos ad contrarium valde motiva, videlicet divites qui fiunt ibidem quantum possunt laboriosi.

LXXII. De illis qui fuerunt in saeculo pauperes et in religione volunt fieri delicati.

Sed heu! nihilominus haec non cohibent quosdam, qui in saeculo in tenui statu fuerunt, quin in religione velint fieri (5) delicati, ubi qui magni fuerunt in saeculo asperis sunt contenti. Dicitur de Daniel, *Dan. 1,* quod ipse et socii ejus qui erant de genere regio in curia regis

(1) Cod. Tol.: declinat. — (2) Cod. Vien.: Et vere. — (3) Cod. Grat.: si fieret... posset. — (4) Cod. Sp.: in marg.: autem. — (5) Cod. Vien.: videre.

Babylonis, contemptis cibis regiis, et vino etiam de quo ipse bibebat, contenti erant quidusdam vilibus, scilicet leguminibus et aqua. Et isti de genere rusticali, contemptis vilibus, volunt nutriri cibis et vino regalibus in domo Christi.

Item, dicitur *Is. 11:* Leo quasi bos comedit paleam; et exponitur de tempore adventus Christi. Quod, secundum Hieronymum, ad litteram nunquam impletum est, nec implebitur; sed ideo dicitur quia nobiles sicut leo in illo tempore sic humiliati sunt, ut essent contenti cibis rusticanis, sicut boves, per quos rustici designantur. Isti vero, proh dolor! ista tempora in alia commutantes, nolunt ut boves comedere foenum, (1) sed sicut leo comedere cibum nobilium!

Item, innuit Augustinus quod in arca Noe nobilia animalia, ut leo et aquila et hujusmodi, non habuerunt cibaria consueta, scilicet carnes quibus solent vesci; sed contenti fuerunt castaneis, ficubus et hujusmodi vilibus: et isti in paupere religione volunt quod animalia ignobilia habeant cibaria nobilium animalium! Quid ergo mirum si vir sanctus hujusmodi culpam vocat perversitatem?

Notandum (2) quod malitia avertit hominem a Deo. *Is. 59:* Aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri. Et quantum ad hoc dicitur peccator aversus, quia vertit hominem a Deo, quem deberet habere ante se, ad ea quae deberet habere retro, juxta illud *Jer. 7:* Facti sunt retrorsum et non ante.

Item, vertit hominem a superioribus ad inferiora, juxta illud Baruch: Facti sumus subtus et non supra, et quantum ad hoc dicitur peccator subversus, juxta illud Apostoli, *Tit. 3,* qui dicit de incorrigibili quod subversus est qui ejusmodi est, videlicet quod tamquam vas subversum quod nihil boni recipit vel retinet.

Item, evertit (3) hominem ab interioribus ad exteriora. *Act. 15*: Audivimus quod quidam evertunt animas vestras, quod ideo dicitur quia a lege spiritus (4) interiori volebant eos inducere ad legem exteriorem Moysi. Et quantum ad hoc peccator dicitur eversus, id est extra

---

(1) Cod. Tol.: cibos viles. — (2) Cod. Vien.: nota iterum. — (3) Cod. Vien.: avertit. — (4) Cod. Tol.: spirituali.

versus ab intimis, contra illud quod (1) dicitur, *Gen. 24:* Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas?

Verum cum peccator dicatur aversus vel subversus, vel eversus, propter causas speciales, perversus tamen dicitur propter omnia, quasi perfecte versus, scilicet et ab ante in retro, et a supra in subtus, et ab interioribus ad extra, propter quod dicitur, *Eccle. 1*: Perversi difficile corriguntur.

Cum ergo perversitas tantum malum importet, non est parvipendenda culpa quam vir spiritu Dei plenus vocat perversitatem.

Non solum autem vocat eam perversitatem, sed perversitatem detestandam, et bene. Sunt enim tria quae Dominus specialiter detestatur: primum est superbia, unde *Amos 6:* Detestor ego superbiam Jacob; secundum est crudelitas, *Prov. 8*: Labia mea detestabuntur impium, id est illum qui est sine pietate; tertium est seminatio discordiae inter fratres, *Prov. 6:* Septimum detestatur anima illius, scilicet illum qui seminat discordiam inter fratres. Sane non est sine superbia, nec sine crudelitate incompassionis, nec sine occasione discordiae inter fratres, cum pauperes volunt aequari illis qui fuerunt divites in recreationibus similibus faciendis, et ideo vere est hujusmodi perversitas detestanda.

Sequitur: **Sane quemadmodum aegrotantes necesse habent minus accipere ne graventur, ita et post aegritudinem sic tractandi sunt ut citius recreentur, etiamsi de humillima saeculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior aegritudo, quod divitibus anterior consuetudo.**

Traditis mandatis circa illas abusiones quae solent fieri et oriri circa misericordias quae fiunt infirmis vel delicatis, tradit hic mandata contra eas quae oriuntur circa recreandos post infirmitatem. Quae sunt duae: una ex parte praelatorum quando eas non faciunt, alia circa recipientes cum eis abutuntur. Circa primum ponit hic mandatum; circa secundum infra cum dicit: « Sed cum vires. »

---

(1) Cod. Vien.: contra quod.

Et nota ex praedictis quod sunt mandata tradita hucusque circa abusiones videntium misericordias; hic autem circa abusiones facientium; in sequenti vero clausula, circa abusiones recipientium.

LXXIII. Contra illos qui excedunt in quantitate victualium.

Notandum autem hic primo, circa illud quod dicit: « minus accipere ne graventur, » quod excessus in quantitate cibi vel potus gravat quoad corpus, et quoad animam, et quoad famam.

Quoad corpus quia aufert quietem somni. *Eccle. 5*: Saturitas divitis non sinit eum dormire.

Item, generat infirmitatem, quia secundum Senecam multa fercula multos morbos fecerunt. *Eccli. 37*: In multis escis erit infirmitas.

Item, adducit graves dolores. *Job. 20:* Cum satiatus fuerit arctabitur, aestuabit, et omnis dolor irruet super eum. De his tribus habetur *Eccli. 31,* ubi dicitur: Vigilia, cholera et tortura viro infrunito, id est homini qui est sine frugalitate, quae est parcitas in victu. Vigilia quoad primum; cholera quoad secundum, ut accipiatur species pro genere, ut sit sensus, id est, infirmitas quae frequenter generatur ex cholera; et tortura, id est torsiones, quoad tertium. Si autem hoc facit hujusmodi excessus etiam in sano, quanto magis in infirmo! Unde proculdubio et aufert ei quietem somni, et prolongat infirmitatem, et adauget dolores: quae omnia valde gravant corpus ejus.

Item, gravat quoad animam, quia obtundit aciem cordis, sicut dicitur in libro *Collationum, 1.* Hieronymus: Nihil adeo obstruit intelligentiam sicut comessatio et ebrietas, quae scilicet faciunt excessum praedictum. Et ideo e contrario dicitur, *Dan. 1,* quod pueris abstinentibus data est amplior intelligentia.

Item, confundit memoriam, ut non recordetur quis agendorum. Tullius: Recta mente uti non possunt nimio cibo et potu repleti. Dicitur enim mens a meminendo: tales autem frequenter non reminiscuntur eorum quae recta sunt, et quae ad Deum pertinent. *Os. 13:* Saturati obliti sunt mei, scilicet eorum quae ad me pertinent.

Item, incitat carnalem concupiscentiam. *Jer. 5*: Saturavi eos et moechati sunt.

Quia ergo, secundum hoc gravatur non solum corpus, sed etiam

cor quoad intelligentiam, quoad memoriam, quoad concupiscentiam, dicit Dominus discipulis suis, *Luc. 21*: Attendite nequando graventur corda vestra crapula et ebrietate, notabiliter dicendo corda.

Item, gravat quoad famam. Dicunter enim isti similes Sodomitis, de quibus dicitur, *Ezech. 16*: Haec fuit iniquitas Sodomae, saturitas panis.

Et nota, sicut tangitur in libro *Collationum*, quod dicit panis, quia saturitas etiam in cibis vilibus cavenda est.

Item, tales faciunt (1) de ventre suo Deum Bel, dequo dicitur, *Dan. 14*: Nonne videtur tibi esse Bel Deus vivens? Nonne vides quanta comedat et bibat quotidie?

Item, solent dici sicut canes, qui tanta (2) comedunt quod oportet eos vomere. *Is. 56*: Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.

Cum ergo excessus praedictus gravet quoad tria praedicta, cavendus est valde infirmo religioso viventi in congregatione, et propter corpus, quia infirmus; et propter animam, quia religiosus; et propter famam, quia inter alios vivens celare non potest quod facit.

Ad hoc autem cavendum instruit nos natura quae dedit homini minus os secundum corporis sui quantitatem, quam irrationabilibus animalibus.

Item, instruit etiam medicina. Unde cum quaesitum fuisset a Galieno quid esset perfecta medicina, respondit: Abstinentia. Et cum iterum quaesitum esset ab eo quare parum comederet, respondit: Ut vivam.

Item, instruit etiam sanctorum patrum doctrina, de qua sic legitur in libro *Collationum*: Super jejuniorum modo haud facile potest uniformis regula custodiri, quia nec par fortitudo mentis inest omnibus, nec unum inest robur cunctis corporibus. Idcirco talis super hiis datur definitio ne quis unquam vel qualiscumque cibi saturitatis oneretur ingluvie.

Cum ergo hoc sit contra documentum naturae, et medicinae, et spiritualis doctrinae, non immerito Dominus irascitur contra contra-

---

(1) Cod. Grat.: dicuntur facere. — (2) Codd. Vien. et Grat.: tantum.

rium facientes, (1) secundum illud Psalmistae, *Ps. 77*: Manducaverunt et saturati sunt nimis; et post: Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Quod si propter Dei offensam nolunt se cohibere, inferenda est necessitas illis qui sub disciplina sunt, sicut fit brutis quibus imponitur camus et fraenum in ore, asino scilicet et equo, ne comedant (2) quantum volunt. Psalmista, *Ps. 31*: In camo et fraeno maxillas eorum constringe. Et ideo bene dicit vir sanctus Augustinus: « necesse habent minus accipere, » necessitate, inquam, intrinseca, propter rationes praedictas; et extrinseca, a praelatis etiam invitis illata, si se voluntarie non cohibent. Et felix necessitas quae ad meliora compellit!

LXXIV. De recreationibus faciendis debilibus, etiamsi fuerint pauperes in saeculo.

Secundo, notandum circa illud: « sic tractandi sunt, » etc. quod sunt quidam praelati qui circa recreationes faciendas debilibus inveniuntur interdum duri nimis. Hii sunt de numero illorum pastorum de quibus dicitur, *Ezech. 34*: Quod infirmum fuit non consolidastis.

Sunt autem tria quae solent eos ab hoc retrahere.

Primum est species religionis: sub praetextu enim religionis tractant interdum fratres dure. Sed deberent cogitare quod religio munda et in maculata apud Deum et Patrem, de cujus judicio magis est curandum quam de judicio humano, haec est, secundum Jacobum, *Jac. 1*: Visitare pupillos et viduas in tribulationibus eorum, quod est opus misericordiae: ergo eadem ratione in omni opere misericordiae est vera religio. Cum ergo recreatio debilium sit opus misericordiae, major est religio in hoc quam quando ex quodam nescio quo rigore permittuntur eorum viscera contorqueri.

Secundum est tenacitas avaritiae, sub specie paupertatis quam allegant. Sed deberent cogitare quod si essent largi dispensatores secundum domini sui voluntatem, Dominus qui dives est et largus eis necessaria ministraret. Consuevit enim Dominus dispensatori suo ministrare expensas, postquam omnia expendit; et ideo dicitur, *Luc. 6*: Date et dabitur vobis.

---

(1) Cod. Vien.: dicentes. — (2) Cod. Grat.: in ore asino et equo, ne scilicet comedant....

Tertium est duritia cordis. Sunt enim quidam qui indurantur ad suos quasi non sint sui, ut struthio, faciles ad duritias, duri autem ad misericordiam. (1) Sed deberent attendere quod in Scripturis praelati vocantur matres. Bernardus ad praelatos: Discite vos matres esse non dominos, et sicut (2) matres pia gestant ad filios viscera, (3) sic ad subditos pia gestetis viscera. Sic faciebat Paulus qui dicit, 1 *Thess.* 2: Facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos. Sic etiam docebat scribens ad Timotheum praelatum dicens: Exerce te ad pietatem. 1 *Tim* 4.

Cessantibus igitur rationibus (4) praedictis minus bonis, sic tractandi sunt debiles in refectionibus quoad cibum, in repausationibus ne ad labores graves cogantur, in dispensationibus circa religionis rigorem, ut citius genua debilia roborentur, et roborati per recreationes (5) congruas ad religionem, pro qua videntur hujusmodi praelati zelare, citius revertantur, ne expensas quas timent ex diuturnitate languoris, oporteat adaugeri, et ipsi pro opere pietatis consequantur promissionem vitae quae nunc est, et futurae.

Sed tamen cum dolore notandum est quod sunt quidam praelati qui hujusmodi recreationes faciunt minus indigentibus propter aliquam eorum magnitudinem, et de humilioribus quibusdam magis indigentibus non curant. Bernardus: Videmus multos, qui, quod crassum est assumentes, quod debile est projiciunt: quod valde cavendum est.

Primo, ne vitium acceptionis personae in domo Dei inveniatur. Si enim non est deferendum pauperi in judicio justitiae contra divitem, sicut habetur ex lege, *Exod. 23,* multo minus deferendum est diviti contra pauperem vel pusillum in operibus misericordiae.

Secundo, ne justitia laedatur. Si enim tanta est vis pietatis, quod in necessitate aliena facit propria, quanto magis justum est ut communia fratri indigenti communicentur? Non est igitur hoc solum

---

(1) Cod. Vien.: duri enim ad justitiam et ad misericordiam. - In marg.: ad justas misericordias. — (2) Cod. Sp.: et hoc est: sicut matres... — (3) Cod. Tol.: et hoc est: sicut matres pia gestent ad subditos viscera. Sic faciebat Paulus... - Ita fere Cod. Vien. — (4) Cod. Vien.: causis. — (5) Cod. Grat.: actiones.

misericordia, sed debitum; propter quod dicitur, *Eccli. 4,* de opere pietatis: Et redde illis debitum tuum. Non est ergo contrarium, si fiat sine justitiae laesione.

Tertio, ut majus (1) meritum habeatur: cum enim quod fit minimis suis Deus sibi fieri reputat, quanto quis minor (2) est, tanto magis sibi fieri reputat, et tanto habet acceptius, et tanto magis remunerat. Et ideo notabiliter dicitur, *Matth. 25,* non solum de minimis, sed de minoribus: Quamdiu non fecistis inquit, uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

Ad cavendum ergo personarum acceptionem, ad conservationem justitiae, ad meritorum augmentum, pie tractandi sunt fratres in hujusmodi recreationibus, « etiamsi de humillima saeculi paupertate venerint, tamquam hoc illis contulerit recentior aegritudo quod divitibus anterior consuetudo; » hoc est, tanquam hoc illis fiat ratione infirmitatis praecedentis de novo, quod divitibus fit interdum ratione consuetudinis antiquae, quam in saeculo habuerunt.

Et est argumentum ex hoc quod condescendendum est aliquibus in aliquo ratione consuetudinis praecedentis. Unde dicitur quod beatus Bernardus cuidam monacho, qui timebat frigus in capite multum, concessit contra morem ordinis ut portaret capellum, sicut in saeculo consueverat. Quod, cum fecisset aliquot diebus, et semel existens in choro videret alios monachos, senes et juvenes extractis caputiis in frigore cantantes viriliter, compunctus in semetipso extractum capellum de capite projecit in medio chori, et postea numquam voluit portare

Item, dicitur de quodam abbate sancto quod quibusdam juvenibus monachis tentatis de carnibus anserum, quas in saeculo libenter comedebant, concessit ut clanculo paratas comederent: quod, cum facerent, in ipsa mensa confusi in semetipsis surrexerunt, et intrantes claustrum, pulsato cymbalo intraverunt refectorium, et fabas cum aliis comederunt.

Item, dicitur de quodam alio viro magnae religionis et magnae famae, quod cuidam subdito suo, qui ceciderat in tristitiam, con-

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: magis. — (2) Cod. Vien.: major.

cessit violare (1) in aliquo loco occulto, sicut in saeculo optime facere consueverat; et dicitur eidem valuisse quoad animam et quoad corpus. Haec igitur et similia, etsi non sint trahenda ad consequentiam, tamen si fiant interdum et raro a viris sanctis, credendum est quod fiant illo inspirante qui populo suo suspiranti ad ollas carnium consuetas contra morem vastae solitudinis dedit carnes in abundantia in deserto.

Sequitur: **Sed, cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quae famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent, ne cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas levarat infirmos.**

Duae sunt abusiones, quae interdum reperiuntur in illis quibus recreationes (2) misericorditer impenduntur: una, quod post sufficientem recreationem non facile redeunt ad conventum, contra quam ponitur istud mandatum; alia, quod felices aestimant illos qui divites fuerunt, quibus, ut eis videtur, talia facilius impenduntur: contra quam ponitur sequens mandatum, scilicet: « Illos existiment, etc. »

LXXV. De sequendo conventu et de reprehensibilibus circa subtrahentes se ab eo.

At notandum circa illud quod hic dicitur, quod natura ad hoc quolibet anno reparat (3) vires in terrae (4) nascentibus, ut, resumptis viribus, ferant fructum consuetum.

Item, ad hoc datur annona copiosius equo, ut fortior effectus melius faciat dietam suam.

Item, ad hoc divisit Deus tempus in tempus quietis, scilicet noctem, et in tempus laboris, scilicet diem, ut somno refectis artubus in nocte, de die exeat homo ad opus suum. Sic et servi Dei, reparatis viribus per recreationes, debent redire ad labores consuetos

---

(1) Cod. Sp.: sigellare; - cod. Vien.: viellare. De quo hanc nobis transmisit notulam frater et amicus R. P. Vinc. Laporte: « Cela veut dire jouer de la vielle. Gauthier de Coincy dit dans ses vers: Ma vielle vieller veult un biau son.... Peut-être le mot *violare* peut-il s'entendre de jouer de la viole. » Quod et nos admittimus. De voc. *viellare*, cf. Cangius. — (2) Cod. Grat.: recte recreationes. — (3) Cod. Grat.: temperat. — (4) Cod. Sp.: terra.

conventus, et hoc est Deum diligere ex totis viribus, sicut praecipitur *Deut. 6,* cum scilicet ex ejus amore in ejus servitium expendimus vires nostras. Bene ergo dicit vir sanctus: « Sed, cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, » scilicet ad vitam conventualem, modo consueto sequendo chorum, refectorium, capitulum, scholas, collationes, et alia facienda, quae solent a conventualibus exerceri.

Et vide quanta mala solent provenire interdum illis qui se subtrahunt a sequendo conventum.

Unum est refrigeratio; unde Bernardus cuidam monacho tentato de solitudine dixit: Sicut carbo cum aliis ardentibus ardet, separatus vero (1) refrigescit, immo certe et nigrescit, et fumum reddit; similiter et titio ardens claret cum aliis, segregatus haec eadem incurrit: ita monachus segregatus a conventu faciliter refrigescit a fervore in corde, et denigratur conversatione, et reddit fumum malae famae.

Aliud est indignatio Regis aeterni: omnis enim congregatio sancta (2) est quasi quidam exercitus Domini, juxta illud, *Cant. 6:* Terribilis, ut castrorum acies ordinata. Solent autem multum indignari reges contra suos qui non sequuntur exercitum suum: quomodo ergo non indignabitur Rex regum, et Dominus dominantium contra tales? Indignabitur siquidem, et non modicum. Ideo in hujus figuram David indignatus contra Miphibozeth, licet claudum, dixit ei, 2 *Reg. 19:* Quare non venisti mecum, Miphibozeth? scilicet cum aliis, qui erant mecum in exercitu meo: et abstulit ei medietatem possessionum suarum, secundum morem principum, qui punire solent a suo exercitu remanentes.

Aliud est periculum latronum: solet enim peregrinus, separans se a sociis facilius incidere in latrones; ideo peregrini pergentes Romam, cum transeunt per terras guerrarum, solent expectare magnam societatem, et illam praecipue in qua est potestas vel aliquis magnus conducens: ita et religiosus debet se semper conjungere mul-

---

(1) Cod. Sp.: Sicut carbo ardens cum aliis ardentibus ardet, separatus cito refrigescit. — (2) Codd. Sp. Grat. et Tol.: facta.

titudini conventus, praecipue cum dux sit semper in eo, (1) tanquam in bona congregatione. *Zach. 8:* In diebus illis.... apprehendent fimbriam viri Judaei, dicentes: Ibimus vobiscum; audivimus enim quia Deus vobiscum est.

Aliud est nota infidelitatis: cum enim Dominus mittat religiosis, tanquam operariis in vinea sua laborantibus, quidquid boni habet, quomodo potest se excusare ab infidelitate ille operarius, religiosus scilicet, qui vult comedere omnia bona quae mittuntur, modo in infirmitorio, modo in mane, modo in coena, modo cum extraneis, modo cum fratribus hospitibus, et nihil sustinere laboris in conventu, sicut vespertilio, qui dicitur bibere oleum lampadarum in ecclesia, et nihil laborat in cantando? Ideo dicitur, *Job. 2,* e contrario: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus, ut, scilicet, simus participes laboris sicut et consolationis?

Aliud est erroris invium. Ovis enim segregata a grege de facili vadit per multa invia, sicut et isti per multas dissolutiones, et irreligiositates, et insolentias. 1 *Pet. 2.*: Eratis sicut oves errantes, scilicet quando non eratis in ovili Ecclesiae.

Aliud est exclusio (2) a portu coelesti, sicut solet (3) accidere peregrino stulto eunti ultra mare, qui cum navis applicat ad aliquem portum, solet egredi ad terram causa recreationis, et interim flante vento alii proficiscuntur ad portum optatum, et ipse remanet in littore. Ideo dicitur e diverso (4) de discipulis Domini, quasi de sapientibus, *Matth. 8:* Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli, nolentes scilicet in littore remanere.

Patet ergo ex his quod incurrunt isti sex mala: scilicet refrigerationem charitatis, et hoc quoad se; indignationem Regis aeterni, et hoc quoad Deum; periculum latronum, et hoc quoad hostes; notam infidelitatis, et hoc quoad socios; invium erroris, et hoc quoad viam; carentiam portus, et hoc quoad patriam.

---

(1) Cod. Vien.: cum Dominus sit semper cum eo. — (2) Cod. Sp.: expulsio. — (3) Codd. Sp. et Vien.: Sicut enim solet accidere..... quod cum navis..... — τὸ « cum » deest in Cod. Vien. — (4) Cod. Grat.: e converso.

Item, notandum quod vita conventualis habet sex praerogativas, quas multum debent diligere servi Dei.

Prima est in meliori occupatione. Extra conventum enim frequenter occupantur aliqui in aliquibus minus bonis: in conventu vero est quasi continua occupatio in aliquo bono; et de hoc valde curandum est bono viro. Unde Hieronymus: Semper boni operis aliquid facito.

Secunda est in majori securitate. Securior est enim quis ab hoste suo cum est inter socios suos, quam quando est extra; et ideo Cain non interfecit fratrem suum quando erat in domo cum patre suo et suis, sed eductum in agro, sicut habetur *Gen. 4.*

Tertia est in majori ordinatione: omnia enim magis ordinate fiunt in conventu. Si autem omnibus fidelibus curandum est de hujusmodi ordinatione, secundum illud Apostoli, 1 *Cor. 14:* Omnia secundum ordinem fiant in vobis: quanto magis illis qui vivunt in ordine, (1) et ordinem sunt professi?

Quarta est in majori virtute: quidquid enim fit in conventu, fit secundum motum alienum, cum modo hoc signum trahit ad hoc, illud ad illud, et sic de singulis. Quod autem fit non secundum propriam voluntatem, sed alterius, virtuosius est. Seneca: Hoc solum virtuti adjicies quod propriae voluntati detraxeris.

Quinta est in majori uniformitate: vita enim conventualis est uniformis, sicut motus coelestium. Boni autem viri debent se libenter conformare coelestibus; et ideo dicuntur frequenter in Scriptura coeli; et valet eis multum uniformitas hujusmodi vitae, quia varietas turbationem inducit et corporis et animae; uniformitas vero quietem et pacem. *Ps. 4:* In pace in idipsum dormiam et requiescam; hoc, est per hoc quod est idipsum, id est idem sive unum, dormiam et requiescam, scilicet in pace et quiete.

Sexta est in occasione majoris humilitatis: sequestratio enim singularitatis, etiam in bono, habet occasionem illam superbiae de qua dicit pharisaeus, *Luc. 18*: Non sum sicut caeteri hominum. In societate vero, cum nihil faciat quis nisi quod alii, non est occasio

(1) Cod. Grat.: in ordine ubi sunt professi.

hujusmodi superbiae: quid autem magis cavendum viro sancto quam superbia? *Tob. 4:* Superbiam in tuo sensu, id est mente, (1) nunquam dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

Sic ergo patet quantae praerogativae sit vita conventualis.

Item, considerandum quod conventum sanctae congregationis semper sequitur ille magnus abbas, cui fecimus professionem et obedientiam dicendo: Ego N. facio professionem, et promitto obedientiam Deo, quantumcumque pauci sunt ibi. *Matth. 18:* Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.

Item, secundum regulam Evangelii, quicumque humiliores sunt et minores apparent, majores sunt apud Deum: isti vero sunt qui solent melius sequi conventum.

Item, in hujusmodi conventu (2) frequenter fit pictantia gratiarum et consolationum spiritualium: unde apostoli congregati receperunt Spiritum sanctum. *Act. 2.*

Item, ibi dat benedictionem, non hebdomadarius, vel abbas, vel episcopus, sed major his, videlicet summus pontifex Deus. *Ps. 132:* Illic enim, scilicet ubi fratres habitant in unum, mandavit Dominus benedictionem.

Item, statutum est apostolicum ut nullus subtrahat se ab isto (3) conventu. *Hebr. 10:* Non deserentes collectionem nostram, id est, societatem insimul collectam, secundum *Glossam.*

Item, subtrahentes se solent graviter damnificari. Saul recedens a cuneo prophetarum amittebat gratiam prophetalem, 1 *Reg. 10,* et *19;* Thomas separatus a choro Apostolorum privatus est visione dominica, *Joan. 20;* Judas exiens a societate apostolica colligatus est cum inimicis Christi, et factus est ejus proditor, *Matth. 26.*

Cum igitur praesentia abbatis vel majoris in conventu, et sequela majorum, (4) cum ipsum conventum sequentes (5) pictantiae

---

(1) Hic addunt plerumque edita: « aut in tuo verbo, » quod tamen in codd. nostris desideratur. — (2) Cod. Vien.: Item hujusmodi frequenter in conventu; — codd. Sp. et Grat.: Item in hujusmodi in conventu. — (3) Codd. Vien. et Sp.: istorum. — (4) Cod. Vien.: Cum igitur praesentia talis abbatis sit in conventu, et sequela ipsius majorem reddat, et ipsum conventum sequantur... — (5) Codd. Sp. et Il.: sequuntur.

bonae, benedictio magnae (1) personae, statutum forte, punitio gravis se subtrahentium soleant multum movere monachum ad sequendum conventum, quam perversus est religiosus quem ad sequendum bene conventum non moveat praesentia Dei, (2) nec coassistentia majorum, nec pictantiae gratiarum, nec benedictio Dei, nec statutum apostolicum, nec tam gravis punitio transgressorum! Miserabilis igitur est consuetudo illa, de qua, *Hebr. 10 :* dicitur : Sicut consuetudinis est quibusdam, scilicet deserere collectionem, id est insimul collectos. Et e contra beata est consuetudo illorum qui libenter sequuntur ubique conventum, cum, sicut supra dictum est, tot mala proveniunt se subtrahentibus, et tot bona sint in vita conventuali, et tot sint (3) rationabiliter motiva ad sequendum. Ideo bene vir sanctus vocat istam consuetudinem « feliciorem, » non per comparationem, quia contraria sit felix, sed (4) per oppositionem, quia illa sit miserabilis valde, ista vero valde felix.

Porro ista beata consuetudo, etsi omnes deceat, tamen magis illos qui minus indigent, sicut dicit. In quo reprehenduntur illi specialiter qui praeter necessitatem morantur in recreationibus. Isti sunt sicut trutanni, qui recipiuntur in divitibus hospitalibus causa infirmitatis, et postquam sanati sunt, fingentes se adhuc infirmos, ibidem commorantur propter bonos lectos et bona cibaria. Quo contra dicit Dominus, *Marc. 2,* paralytico sanato : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. Sic datur licentia trutanno.

Item, horum corpus est sicut asinus, qui habens in stabulo pabulum bonum, et paleas ad quiescendum, in mane, cum est tempus quod vadat ad onera consueta, fingit se claudum ; sed cum pungitur virga et compellitur ad onus, fortis invenitur. Et sic faciendum est tali corpori. *Eccli. 33 :* Cibaria, et virga, et onus asino. Non dicit solum cibaria ; sed post cibaria, virgam compellentem ad onus.

Item, horum caro est sicut murilegus claustrorum, qui in refectorio solet vivere de crustis panis : sed postquam consuevit ire ad infirmitorium, ubi invenit morsellos et reliquias carnium, nun-

---

(1) Cod. Grat. : bonae — (2) Codd. Grat. et Vien. : praesentia divina. — (3) Cod. Vien. : bona sint rationabiliter motiva. — (4) Cod. Sp. : propter.

quam vult (1) ire ad refectorium; sed semper frequentat infirmitorium, quantumcumque inclametur (2) et confundatur ibi, nisi in uno casu, scilicet quando nihil datur ei ibidem; tunc enim redit ad refectorium: et sic subtrahenda sunt hujusmodi carni delectabilia, ut revertatur ad consueta. (3) Exemplum in *Luc. 15,* de filio prodigo qui, (4) postquam defuerunt deliciae, rediit ad panes mercenariorum in domo patris.

Quam indecens igitur est ut famulus Dei sit tanquam trutannus, vel asinus fictus, vel murilegus! Ideo bene dicit: « quae famulos Dei tanto amplius decet quanto minus indigent. »

Verum (5) interdum contingit quod illi, qui fuerunt valde spirituales et contemplativi, postmodum allecti voluptate ciborum, fiunt ita carnales quod vix possunt avelli ab hujusmodi cibis. Exemplum de aquila, quae, sicut dicitur in libro *Coliationum,* cum volet in altissimis, subito se interdum dejicit ad (6) cadaver, et ita fortiter ei adhaeret, quod vix avelli possit ab eo: ita et isti; et ideo confundit eos Apostolus dicens, *Gal. 3:* Sic stulti estis, ut, cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?

Dicitur fabulose quod ursus ideo habeat parvas aures et parvam caudam, quia, cum vellent eum introducere ad locum mellis, ut mel comederet, fecit tantam difficultatem in intrando, cum traherent eum per aures quas habebat longas, quod scissae sunt in manibus eorum et decurtatae: cum autem ingressus invenisset mel, et nimis avide devoraret, et vellent eum retrahere per caudam quam habebat longam valde, ita fortiter adhaesit melli quod in trahendo eum retro rupta est cauda, et facta est brevis. (7) O quot sunt et fuerunt, qui cum magna difficultate introducti primo ad recreationem, vix postmodum possunt retrahi (8) a melle dulcedinis illius! Contra quod dicitur, *Prov. 25:* Mel invenisti, comede quod sufficit tibi; quasi dicat: non nimis, sed moderate.

Dicitur iterum quod fuit quidam Philosophus multum justus et

---

(1) Cod. Grat.: redire. — (2) Cod. Sp.: exsclametur. — (3) Cod. Vien. et Sp.: consuetudinem. — (4) Cod. Vien.: cui. — (5) Cod. Vien.: unde. — (6) Cod. Grat.: super. — (7) Cod. Grat.: parva. — (8) Cod. Grat.: avelli.

audax in dicenda veritate. Cum autem multum et audacter obloqueretur de rege suo et curia ejus, quae erat multum carnalis, rex sapienter et non per potentiam volens sibi providere, usus consilio prudentium vocavit eum ad curiam suam ut esset commensalis suus, et ei assisteret in consiliis. Cum autem, licet quodammodo coactus, consensisset, per lapsum temporis paulatim incoeperunt ei tantum placere deliciae curiae et solatia carnalia, quod amisit cor dicendi aliquid contra regem et curiam suam; et sic rex et sui dimissi sunt in pace a lingua illa. Quis autem nesciat quod multi zelatores magnae austeritatis, qui solebant dure loqui contra hujusmodi carnales et pejores eis, in hoc habenas relaxantes postquam conferantur eis similia, ex complacentia quam inveniunt in eis etiam irretiuntur, et contra talia jam loqui non audent; sicut dicitur de cane quod, projecto ei pane a latrone, cessat (1) a latratu. Ideo dicitur, *Eccli. 20,* de xeniis, quae possunt hic vocari pictantiae recreationum, collatae (2) praelatis et officialibus, et aliis his utentibus, quod quasi mutis in ore avertunt correctiones. (3)

Cum igitur voluptas cibariorum viros spirituales efficiat carnales, et carnalia, quae prius fugiebant, faciat nimis sequi, et os apertum ad hujusmodi claudat a reprehensione aliorum salubri, bene dicit vir sanctus quod caveant « ne cibi eos teneat voluptas jam vegetatos. » Tenet equidem quandoque etiam viros bonos in vinculis hujusmodi voluptas. Vidi ego quemdam bonum (4) religiosum, qui cum fuisset in infirmitorio aliquanto tempore, et appropinquaret dies quo oportebat eum redire ad conventum, advertens quid agebatur in anima sua, dixit in quodam solatio ex humilitate quod ita videbatur ei difficile, relicto infirmitorio, redire ad conventum, (5) sicut fuit ei difficile a principio, relicto saeculo, intrare ordinem. Et ideo valde cavendum est etiam viris sanctis ab hujusmodi illaqueatione.

---

(1) Cod. Vien.: jam cessat. — (2) Codd. Vien. et Grat.: a praelatis.... — (3) Cod. Il.: quasi mutus in ore avertit.... - Cod. Sp.: iu marg.: mutos ab ore avertent per recreationes. — (4) Codd. Vien. et Sp.: bonum hominem religiosum. — (5) Cod. Grat.: intrare conventum.

Sequitur: **Illos sane existiment ditiores qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: melius est enim minus egere quam plus habere.**

Quidam experti solatia recreationum apud se magnificant illos qui divites fuerunt, quibus, ut eis videtur, haec frequentius impenduntur: et haec est abusio secunda praedicta, contra quam ponitur hoc mandatum. Non enim divites debent propter hoc reputari melioris conditionis, sed potius qui fortes sunt ad sustinendam parcitatem debent ditiores reputari. (1) Et ponitur in hoc mandato primo substantia mandati ibi: « Illos sane existiment, » secundo causa mandati ibi: « melius enim est, etc. »

LXXVI. Quod divitiae spirituales praecellunt corporales et quod in eis multum abundat qui sustinet parcitatem.

Et notandum quod duo sunt genera divitiarum, corporales, ut patet, et spirituales, de quibus, 2. *Cor. 8:* Propter nos factus est egenus, cum esset dives, ut ejus inopia nos divites essemus. *Glossa:* in spiritualibus. Non enim ad hoc fuit pauper Christus ut essemus divites in temporalibus.

Consistunt autem istae divitiae spirituales in virtutibus. *Eccli. 44:* Divites in virtutibus et in operibus earum; quae ibi memorantur. (2) Et, 1 *Tim. 6:* Praecipe divitibus hujus saeculi divites fieri in operibus bonis: quae duo uno nomine possunt dici justitia generalis, quae consistit in virtutibus et in operibus earum meritoriis.

Et attende quanta sit differentia inter ista duo genera divitiarum. Dicitur enim, *Prov. 17:* Quid prodest habere divitias stulto, cum sapientiam emere non possit? Ergo propter divitias corporales non potest haberi sapientia: ergo multo magis nec justitia, quae melior est: ergo nec regnum coelorum, quod est majus. Sed pro quolibet opere justitiae meritorio, quantumcumque modico, haberi potest regnum coelorum: ergo melius est incomparabiliter omnibus divitiis mundi justitia. Sicut ergo incomparabiliter aureus denarius excedit denarium plumbeum (3) in valore, ita et divitiae spirituales corporales:

---

(1) Cod. Grat.: aestimari. — (2) In codd. Sp. et Grat.: deest τὸ « quae ibi memorantur. » — (3) Cod. Vien.: sicut ergo aureus denarius excedit plumbeum....

quia per illas non potest haberi nisi quod vile est, silicet temporale aliquod; per istas vero potest haberi pretiosum regnum coelorum.

Item, solent divitiae temporales interdum prodesse possessori suo ad hoc ut si forte ex aliqua offensa cadat in manus domini sui ad poenam mortis, per illas liberetur in curia illius. Non sic autem erit in die magnae necessitatis: non enim tunc subvenient istae, justitia vero subveniet. *Prov. 11:* Non proderunt divitiae in die ultionis; justitia vero liberabit a morte.

Item, divitiae corporales non possunt transferri ad aliud saeculum. *Job. 27:* Dives, cum dormierit, nihil secum auferet; opera vero justitiae illuc deferuntur. *Apoc. 14:* Opera enim illorum, scilicet bonorum, sequuntur illos. Differunt ergo sicut praebenda quam habet aliquis in ecclesia aliqua, quae extra nihil ei valet, et praebenda quam habet quis quocumque vadat et ubicumque moretur: quae reputatur melioris conditionis.

Item, divitias corporales multi volunt habere et non possunt, propter quod dicitur, *Prov. 23:* Ne erigas oculos ad opes quas habere non potes, scilicet corporales, quae vix haberi possunt; e contra spirituales facile possunt habere quicumque volunt. *Eccli. 15:* Ante hominem vita et mors, bonum et malum: ad quod voluerit extendit manum suam. Ergo quicumque vult habere bonum in quo consistunt divitiae spirituales, potest.

Item, istae possunt perire invito domino. *Eccle. 5:* Pereunt in afflictione pessima; cum enim vel auferuntur ab aliis, vel a morte, vel mutata fortuna evolant, si non invito possessore hoc eveniret, non relinqueretur afflictio: (1) sed quia ipso quantumcumque invito hoc fit, relinquunt pessimam afflictionem. Spirituales vero non possunt auferri a nolente; (2) ideo dicitur, *Ose. 8:* Projecit Israel bonum. Non enim potest amitti bonum, nisi projiciatur ab homine, juxta illud quod dicit Philosophia Boëtio: Talia tibi arma contuleramus, scilicet virtutes, quae nisi prius abjecisses, invicta te firmitate tuerentur.

Item, istae habent annexam multam amaritudinem. *Nah. 3:*

---

(1) Cod. Grat.: afflictus. — (2) Cod. Grat.: a voluntate.

Cujus divitiae mare, scilicet amaritudo. Est enim labor in acquirendo, timor in custodiendo, dolor in amittendo, anxietas in dando, pudor in non dando, angustia cum in expendendo minorantur, miseria in vita cum non expenduntur. Quid autem sunt omnia ista nisi amatitudines? Illae vero jucunditatem. *Psal. 18:* In custodiendis illis retributio multa. *Glossa*: In custodiendis dicit, non pro custodiendis, quia in praesenti gaudium habent et jucunditatem, quae tanta est quod dici non potest.

Item, istae sunt interdum nocivae dominis suis. *Eccle. 5:* Divitiae conservatae in malum domini sui; in malum scilicet culpae, quoad praesens, *Eccli. 11:* Si fueris dives, non eris immunis a peccato; et in malum poenae, 1 *Tim. 6:* Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, qui ducens eos illaqueatos ad futurum saeculum, ponit in statu in quo incurrent poenam damni, juxta illud, *Matth. 19:* Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare regnum coelorum; et poenam sensus, juxta illud, *Jac. 5:* Et manducabit carnes vestras tamquam ignis, scilicet aurum et argentum; et haec duo quoad futurum. Verum (1) e contrario nihil in vita utilius est hominibus divitiis spiritualibus, scilicet virtutibus, sicut dicitur de quatuor cardinalibus, *Sap. 8.*

Cum ergo divitiae spirituales, sicut ex his patet, plus valeant ad acquirendum magna, et succurrant in die magnae necessitatis, et portari possint ubique, et facilius acquirantur, et difficilius amittantur, et habeant secum annexam jucunditatem, et summam conferant utilitatem, quae omnia desunt in corporalibus, patet quod excellentiores sunt incomparabiliter istae illis. Et ideo vocantur a Sapientia opes superbae, id est excellentes. *Prov. 8:* Mecum sunt opes superbae. *Glossa:* Quidquid donorum fidelibus coelitus datur, cunctis mundi opibus excellentius est.

Sane istis divitiis multum abundant illi qui fortes sunt ad sustinendam parcitatem: habent enim meritum abstinentiae, quod (2) pertinet ad temperantiam.

---

(1) Cod. Vien.: unde. — (2) Cod. Vien.: quae.

Item, meritum patientiae, sustinendo quod est carni molestum: et hoc pertinet ad fortitudinem.

Item, meritum obedientiae, sequendo communia statuta: et hoc pertinet ad justitiam sicut species ejus.

Item, meritum prudentiae spiritus, quae est contraria prudentiae carnis, et ipsam habet elidere suppeditando (1) carnem: et hoc pertinet ad prudentiam.

Item, habet meritum fidei: quid enim, nisi fides Christi, moveret eum eligere hic affligi cum bonis in parcitate? *Hebr. 11:* Fide Moyses elegit affligi cum populo Dei.

Item, meritum spei: viri enim sancti exponunt corpus in praesenti propter spem quam habent recipiendi melius iterum in resurrectione; sicut miles exponit equum suum in servitio regis liberalis, sperans quod si amittat eum, restituetur sibi à rege. 2 *Mach.* 7, dixit unus de septem fratribus respiciens membra sua, quae exponebat martyrio propter leges Dei: Haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.

Item, meritum charitatis, quia propter Deum haec sustinentur, juxta illud, *Psal. 43:* Propter te mortificamur tota die, id est propter amorem tuum.

Cum igitur fortes in sustinendo parcitatem habeant merita quatuor cardinalium et trium theologicarum virtutum, ut patet ex his, valde sunt divites divitiis spiritualibus: quae quanto plus aliis praevalent, tanto sunt verius divitiae reputandae, sicut divitiae auri sunt veriores quam divitiae aeris. Et ideo bene dicit vir sanctus quod tales ditiores sunt aestimandi, quam quicumque alii propter divitias corporales.

LXXVII. Qui sunt minus habentes et minus egentes sunt melioris conditionis quam qui plus habent et plus egent.

Quod autem intelligat de divitiis spiritualibus, patet per hoc quod subjungit: « melius est enim, etc. » « Melius est enim » respicit ea quae sunt virtutis, et est sensus: « melius est enim minus egere etc., » hoc est, melioris conditionis est ille qui minus eget et minus habet, quam qui plus eget et plus habet. Verbi gratia:

(1) Id est: *sub pede* tenendo. Cf. Joan. Januen. *Catholicon,* voc.: suppeditare.

Melioris conditionis est sanus qui minus eget medicinalibus et minus habet, quam infirmus qui plus eget eis et plus habet; et fortis qui minus indiget recreationibus et minus habet, quam debilis qui plus eget eis et plus habet; et potens contra frigus qui minus eget vestibus et minus habet, quam passibilis a frigore qui plus eget vestibus et plus habet: et sic etiam in similibus. Sicut natura humana melior fuit ante peccatum, quando (1) minus eguit hujusmodi et minus habuit, quam post peccatum, quando plus eget et plus habet; et sicut ager, qui minus eget fimo ad fructum faciendum et minus ibi ponitur, melior est illo qui plus eget et plus in eo apportatur; et sicut honesta nostra, (2) quibus, secundum Apostolum, minorem honorem circumdamus quia minus egent, meliora reputantur inhonestis, quibus majorem honorem circumdamus, quia magis egent: sic quoque melioris conditionis est qui minus egens minus habet, quam qui plus egens plus habet.

Hujus autem est ratio multiplex. Prima, quia talis plus habens, quanto plura habet, tanto de pluribus habet (3) reddere rationem, juxta illud, *Luc 12:* Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.

Secunda, quia quanto plus oportet ei ministrare, tanto magis est aliis onerosus; quod valde cavendum est servo Dei, juxta illud Apostoli, 2 *Cor. 11:* In omnibus me servavi vobis sine onere, et servabo.

Tertia, quia minus acceptus est domino suo, sicut mercenarius, (4) qui propter mercedem in sero reddendam, quanto plura requirit in procuratione diurna, tanto magis est taediosus domino et minus acceptus. Ideo Hiram rex Tyri Salomoni petenti famulos suos in suum servitium, et promittenti dare quod vellet, volens ei complacere, petit pro eis non superflua, sed tantum necessaria: Et tu...., inquit, praebebis necessaria; non dicit superflua. 3 *Reg. 5.*

Quarta, quia est in majori sollicitudine quotidiana pro suis, scilicet necessitatibus: hoc autem non modicae est miseriae. Ideo, *Luc. 10,*

---

(1) Cod. Vien.: quoniam. - Cod. Grat.: quia. — (2) Intellige: partes honestas corporis. — (3) Cod. Grat.: tenetur — (4) Cod. Grat.: operarius.

praefertur pars Mariae sine sollicitudine parti Marthae, quae erat sollicita circa plura.

Quinta, quia oportet eum quasi in servitutem redigi eorum a quibus oportet eum hujusmodi abundantiam recipere: sicut mutuans servus est foenerantis, propter suam necessitatem, *Prov. 22.;* quod valde contrarium est libertati, in qua debent vivere sub gratia constituti. Ideo dicit Apostolus, 1 *Cor. 7:* Nolite fieri (1) servi hominum.

Sexta, quia minus paratus est ad obedientiam, sicut divites, qui indigent multis equis et multis necessariis in via, non ita cito possunt se movere sicut pauper qui non habet nisi personam suam. Servus autem Dei semper debet esse paratus, sicut de angelo dicitur, *Tob. 5:* Et quasi ad ambulandum paratum. *Luc. 12:* Et vos estote parati.

Cum ergo hujusmodi plus habentes de pluribus habeant reddere rationem, et magis sint onerosi sociis, et minus accepti Domino in suo servitio, et in angustia sint sollicitudinis, (2) et in servitute majori, et minus parati ad obedientiae executionem, bene dicuntur minus egentes et minus habentes melioris conditionis quam isti. Et hoc est quod dicit: « Melius est enim minus egere quam plus habere. »

Sequitur: **Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.**

Hic incipit tertium capitulum regulae, (3) quod est de pertinentibus ad religionem in quantum est status honestatis excellentis. Ad hujusmodi vero honestatem pertinet honestas in habitu, de qua hic; honestas in societate, de qua ibi: « Quando proceditis, etc. » honestas in moribus, de qua ibi « In incessu, etc.; » et super omnia inhonestatis correctio, de qua ibi: « Cum ergo simul estis, etc. »

---

(1) Codd. Vien. et Grat.: effici. — (2) Cod. Grat.: sollicitationis. — (3) Hic passim in marg. notant codices incipere Caput Tertium totius regulae, juxta divisionem in principio admissam.

LXXVIII. De reprehensibilibus circa habitum religiosorum.

Porro circa honestatem habitus tradit hic duo mandata: unum contra exteriorem notabilitatem; aliud contra (1) interiorem affectionem, ex qua causatur primum, ibi: « Nec affectetis, etc. »

Circa primum vero notandum quod habitus in religioso potest esse notabilis ex septem, scilicet ex pretiositate. 1 *Tim. 2,* dicitur de mulieribus: Non in veste pretiosa. Quanto magis hoc servandum in viro religioso paupertatem professo? Exemplum de ipso Augustino, qui de se dicit: Fateor, de veste pretiosa erubesco: non enim decet hanc professionem.

Item, ex mollitie, quia non decet viros poenitentiae hujusmodi mollities. Ideo dicit Dominus, *Matth. 11:* Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt; ubi scilicet non est locus poenitentiae. Innuitur per hoc a contrario quod ubi est locus poenitentiae, (2) non debet hujusmodi habitus inveniri.

Item, ex pulchritudine, quia sapit superbiam. Ideo dicit Apostolus, 1 *Tim. 6:* Habentes quibus tegamur, his contenti simus. Nota quod dicit: tegamur, non ornemur. *Glossa super Matth. 3,* ibi: Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis, etc.: Servus Dei non debet habere vestimentum ad decorem, sed tantum ad tegendum nuditatem. Si autem hoc decet omnem christianum, quantum contrarium est indecens in religioso!

Item, ex inusitatione, quod fit (3) quando est alterius coloris, vel formae, vel quantitatis, vel in alio modo quocumque dissimilis vestibus quae communiter ab aliis deferuntur sociis. Et haec est vestis peregrina, de qua dicitur, *Soph. 1.:* Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina. Et est argumentum quod non debent parcere visitatores in articulo tali cuicumque qui talem inducit difformitatem.

Item, ex saecularitate, quod est quando sotulares, vel manicae sunt nimis strictae, vel nimis formatae, vel aliter aliqua lascivia vel curiositate vestis quaecumque in aliquo notanda. Sicut enim vestis

---

(1) Codd. Vien. et Grat.: circa... circa. — (2) Cod. Vien.: ubi est poenitentia. — (3) Cod. Grat.: sicut quando.

aliquantulum religiosa in saeculari ostendit ipsum habere mentem religiosam, ita saecularitas in veste religiosi ostendit ipsum habere animum saecularem. *Eccli. 19:* Amictus hominis annuntiat de illo.

Item, ex superfluitate, videlicet cum quis habet capellos (1) superfluos, vel tunicas, vel alia quaecumque praeter necessitatem justam. Exemplum cum quidam religiosus fatigatus ex itinere quiesceret in via, quidam parvus puer accedens et sedens juxta eum, et videns in eo tres tunicas gradatim apparentes, et caputium, et cappam desuper, incoepit computare et dicere: Unum, et duo, et tres, et quatuor, et quinque, et (2) sex; et quasi scandalizatus dixit tale vel simile verbum: Ut quid vos habetis tot tunicas, cum ego non habeam nisi unam? Si autem puer sic fuit scandalizatus, quis dubitat multos in hujusmodi malum exemplum accipere? Ideo Dominus volens cavere ab hujusmodi scandalo discipulis dixit, *Matth. 10:* Nolite possidere.... neque duas tunicas. (3) Et dicit Hieronymus: Duas, necessariam et superfluam. Ex quo patet (4) quod superfluitas est interdicta discipulis Domini.

Item, ex nimia compositione, cui nimis intendunt aliqui (5) interdum, aut in parando caputium, aut in ligando sotulares, et similibus, quod est muliebre. *Ps. 143:* Filiae eorum compositae. Contra quod dicitur, *Deut. 22:* Non induetur vir veste muliebri. Tantum autem dedecet hujusmodi sollicitudo compositionis virum religiosum, quantum indecens reputatur in Scripturis viros fieri effeminatos.

Patet igitur quod habitus viri religiosi non debet esse notabilis, vel in pretio, vel in mollitie, vel in decore, vel in extraneitate inusitata, vel in alia (6) curiositate saeculari, vel in superfluitate, vel in nimia compositione.

LXXIX. Quod vilis habitus convenit praedicatori.

Si vero sit praedicator, super omnia decet eum vilitas in habitu, quod sic patet. Super illo verbo, *Zach. 13:* Non operientur pallio saccineo, dicit *Glossa Hiero-*

---

(1) Capellus hic illud est quod vulgo dicimus *Calotte, Zucchetto,* etc. Nonnulli codd. hic male habent: caputios. - Τὸ capellos ex codd. Grat. et Sp. — (2) In Cod. Vien.: deest τὸ « et » ubique in hac lepida supputatione. — (3) Cod. Vien.: Neque duas tunicas habeatis. — (4) Cod. Vien.: constat. — (5) Cod. Grat.: cum nimis intendit aliquis. — (6) Cod. Grat.: aliqua.

nymi: Mos erat prophetis indui saccis, cum populum ad poenitentiam provocabant.

Item, *Matth. 3,* dicitur de eximio (1) praedicatore poenitentiae: Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos.

Item, *Apoc. 11,* dicitur de Enoch et Elia: Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.

Si ergo primi praedicatores poenitentiae, scilicet prophetae in veteri lege; et medius inter legem et Evangelium, scilicet Joannes; et ultimi in fine venturi, scilicet Enoch et Elias, qui omnes fuerunt de genere Judaeorum non curantium de abjectione Christi, tam vilibus vestibus usi sunt, vel utentur, ad movendum (2) efficacius et ad poenitentiam (3) praedicandum, quanto magis competit praedicatori evangelicae paupertatis, ut qui specialiter est ad praedicandum poenitentiam deputatus, vilitas vestis! Ideo dicit *Glossa,* super illo verbo *Marc. 1:* Erat Joannes vestitus pilis camelorum: Vestis conveniens praedicatori. Bene dicit conveniens: Filius enim Dei, cum voluit praedicare in mundo, induit valde vilem vestem, scilicet, carnem humanam. *Zach. 3:* Jesus erat indutus sordidis vestibus; quod exponitur, secundum Hieronymum, de vestibus nostrae mortalitatis, cum inventus est habitu ut homo. Praedicatoris vero est super omnes ipsum imitari, et maxime in his quae praedicationi contingunt.

Item, praedicatoris est debellare gloriam mundi. Haec autem pro magna parte consistit in vestibus pretiosis: quomodo autem potest gloriam mundi contemptibilem reddere ille in cujus toto corpore hujusmodi gloria relucet? Contigit Parisius quod quidam magister theologiae saecularis praedicabat in universitate indutus optima cappa nova in principio hyemis. Cum autem leniter (4) imprimeret verba sua in cordibus auditorum, quidam fatuus, qui erat in

---

(1) Cod. Grat.: strenuo. — (2) Cod. Grat.: movendum. — (3) Cod. Sp.: utentur ad efficacius poenitentiam praedicandam. — (4) Cod. Vien.: tenuiter; Cod. Grat. et Sp.: magis tenuiter. - Legendum forsan magistraliter.

medio scholarium, surrexit et dixit: Tace! Illa vestis pretiosa quam habes, non permittit te loqui audacter veritatem; (1) et fecit ei mirabilem confusionem. Nonne et ipse Apostolus hanc eamdem confusionem facit facientibus contra suam praedicationem, cum dicit, *Rom. 2:* Qui praedicas non furandum, furaris, etc.? Quod habet locum in omni casu simili. Debet ergo qui habet mundi praedicare contemptum cavere ne in suo habitu appareat aliquid quod gloriam mundi praetendat.

Item, vilitas vestis signum fuit quondam veri prophetae. *Zach. 13,* dicitur: Non operientur pallio saccineo, ut mentiantur; quod exponitur de falsis prophetis, qui volentes videri veri prophetae, operiebant se saccis sicut veri: ergo coopertura sacci fuit signum prophetae veri et a Deo missi. Multo magis nunc est signum veri nuntii Dei, cum et ipsi Apostoli missi a Christo non fuerint sicut solemnes nuntii mundi in gloria vestium, sed in multa paupertate apparuerunt in hoc mundo. Praedicator vero multum debet curare ut habeat signa per quae appareat verus nuntius Dei, ut ei melius credatur; et ideo convenit ei vestis vilis.

Item, praedicatori multum est curandum (2) de bona fama, quia ipsa attrahit ad eum mundum: hujusmodi autem vestis reddit hominem in sanctitate valde famosum, quia, secundum Senecam, argumentum bonae voluntatis est grabatum et pannus, (3) cum apparuerit aliquem non ex necessitate, sed ex voluntate hoc pati. Per consequens attrahit etiam per vestis duritiam praedicator multos. *Matth. 3:* Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; et sequitur: Tunc exibat ad eum Hierosolyma, et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem.

Item, praedicatoris est exemplo ostendere quod dicit verbo. Cum ergo, ut frequenter, habeat praedicare poenitentiam, debet eam ostendere in se. *Apoc. 11:* Prophetabunt amicti saccis. *Glossa:* Praedicantes poenitentiam, et ostendentes (4) exemplo. Non autem apparet ita poenitentia praedicatoris in jejuniis, et orationibus, vel aliis afflictionibus quibuscumque, cum hujusmodi non fiant in publico,

---

(1) Cod. Grat.: non permittit tibi audacter dicere veritatem. — (2) Cod. Vien.: cavendum. — (3) Cod. Grat.: vilis pannus. — (4) Cod. Grat.: donantes.

sicut in vestibus, quae semper sunt in aperto: et ideo convenit ut vestis ejus vilitatem poenitentialem praetendat. Et ideo dicit *Glossa,* super illud *Matth. 3:* De pilis camelorum: Qui poenitentiam praedicat, habitum poenitentiae praetendat.

Item, ad praedicatorem pertinet non solum verbis, sed factis docere, sicut Christus omni (1) sua actione docuit. Et prophetae olim factis suis docebant, ut patet, *Ezech. 12,* in vasorum transmigratione. Et ideo dicitur Joannes vox, *Marc. 1,* quia non solum verbo; sed totus clamabat, sicut quaelibet pars vocis est vox. Porro vilitas vestis multa docet: docet enim quod sicut ipsa exterius est vilis, ita omnia exteriora sunt vilia.

Item, docet quod nunc est tempus non festivum, quando solent ferri vestes pretiosae; sed feriale ad laborandum, quando solent viliores deferri.

Item, docet quod nunc sumus in via: etenim viliores vestes deferuntur etiam a divitibus in (2) via quam quando in domo sunt.

Item, docet quod debemus esse famuli Domino servientes: viliores enim vestes deferuntur ab hujusmodi famulis.

Item, docet quod nunc habemus causam luctus: pro luctu enim solent viliores vestes deferri.

Item, docet quod nunc debemus intendere placationi divinae, sicut Ninivitae viles assumentes vestes. Et alia quamplura (3) salubria docet vestis hujusmodi.

Cum ergo vilitas in vestibus Christo assimilet in sui praedicatione, et valeat ad mundi gloriam debellandam, et signum det de veritate nuntii coelestis, et valeat ad famam, et exemplum poenitentiae, et doctrinam sanctorum multiplicem, quae omnia valde sunt omni praedicatori necessaria, patet quod convenit praedicatori vilitas vestium. Et quanto vestis est magis exterior et plus videtur, ut sunt cappae, tanto magis est in illis vilitas observanda.

LXXX. De voluntate placendi hominibus.

Quia vero vestium praedicta notabilitas exterior solet procedere ex affectu interiori placendi, sequitur man-

(1) Cod. Vien,: omnia. — (2) Codd. Vien. et Grat.: in itinere. — (3) Cod. Grat.: quam multa.

bus, an licitum sit, et quare non conveniat praedicatori, et in quibus consistat.

datum contra (1) hoc, cum dicitur: « Nec affectetis vestibus placere. » Bene autem dicitur viro religioso ne affectet placere vestibus: hoc enim est meretricum. (2) Unde Cyprianus ad mulieres: Fugiant virgines et pudicae cultus et habitus impudicarum insignia meretricum. Si autem mulieres bonae debent hoc fugere, quanto magis viri sancti! Non est siquidem eis hujusmodi placentia imitanda, sed potius deploranda.

Exemplum de beato Martino, qui, cum vidisset quamdam meretricem ornatam, dixit: Ignosce mihi, omnipotens Deus, quia ista meretrix tanta pro mundo composuit; et ego tibi, Domine, placere proposui, et similia per meam negligentiam non inplevi. Et in *Vitis Patrum* dicitur quod, cum abbas Pambo descendens in Alexandriam, vidisset quamdam mulierem theatricam, flevit, et interrogatus quare fleret, dixit: Duae res me movent: una de perditione illius; alia, quia ego non habeo tale studium placendi Deo, sicut ista turpibus hominibus. Non ergo debent quaerere viri sancti placere ornamento vestium, sed ornamento morum; propter quod subdit: « sed moribus. »

Sed nunquid velle placere moribus licitum est, cum dicat Apostolus, *Gal. 1:* Si autem adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem? Respondeo: Sicut appetitus excellentiae, si ibi sistatur, est peccatum semper; si autem appetatur excellentia propter Deum, ut quia scilicet majorem fructum potest quis ibi facere, vel similia, non est peccatum: sic et voluntas placendi hominibus, si sit in hac placentia ultimus finis, semper est peccatum; si vero dirigatur ad finem meliorem, potest esse sine peccato. Unde *Glossa* super locum praedictum: Apostolus se non hominibus placere recte dicebat, quia in eo ipso, ut Deo placeret, nitebatur. Et ideo dicit, *Ephes. 6,* de servis: Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi. Qui enim intendit placere hominibus propter Christum in tali placentia servit Christo.

Item, talis placentia aliquando adeo intensa est quod propter eam facit aliquis aliquid quod displicet Deo. *Act. 12:* Videns Herodes

(1) Cod. Grat.: circa. — (2) Cod. Grat.: meritorium.

quia placeret Judaeis, interfectio scilicet Jacobi, apposuit apprehendere et Petrum. Hujusmodi vero intentio facit placentiam talem culpabilem. Unde et de eodem, super illo verbo: An quaero hominibus placere? dicit *Glossa:* Sicut quando litteras accepi a sacerdotibus ad occidendum Christianos? Non, quia si adhuc hominibus placere vellem, ut olim, servus Christi non essem. Et ideo dicitur, *ad Rom. 15:* Unusquisque placeat proximo suo in bono, ad aedificationem. Quod dicitur ad differentiam illorum quos placentia talis ducit ad malum. Duplici ergo ex causa potest esse hujusmodi placentia culpabilis: vel ex parte finis, cum ponitur ultimus finis in ea; vel ex parte intentionis, cum tanta est quod inducit ad aliquid Deo displicens.

Aliter vero potest quis secure velle placere hominibus, scilicet propter Deum, et in bono. Et sic fecit Paulus qui dixit, 1 *Cor. 10:* Per omnia omnibus placeo: de quo maxime praedicatori est curandum. Necessarium enim est ei non modicum ut libenter videatur, quocumque declinat, et ut libenter audiatur, et ut facile sua doctrina executioni mandetur, et ut facile sibi acquiescatur (1) in suis consiliis, et ut correctiones suae patienter sustineantur, et ut in suis necessitatibus, si indigeat, devote subveniatur eidem. Quis autem hoc, vel istorum aliquid exhibebit homini displicenti? Proinde non solum bonis, sed etiam malis; non solum amicis, sed etiam adversariis; non solum domesticis, sed etiam extraneis: immo et omnibus, exemplo Apostoli, laborandum est praedicatori propter Deum placere; alioquin parum proficiet apud eos ad quos mittitur, si displiceat, sicut, secundum Gregorium, parum apud Deum proficit, cum is qui displicet mittitur ad intercedendum.

Porro ad hujusmodi placentiam acquierendam valent multa. Primum est ut caveatur ab offensa cujuslibet. Unde, 1 *Cor. 10,* cum dixisset Apostolus: Sine offensione estote Judaeis, et Gentibus, et Ecclesiae Dei, statim subjungit: Sicut et ego per omnia omnibus placeo, innuens quod per hoc placebat. Unde *Glossa:* Per omnia

---

(1) Cod. Grat.: quis acquiescat.

omnibus placere est sine scandalo cujusque agere. Scandalum vero idem est quod offensa.

Secundum est ut aliorum utilitati opera impendatur. (1) Unde Apostolus, cum dicit: Per omnia omnibus placeo, subdit immediate: Non quaerens quod mihi utile est; sed quod multis. *Glossa:* Per omnia omnibus placere est agere ad profectum aliorum.

Tertium est ut pro quolibet libenter quod petit fiat. Super illo verbo *Tit. 2.:* Servos dominis suis in omnibus placentes, non contradicentes, dicit *Glossa:* Hoc modo poterunt placere, si non murmuraverint, cum domini eis aliquid jusserint. Si autem facere sine murmure, sive libenter, quod mandat dominus, facit servum placere suo majori cui tenetur, quis dubitet quin multo magis hoc faciat quemlibet alii placere, cui minus tenetur?

Quartum est ut infirmitates aliorum patienter portentur. *Rom. 15:* Debemus autem nos firmiores imbecilitates infirmorum libenter sustinere, et non nobis placere. *Glossa:* Non quod placeat nobis vindicare, sed quod fratri; innuens per hoc quod valde placet cuicumque fratri et proximo, cum ejus infirmitas patienter portatur.

Quintum est cum quis aliorum moribus se conformat. Naturale est enim ut complaceat sibi quilibet in suo simili. Propter quod dicitur, *Prov. 3.:* Pater in filio complacet sibi, sicut in sua imagine. Et ideo non est mirum si Paulus placebat omnibus (2), qui omnia omnibus factus se omnibus conformabat.

Sextum est ut nihil per potentiam, vel duritiam; sed per rationem et benignitatem apud omnes agatur. Et ideo in vita Clementis dicitur de eo quod ita morum ornamento pollebat, quod Judaeis, et gentibus, et Christianis placebat. Et subditur ratio in hunc modum: Diligebant eum gentiles, quia non execrando, (3) sed rationem reddendo ostendebat de (4) hiis quos deos dicebant, ex libris eorum, unde nati essent, et qualiter defecissent. Judaeorum vero gratia utebatur ex eo quod legem eorum sacratissimam memorabat, primumque eos locum habituros, si suae legis sacramenta servarent. A

---

(1) Cod. Grat.: opera impendantur. — (2) Codd. Vien. et Sp.: hominibus. — (3) Cod. Grat.: extrahendo. — (4) Cod. Vien.; hii quos.

Christianis vero diligebatur, quia singularum (1) regionum inopes scriptos habebat nominatim, et eis providebat: ex quibus patet quod ratio et benignitas eum placere omnibus faciebat.

Cum ergo haec (2) valeant ad hujusmodi placentiam acquirendam, quae est praedicatori necessaria, debet praedicator sapiens dare operam ad hujusmodi exercenda. (3) Quod si forte faciens quod in se est, non placet aliquibus, jam est illorum vitium, non suum. David enim, quamvis dicatur aspectu desiderabilis, et esset acceptus in conspectu regis Achist, tamen satrapis non placuit, propter eorum invidiam, sicut dicitur (4) 1 *Reg.* 29.

Sequitur: **Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis quo itis, simul state.**

Quoniam multum decet viros religiosos et sanctos honeste ambulare ad eos qui foris sunt, sicut dicitur, 1 *Thes.* 4., ideo hic ponitur mandatum circa honestatem, quae provenit ex societate in ambulando.

LXXXI. De ambulando insimul, et insimul stando.

Et notandum quod quamvis ire cum socio pertineat ad honestatem religiosi cujuslibet, tamen specialiter hoc pertinet ad discipulos Domini, propter ejus negotia discurrentes per mundum. Hinc est quod Dominus misit in Ægyptum pro suis negotiis Moysen non solum, sed Aaron associavit eidem. *Exod.* 4.: Venerunt, inquit, simul Moyses et Aaron, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel. Et post frequenter dicitur quod insimul intrabant ad Pharaonem, et insimul loquebantur, et insimul respondebant eidem.

Hinc est etiam quod Christus discipulos suos misit binos et binos, sicut dicitur, *Luc.* 10. Hinc est iterum quod Spiritus Sanctus Paulum et Barnabam, quantumcumque essent sufficientes, solos non assumpsit ad opus suum, sed insimul associatos: Segregate, inquit, scilicet Spiritus Sanctus, mihi Paulum et Barnabam in opus

---

(1) Cod. Grat.: singulos. — (2) Cod. Sp.: haec omnibus valeant. — (3) Cod. Grat.: exequenda. — (4) Cod. Vien.: habetur.

ad quod assumpsi eos. *Act. 13.* Numquid iterum collegium Apostolorum, quod erat in Jerusalem, cum audisset quia recepit Samaria verbum Dei, misit solum Petrum, sive solum Joannem, quorum uterque vir tantus erat? Non utique seorsim, sed insimul: Miserunt, inquit, Petrum et Joannem. *Act. 8.*

Item, numquid reservatur solus Enoch, aut solus Elias, ad veniendum in mundum in fine mundi contra Antichristum, et ad subveniendum electis? Constat quod non, sed insimul venient, sicut patet *Apoc. 11.*

Item, Josue non unum solum, sed duos exploratores misit in terram adversariorum. *Josue 2.*

Item, numquid Tobias voluit mittere filium suum solum sine socio ad terram longinquam, pro pecunia rehabenda? Nonne Domini ordinatione (1) ipsi datus est angelus in socium, in specie viri? *Tob. 5.*

Proinde, quantumcumque sint aliqui viri spirituales, vel etiam sapientes, numquam debent soli ambulare, vel soli stare, ubicumque declinent. In cujus figuram in tabernaculo non erat unus solus cherubim, sed duo, versis vultibus se respicientes. *Exod. 25.*

Ad sciendum autem quantum conferat hujusmodi societas ad honestatem, notandum quod diabolus citius invadit, vel procurat invadi ad tentandum de re inhonesta solum quam associatum; sicut latro citius invadit peregrinum solum quam cum socio existentem. *Gen. 39.:* Accidit autem ut die quadam Joseph intraret domum, et operis quippiam absque arbitris faceret, et illa, scilicet uxor Putipharis domini sui, apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret: Dormi mecum. Nunquid meretrix illa, laqueus diaboli, impetisset eum de turpitudine, si secum habuisset socium? Arbitror quod non. (2)

Item, cum est aliquis solus, facilius consentit turpi tentationi, quia multa sunt turpia quae non dimittunt propter Deum homines, quae propter homines dimittunt, unde, *Eccli. 23,* dicit fornicarius: Quis me videt? Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt

---

(1) Cod. Grat.: Deo ordinante. — (2) Codd. Grat. et Sp.:... habuisset socium arbitrum? Constat quod non.

me, et nemo circumspicit me: quem vereor? Et ideo facilius consentit quis in peccatum. Unde dicitur de quodam monacho, quod cum mansisset quadraginta annis in claustro virgo et innocens, ultimo anno missus solus pro negotiis abbatiae sine socio monacho, incurrens in tentationem carnis, et consentiens amisit virginitatem, et eodem anno mortuus est.

Item, si contingat aliquem cadere in peccatum et habeat socium qui hoc advertat, festinat socius ad ejus relevationem; si autem nesciat, nihilo minus, inspirante Deo, ipse actor (1) recurrit interdum, et confitendo, ejus auxilio nititur resurgere. (2) Quod si solus fuerit, nec habeat ad quem recurrat vel qui ei manum porrigat, diutius moratur in peccato, sicut qui cadit in luto, nec habet adjutorem. Et ideo dicitur, *Eccle. 4.*: Vae soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.

Cum igitur, sicut patet ex his, societas prosit ad hoc ne tam cito tentetur quis de aliqua inhonestate, vel tentatus non ita facile consentiat, vel cadens citius resurgat, constat quod multum valet societas quantum ad illam partem honestatis quae est declinare a malo.

Item, bonorum sociorum est se invicem incitare ad bonum, sicut peregrini solent se incitare in via, vel ad mane surgendum, vel ad fortiter ambulandum, et similia. Exemplum de beato Augustino, qui, lecta vita sancti Antonii, dixit socio suo Alipio: Quid patimur? Quid hoc est quod audisti? Surgunt indocti, et coelum rapiunt, et nos cum doctrinis sine corde vero ecce versamur in carne et sanguine! Et pastores dicunt ad invicem, *Luc. 2.*: Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est.

Item, cum omnis homo habeat defectus, ubi sunt duo socii, supplet unus frequenter defectum alterius, sicut Aaron defectum Moysis in loquendo, et ipse Moyses pro eo erat apud Deum. Unde, *Exod. 4,* dicit Dominus Moysi: Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum: tu autem eris ei in his quae ad Deum pertinent. Et sic in multis aliis invicem se juvabant.

---

(1) Codd. Tol. Grat. et Vien.: ad cor. — (2) Cod. Grat.: refugere.

Item, Dominus non solum est in domo ubi duo vel tres sunt congregati in nomine ejus, sed etiam in via insimul ambulantibus se adjungit. *Luc. 24.*: Et ecce duo ex illis ibant ipsa die, etc. Et post: Et factum est, dum fabularentur et secum quaererent, et ipse appropinquans ibat cum illis. Quis autem dubitat quin Dominus sit cum illis cum quibus est in adjutorium omnis boni?

Patet ex his quod societas valet ad incitationem in bonum, ad complementum boni per alterius suppletionem, ad habendum adjutorium divinum in bonum: quae omnia multum valent ad partem illam honestatis quae in bono faciendo consistit.

Verum discipulos Domini discurrentes per mundum non solum decet honestas secundum duas differentias justitiae praedictas, sed decent eos alia quaedam pertinentia ad honestatem, quae (1) ipsa addit supra justitiam.

Et est unum claritas opinionis, quae multum facit ad pulchritudinem honestatis. *Sap. 4*: O quam pulchra et casta generatio cum claritate, id est, cum clare et liquido constat de castitate, ita quod nulla sinistra suspicione offuscatur. Ad hoc autem facit multum societas. Citius enim oritur sinistra suspicio contra ambulantem, vel manentem solitarie, quam contra associatum. (2) Et ideo dicit sanctus Bernardus *ad Eugenium*: Bonos contubernales habeas, qui vitae et honestatis tuae custodes sint et testes.

Aliud est status dignus honore, unde Dominus conqueritur de Judaeis, *Joan. 8*, quod ipsum a Patre missum non honorabant: Et vos, inquit, inhonorastis me. Majori autem honore videtur dignus qui vadit associatus, sicut consueverunt ire personae honorabiles, quam qui solus vadit, sicut solent (3) ire personae contemptibiles.

Aliud est ratio credendi: qui enim vadit ad negotia Domini, si non credatur ei, in quo proficiet? Adhibeat testem socium suum. Est igitur (4) talibus necessarium ut habeant per quod eis credatur: hoc autem est societas, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum. *Matth. 18.*

---

(1) Cod. Tol.: quia. — (2) Cod. Sp.: sociatum. — (3) Cod. Grat.: consueverunt. — (4) Cod. Vien.:... in quo proficietur. Est igitur....

Cum igitur societas famulos Dei faciat clarae famae, et ponat in statu digno honore, et faciat eis credi, quae omnia sunt eis valde necessaria cum aliis supradictis, bene dicitur eis: « Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis quo itis, simul state. » Et debent professores regulae Augustini cavere ne in via, vel hospitiis, se qualicumque occasione dividant, etiam propter fructum animarum, nisi propter inevitabilem necessitatem, quia melius est eis aliorum utilitatem negligere, quam cum damno proprio mandatum suae professionis praeterire.

Sequitur: **In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem.**

Quaedam est honestas, quae surgit ex re extrinseca et irrationabili, ut est habitus: et est magna; quaedam quae surgit ex re extrinseca, sed rationabili, ut est societas: et est haec major; quadam quae surgit (1) ex re intrinseca et rationi annexa, ut est disciplina in actibus: et haec est maxima. Traditis ergo mandatis circa duo prima, ordinate tradit hic mandatum circa tertium. Et primo in generali; secundo in particulari ibi: « Oculi vestri, » etc.

Et notandum quod, secundum Hugonem de sancto Victore, dsciplina est conservatio honestatis, cui parum est malum non facere; sed studet etiam in his quae agit per omnia irreprehensibilis apparere. Et ideo tradit hic mandatum continens duo, scilicet quid sit circa hoc cavendum, ubi dicit: « In incessu; » et quid agendum, ubi dicit: « sed quod vestram deceat sanctitatem. » Et quia aliquando in ambulando, aliquando in quiescendo, aliquando circa habitum exteriorem, aliquando circa gestus sive motus corporis extrinsecos, (2) talia fiunt a quibusdam quae oculos multorum offendunt, ponit mandatum istud circa haec quatuor, ut sic disciplinate se habeat servus Dei in his omnibus et irreprehensibiliter, ut nullius in aliquo istorum

---

(1) Cod. Grat.: oritur. — (2) Cod. Vien.: extraneos. - Cod. Grat.: intrinsecos.

quatuor offendat aspectum, dicens: In incensu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris, id est, gestibus, etc.

LXXXII. De disciplina in ambulando.

Notandum vero, quod circa incessum multa solent reprehensibilia reperiri.

Sunt enim quidam qui nimis festine incedunt, in tantum ut interdum praecipitent semetipsos. Isti sunt similes illi Jehu viro sanguinario, de quo dicitur, 4 *Reg. 9:* Praeceps enim graditur. Hoc autem non est sine offensa videntium. *Prov. 19:* Qui festinus est pedibus, offendit, non solum se, interdum cadendo, sed oculos intuentium, maxime si sit vir religiosus sic praeceps.

Alii sunt qui ita lente et pedetentim incedunt sicut solent incedere qui numerant pedes. Quid autem mirum si hoc in viro religioso est reprehensibile, (1) cum etiam in mulieribus et delicatis filiabus Sion hoc Dominus reprehendat dicens, *Is. 3:* Et pedibus suis composito gradu incedebant; quod dicitur in reprehensionem earum. Ideo dicitur in oppositum, *Ezech. 1,* de sanctis animalibus: Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli. Bos enim multum lente incedit; sed vitulus non tam lente, et tamen non multum currit: et iste debet esse modus in viro sancto, ut nec nimis cito, nec nimis lente incedat, sed modo mediocri, quod est maturitas, sicut tangitur in *Glossa Gregorii* super hunc locum.

Alii sunt qui ita incaute incedunt sine providentia, (2) quod modo offendunt ad lapidem, modo ponunt pedem in luto, modo impingunt in alios, modo corruunt in via, modo tenent viam non bonam: et hoc est ambulare secundum modum caecorum. *Soph. 1:* Ambulabunt ut caeci. Quo contra dicitur, *Prov. 4*: Palpebrae tuae praecedant gressus tuos. Ad hoc enim dati sunt specialiter oculi ut dirigant gressus.

Alii sunt qui incedunt collo extento ut filiae Sion, *Is. 3;* cervice erecta ut cervi, pectore prominente ut gallus, cum commotione scapularum et brachiorum ventilatione quasi remigantes, cum cubitorum angulatione se per ventrem tenendo ut domicelli, et alios irreverenter praecedendo: quae omnia sunt superbiae signa, et valde

(1) Cod. Tol.: in viro est reprehensibile. — (2) Cod. Sp.: praevidentia.

dedecent virum religiosum. Ideo dicit Apostolus, *Eph. 4,* in contrarium: Obsecro vos ut ambuletis.... cum omni humilitate.

Alii sunt qui in incedendo semper sunt (1) tristes, neminem salutantes, nemini adjungenti se eis affabilitatem ostendentes, nunquam solatium aliquod socio suo facientes, nullum in aliquo verbis bonis (2) aedificantes: sed quasi in amaro silentio tota die pergentes. Super quo se ipsum David reprehendit dicens, *Ps. 42:* Quare tristis incedo? Quo contra dicitur, *Act. 8,* de Eunucho baptizato: Ibat autem per viam suam gaudens. Si autem filii Israel ibant in Jerusalem gaudentes, juxta illud: In domum Domini laetantes ibimus, *Ps. 121,* quantum gaudendum (3) est omni servo Dei in omni via sua, cum sit ei via ad coelum!

Alii sunt qui, cum deberent in via se in psalmis, vel orationibus dicendis, vel in sacris meditationibus, vel colloquutionibus utilibus occupare, effundunt se in levitatibus, et non sine offensa intuentium. Accidit quod, cum quidam religiosus praedicasset laudabiliter in quadam parochia, et facto prandio recedens, cum esset juxta villam, incoepit se levitatibus dare cum socio, sicut fit interdum ab aliquibus, cum modo percutiunt socium, modo faciunt eum cadere, modo extrahunt ei caputium, et similia. Sequebatur autem eos quaedam vetula quae fuerat in sermone, et hoc non advertebant. (4) Quae coepit dicere multoties: Domine, vos non estis ille qui hodie praedicavit. Cum autem audirent vocem, et respicientes viderent (5) vetulam, quaesierunt quid dixisset. At illa dixit ei qui praedicaverat: Domine, ego dixi vobis, quod vos non estis ille, qui hodie praedicavit? At ille: Et quare hoc dixisti, cum ego vere sim ille qui praedicavit? At illa: Domine, nos habemus quemdam sacerdotem juvenem, qui valde bene cantat missam; sed interdum eadem ipsa die qua celebravit discurrit per domos interdum, et cum invenit juvenculas, ponit manum in sinum earum, et palpat eas. (6) Et, cum

---

(1) Codd. Tol. et Vien.: videntur. — (2) Cod. Sp.: in aliquo verbo bono... — (3) Cod. Grat.: gaudium. — (4) Cod. Grat.:.... in sermone, quae etiam hoc advertebat. — (5) Cod. Vien.:... vocem, respicientes viderunt.... — (6) Cod. Grat. eis. - Codd. Vien. et Sp.: juvenculam.... ejus.... eam.

dicitur ei: Domine, quid est hoc quod facitis? (1) Nonne hodie celebrastis? Respondet et dicit: Ego (2) non sum ille qui celebravit? Sacerdos enim celebravit; sed ego sum quidam juvenis, et ludo modo. Ideo, Domine, dixi, quod vos non estis ille qui praedicavit, exemplo sacerdotis nostri. Valde enim aliter vos modo habetis in istis (3) ludis quam hodie in sermone. Quanta confusio fuerit illi fratri religioso super hoc, et quantum scandalum vetulae, (4) qui legit intelligat, et caveat a similibus, saltem exemplo mulieris illius quae dixit, *Tob. 3*: Numquam cum ludentibus me miscui, neque cum his qui in levitate ambulant participem me praebui.

Sunt alii tam mobiles ut consistere secum non valeant; sed nunc ibi, nunc alibi subito comparent, semper discurrentes, nunquam quiescentes. Isti sunt de populo illo de quo dicitur, *Jer. 14.*: Qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit. Et hos vocat beatus Benedictus girovagos. Quo contra dicit Dominus Apostolis ut quiescerent, saltem quousque abundantiam Spiritus Sancti haberent tantam quod eos exterius indueret: Sedete, inquit, in civitate, quousque induamini virtute ex alto. *Luc. ult.*

Sunt alii qui vadunt non solum leviter, sed inutiliter, nil boni facientes temporalis vel spiritualis in totis viis. (5) Quo contra dicit Dominus Apostolis, *Joan. 15*: Ut eatis et fructum afferatis.

Sunt alii qui non solum infructuose, sed etiam damnose agunt, facientes interdum vias novas, frangentes sepes, conculcantes sata, et similia quaedam cum damno pauperum et scandalo plurimorum. Quo contra dicebant filii Israel regi Edom, *Num. 20*: Non ibimus per agros, nec per vineas, nec bibemus aquas de puteis tuis; sed gradiemur publica via, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes.

Cum igitur haec praedicta multorum intuentium oculos soleant offendere, curandum est non modicum servis Dei, et illis praecipue qui multum habent discurrere, et spectaculum facti sunt mundo et

---

(1) Cod. Sp.: Vos hodie.... — (2) Codd. Sp. et Grat.: Domine, ego non sum.... — (3) Cod. Tol.: inhonestis. — (4) Cod. Tol.:... vetulae! Qui legit... — (5) Cod. Vien.: in tota via; - et inter lineas additur: in tot viis.

hominibus, et sunt sicut dies (1) clara et illuminata doctrinis (2) jam fere apud omnes, ita ut omnia notent, (3) quod sic honeste ambulent quasi in die; et sic disciplinate, quod in incedendo non appareant notabiles, vel in nimia festinantia, vel in nimia tarditate, vel in nimia improvidentia, (4) vel in aliqua superbia, vel in inconvenienti tristitia, vel in levitate dissoluta, vel in facilitate discurrendi, vel in discursu infructuoso, vel, quod gravius est, damnoso.

LXXXIII. De disciplina in quiescendo.

Circa statum sciendum est quod non accipitur hic status solum prout dicitur (5) a stando, secundum quod dicitur aliquis stare erectus, sed prout opponitur motui ambulandi, secundum quod dicitur stare quicumque non movetur eundo.

Circa statum vero sic acceptum multa sunt reprehensibilia.

Unum est cum quis non potest secum stare, sed semper cum aliis, quia, secundum Senecam, signum bonae mentis est secum consistere. Et iterum dicit: Quoties inter homines fui, minus homo redii. Ideo dicitur, *Exod. 16:* Unusquisque maneat apud se.

Aliud est cum quis, etiam si consistat secum, tamen stat otiosus ab actione. *Matth. 20:* Quid hic statis tota die otiosi? Ideo dicitur de beato Gregorio quod, quamvis infirmatus graviter propter abstinentiam et orationes, tamen semper aut orabat, aut legebat, aut scribebat, aut dictabat; quod etiam de multis aliis sanctis reperitur.

Aliud est cum quis vacat ab exterioribus actionibus, quia non semper potest aliquis illis occupari, et tamen non exercetur interius mens ejus in sacris contemplationibus. Ad hoc enim in sabbato vacabatur ab operibus corporalibus, ut liberius mens posset contemplationi divinae intendere. Unde, *Ps. 45:* Vacate et videte. Proinde sanctus vir quiescens, (6) et non occupatus exterius, debet speculationi intendere sicut speculator in specula quiescens, qui modo ante, modo retro, modo supra, modo infra, modo a dextris, modo a sinistris, subtiliter dirigit intuitum suum. *Isai. 21:* Super speculam Domini

---

(1) Codd. Sp. et Grat.: ut sint dies. — (2) Cod. Tol.: doctrinæ. — (3) Scilicet, homines omnia notent. — (4) Cod. Il.: impraevidentia. — (5) Cod. Grat.: accipitur. — (6) Cod. Vien,: sanctus vir et quiescens.

ego sum, stans .. Et bene dicit : Domini, quia ad ea quae Dei sunt, et non ad alia, dirigitur (1) contemplatio viri sancti. (2)

Reprehensibile est ergo in viro sancto quiescente cum vel secum stare non potest, vel cum stans secum stat otiosus ab opere, vel cum juste vacans ab opere speculationi non vacat, ut modo supra coelestia, modo infra infernalia, modo ante futura, modo retro praeterita, modo a destris prospera, modo a sinistris adversa contempletur.

Porro in commorando cum aliis multa reprehensibilia sunt, et multi sunt reprehensibiles.

Sunt enim aliqui qui nimis libenter commorantur inter mulieres, (3) quod non est sine nota et offensa videntium. Legitur quod cum quidam juvenis coram Pythagora dixisset se libentius inter mulieres quam inter philosophos conversari, dixit Pythagoras: Et sues libentius in coeno quam in aqua pura versantur.

Item, *Zach. 12,* dicitur: Familiae domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum ; familiae domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum ; familiae domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum ; familiae Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum ; omnes etiam reliquae familiae seorsum, et mulieres eorum seorsum. (4)

Item, dicitur quod propter hoc Maria et Joseph amiserunt puerum Jesum, quia erat consuetudo quod viri et mulieres ibant seorsum, et credebat uterque quod esset, tamquam puer, in societate alterius.

Si ergo philosophi sic detestantur societatem (5) viri cum mulieribus, si Judaei tantam distinctionem inter hos faciebant, si etiam parentes Domini Jesu ipsum propter hoc neglexerant, quantum cavendum est viro sancto, et propter periculum, et propter famam, ne libenter (6) commoretur inter mulieres ? Ideo dicitur, *Eccli. 42 :* In medio mulierum noli commorari.

---

(1) Cod. Tol.: dicitur esse. — (2) Cod. Grat.: ad alia contemplatio viri sancti debet esse. — (3) Codd. Vien. et Sp.: cum mulieribus. — (4) Cod. Tol.: omnes familiae reliquae familiae et familiae seorsum, et mulieres seorsum. — (5) Cod. Grat.: conversationem. — (6) Cod. Grat.: libens.

Sunt alii qui libentius commorantur inter leves quam inter bonos, contra consilium (1) Senecae dicentis: Inter illos conversare qui te meliorem facturi sunt. *Eccli. 37:* Cum viro sancto assiduus esto.

Sunt etiam alii qui libentius commorantur inter magnates quam inter consimiles. Quo contra, *Eccli. 13,* dicitur: Advocatus a potente discede. Si autem advocato est discendendum, quanto magis cavendum est viro sancto (2) ne se ingerat? Non autem sic de consimilibus. *Eccli. 27:* Volatilia ad sibi consimilia convertentur, scilicet, ad commorandum. Nonne columba libentius moratur cum columba, quam cum magnis aquilis, vel vulturibus?

Patet igitur, quod vir disciplinatus, cum ei commorandum est inter alios, libentius debet stare inter viros quam inter mulieres; (3) et inter viros, libentius inter bonos et meliores quam inter malos; et inter bonos, libentius inter consimiles (4) quam inter magnates. (5)

Item, quantum ad loca sunt quaedam reprehensibilia circa stantes. Sunt enim quidam qui libentius stant in locis publicis quam in absconsis, similes hypocritis de quibus dicitur, *Matth. 6*: Amant in angulis platearum stantes orare. Quo contra, *Hebr. 11,* de sanctis dicitur: In speluncis et in cavernis terrae. Unde et de Saule, cum bonus fuit ante regni receptionem, dicitur, 1 *Reg. 10:* Ecce absconditus est domi.

Alii vero sunt qui nimis libenter stant in locis periculosis, ut sunt locutoria, in quibus peccatur in lingua; spectacula, in quibus peccatur in visu; diversoria hospitiorum et infirmariarum, in quibus et in gula, et in aliis multis peccatur. Quo contra dicitur de David, 1 *Reg. 24,* quod habitabat in locis tutissimis Engaddi; quia vir sanctus in locis quae magis secura sunt a peccatis libentius debet stare.

Alii autem sunt (6) quibus videtur grave stare in ecclesia et hujusmodi locis sanctis: quod, procurante diabolo, non est dubium

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: doctrinam. — (2) Codd. Tol. et Vien.: bono. — (3) Cod. Vien.:... cum ei commorandum est cum aliis, libentius debet stare cum viris quam (cum) mulieribus et inter.... — (4) Cod. Vien.: inter sibi similes. — (5) Cod. Sp.:... quam inter mulieres; et inter bonos libentius quam inter leves, et inter consimiles libentius quam inter magnates. — (6) Cod. Grat.: Sunt iterum alii....

fieri, qui hujusmodi loca abhorret. Quo contra dicitur, *Joan. 19:* Stabant juxta crucem Jesu Maria Mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Et iterum, *eod. 20:* Maria stabat ad monumentum. Dicitur etiam de quodam sene sancto sacerdote quod, cum non haberet aliquid facere, stabat semper in ecclesia, et sedens in choro. (1) Interrogatus vero quare hoc faceret, dixit quod faciebat societatem Domino suo, intelligens de Eucharistia, quae super altare erat. Et hoc est quod dicitur, *Luc. 2,* in commendationem Annae prophetissae, quod non discedebat de templo. (2)

Pertinet ergo ad virum sanctum libentius in absconso (3) morari quam in publico, libentius in loco securo quam in periculoso, libentius in locis sanctis quam in communibus.

Et sic patet quod sunt tria reprehensibilia circa statum ex parte solitudinis, tria ex parte societatis, tria ex parte loci: a quibus cavendum est propter disciplinam servandam in stando.

LXXXIV. De disciplina in habitu.

Circa hoc vero quod subjungitur de habitu, posset alicui videri quod idem sit quod hic dicitur de habitu, cum illo quod supra dictum est: « Non sit notabilis habitus vester. » Ad quod dici potest quod habitus duplici ex causa potest esse reprehensibilis, vel ex sui natura, cum est nimis pretiosus, vel mollis, et hujusmodi; vel ex actu humano, videlicet cum aliquid fit in eo vel ab artifice, vel a deferente, quod est reprehensibile. Ad primum pertinet quod supra dictum est; ad secundum, quod hic dicitur; unde signanter ibi dicitur: « Non sit notabilis habitus vester, » quasi dicat: de se. Hic autem dicitur: « Nihil autem fiat, » scilicet ab aliquo. Unde dictum illud (4) pertinet ad honestatem illam quae surgit ab intrinseco, istud vero ad illam quae surgit ex actu extrinseco.

Ut (5) igitur nihil fiat in habitu quod non praetendat discipli-

---

(1) Cod. Vien.: stabat semper in choro in ecclesia sedens. — (2) Edita hic addunt: « jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ad die. » — (3) Cod. Grat.: in abscondito. — (4) Cod. Tol.:.... ab aliquo. Unde sicut dictum est, illud.... - Cod. Vien.:.... ab aliquo, sicut dictum est. Illud.... — (5) Cod. Vien.: Unde igitur....

nam, providendum est servo Dei quod vestis sua non sit nimis longa, vel nimis brevis ; nimis lata, vel nimis stricta ; nimis scissa, vel nimis clausa ; nimis formata, vel nimis informis ; nimis defluens, vel nimis succinta ; nimis composita, vel nimis incomposita ; (1) nimis nitida, vel nimis sordida ; nimis laniata, vel nimis repetiata ; nimis aptata, vel nimis inepte relicta ; nimis dissuta, (2) vel nimis curiose consuta.

Quia vero ad habitum pertinent omnia quae exterius deferuntur, cavendum est etiam idem (3) circa panniculos, sotulares, corrigias, cingulos, cultellos, tabulas, bursulas, canipulos, (4) saccellos, sigilla, manubria et similia, ne aliquid fiat in istis quod ex pretio vel pretiositate, vel superfluitate, vel curiositate, vel saecularitate aliqua, vel alias quocumque modo reprehensibile possit judicari. Haec enim sancti viri multum in religiosis solent detestari. Unde Hugo de sancto Victore in libello *De disciplina,* post singularem nominationem multorum talium excessuum, dicit sic : Taedet me nominare omnia in quibus stulti et vecordes mulieribus studia sua auferunt, et pene cum habitu sexum mutaverunt. Sunt enim mille modi quibus vanissimi de se spectaculum hominibus praebent in habitu. Sed haec omnia debet servus Dei despicere, cum videat nullos nisi irrisione dignos talibus deservire. Haec enim omnia verae religioni contraria sunt ; et qui his studium adhibent, hominibus magis viles et contemptibiles fiunt ; qui vero haec despiciunt, coram Deo et hominibus cariores et honorabiliores fiunt. (5)

LXXXV. De disciplina in motibus, sive in gestibus, quae consistit in membrorum motibus, et in modo se habendi in omni tempore,

Circa illud, quod dicitur de motibus, sciendum quod non accipitur hic motus prout contrariatur quieti, sed prout dicitur actus alicujus membri, vel plurium, qui aliquando (6) vocatur gestus.

Est autem gestus, secundum Hugonem, modus, et figuratio membrorum corporis ad omnem agendi,

---

(1) Cod. Sp. : nimis turpiter posita. — (2) Cod. Grat. : dissoluta. — (3) Cod. Vien. : etiam eidem.... — (4) Codd. passim : campulos. Legendum videtur « canipulos, » unde « canif. » Cf. Colvenere. in Cantimpr. *De bono apum.* — (5) Cod. Sp. : sunt. — (6) Cod. Grat. : quandoque.

in omni statu, in omni loco et cum omnibus.

vel habendi se modum. Et ideo convenit viro sancto quod provideat attente qualiter in omni motu membrorum, et in omni modo se habendi appareat disciplinatus.

Porro disciplina in motibus membrorum consistit in hoc, ut unum membrum alterius officium non accipiat, ut unumquodque decenter exerceat actum suum. Quo contra dicitur, *Prov. 6,* de apostata, cujus mens est aversa a Deo: Graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Unde Hugo de hac materia sic dicit: Sunt quidam qui sine buccis patentibus auscultare nesciunt, et quasi ad cibum, ita (1) palatum ad verba aperiunt.

Alii sunt qui in agendo, vel in audiendo quasi canes sitientes se habent; linguam potendunt, et ad singulas actiones labia velut molam contorquendo circumducunt. (2)

Alii loquentes digitum extendunt, supercilia erigunt, et oculos in orbem rotantes, cujusdam intrinsecae magnificentiae conatus ostendunt, caput jactant, comam excutiunt, vestimenta coaptando componunt, et latera quasi cubitando, pedesque ostendendo, ridiculosam formam suae ostensionis faciunt.

Alii alteram tantum aurium voci apponunt, (3) quasi ambae non fuerint factae ad audiendum.

Alii interdum ad videndum, alterum tantum oculorum (4) aperiunt.

Alii majori ridiculo cum medietate oris loquuntur.

Sunt praeterea mille larvae, mille corrugationes narium, mille contorsiones labiorum, quae decorem disciplinae deturpant, et faciei pulcritudinem quae est speculum disciplinae: cui tanto major custodia est adhibenda, quanto minus quod in ea peccatum fuerit celari potest. Hucusque Hugo de Sancto Victore.

Qualiter autem per disciplinam caveantur quae hujusmodi sunt docet Bernardus, dicens: Disciplina cervicem submittit, deponit (5)

---

(1) Codd. Grat. Sp. et Vien.: et quasi palatum ad... — (2) Cod. Sp.: velut molam torquentes manum circumducunt. — (3) Cod. Tol.: opponunt. — Codd. Vien. et Sp.: vocibus oppununt. — (4) Cod. Sp.: oculum. — (5) Cod. Grat.: disponit.

supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguam, gulam fraenat, iram sedat, format incessum. Licet autem viro disciplinato cavendum sit ab omnibus praedictis, (1) tamen magis cavendum est ei a gestibus risoriis, qui scilicet incitant ad ridendum; vel turbativis, qui alios turbant; vel derisoriis, per quos alii deridentur; vel simiaticis, per quos aliorum gestus repraesentantur, sicut simiae faciunt; vel turpibus, ut ribaldi faciunt; vel joculatoriis, ut faciunt histriones. Haec enim quanto majoris sunt indecentiae, tanto magis dedecent viros deditos honestati.

Patet ex jam dictis quid cavendum sit in actibus membrorum. Sed quia gestus etiam ultra hoc (2) se extendit ad modum se habendi, ideo videndum est qualiter vir disciplinatus se debeat habere in omni tempore et in omni loco, in omni statu et cum omnibus, et in quibusdam actionibus suis, aliis a praedictis.

Sciendum igitur quod aliter se debet habere in die, quia active operibus piis erga proximum insistendo; aliter in nocte, quia contemplative Deo vacando. *Ps. 41:* In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.

Aliter in feriis, quia tunc est magis corporalibus necessitatibus intendendum: *Exod. 20:* Sex diebus operaberis, quod intelligitur de pertinentibus ad corpus; aliter in festis, quia tunc spiritualibus est omnino vacandum; *capit. eodem:* Memento ut diem sabbati sanctifices, id est ipsum sanctum habendo, operibus sanctitatis intendas.

Aliter in tempore (3) tribulationis, quia gaudenter; *Luc. 6:* Gaudete in illa die, scilicet in die tribulationis; aliter in tempore prosperitatis, quia timorate; Gregorius: Magis timenda est fortuna prospera quam adversa.

Item, in tempore silentii, quia se debet habere tacite. *Eccle. 3:* Tempus tacendi, id est tempus silentii.

Item, tempore surgendi, quia strenue. *Eccli. 32:* Hora surgendi non te trices, id est, non pigre te habeas, sicut mulieres illa hora se tricantes.

---

(1) Cod. Sp.: peccatis. — (2) Cod. Sp.: Sed quia gestus ultra hoc... — (3) Cod. Vien.: die.

Item, tempore jejunii, quia laete. *Matth. 6:* Cum jejunatis, nolite (1) fieri sicut hypocritae tristes.

Et sic de aliis variis modis, secundum congruentiam temporis (2) se debet habere. (3) *Eccle. 3:* Omnia tempus habent suum; scilicet distinctum tempus.

Quantum ad locum vero notandum quod in religione sunt loca diversa: quidam locus orationis, ut oratorium; quidam disciplinae, ut capitulum; quidam doctrinae, ut scholae, et locus sermonum; quidam studii, ut cellae; quidam necessitatis humanae, ut diversorium, refectorium, dormitorium, infirmitorium, hospitium, (4) camerae, et officinae; quaedam ad diversarum necessitatum officia deputata; quaedam ad recreationis solatia pertinentia, ut locutorium, pratellum et hortus, in quibus omnibus vir sanctus in modo se habendi debet ostendere disciplinam.

In oratorio siquidem et in choro existens se debet habere mature; Bernardus: Una abusio claustri est dissolutio in choro. Juxta altare reverenter; idem: Alia abusio irreverentia juxta altare. Juxta reliquias timorate; *Lev. 26:* Pavete ad sanctuarium meum.

In capitulo stans in loco judicii corrigendus, debet se habere sicut Dominus coram praeside; de quo Bernardus: Stetit Jesus coram praeside (5) demissis aspectibus, vultu hilari, rarus ad verba, paratus ad opprobria, paratus ad verbera.

In scolis et loco sermonis attente. *Ps. 77:* Attendite, populе meus, legem meam, hoc est, attente audite.

In cella utiliter, vacando scilicet utilibus. *Jer. 7:* Bona facite studia vestra, id est utilia.

In refectorio et in mensa et in omni comestione, sic religiose ut secundum doctrinam Hugonis, linguam a loquendo restringat, oculos non circumducat, (6) et caetera membra cum omni modestia

---

(1) Cod. Vien.: non eritis. — (2) Codd. Sp. et Grat.: sed congruentem tempori. — (3) Cod. Vien.: secundum exigentiam temporum diversorum diversimode; sed congruenter se tempori debet habere. — (4) Codd. Sp. et Vien.: officium. — (5) Cod. Grat.: Stat Jesus ante praesidem. — (6) Cod. Grat.: circumdet.

contineat; super escam se non effundat, sic munde comedat quod caeteris abominationem vel displicentiam in aliquo non faciat.

In dormitorio sic quiete ut alios non inquietet. Cum enim servire Deo regnare sit, quoquot sunt ejus servi qui serviunt ei die ac nocte tot sunt reges. Dicitur autem, 1 *Reg. 26:* Tu quis es qui clamas, et inquietas regem, scilicet, Saül dormientem? Si autem hoc ascriptum est audaciae, (1) quanto magis secundum Deum (2) sunt reprehensibiles, qui tot reges coeli quiescentes inquietant?

Item, in infirmitorio non querulose. Exemplum de Lazaro, qui fuit plenus ulceribus, et jacens ad januam divitis cupiebat (3) saturari de micis quae cadebant de mensa divitis, licet nemo illi daret: tamen non legitur murmurasse. *Luc. 16.*

Item, in hospitio laete. Unde abbas Joseph in *Vitis Patrum* dixit: Reddenda sunt quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Quando ergo est praesentia fratrum, cum gaudio debemus eos suscipere; quando autem soli sumus, opus habemus lugere. Exemplum de Zachaeo, qui laetus (4) suscepit hospitio Dominum. *Luc. 19.*

In cameris verecunde; et ideo fiunt in abscondito, vel itur in absconditum locum pro necessitate ventris. 1 *Reg. 24:* Ingressus est Saül speluncam, ut purgaret ventrem.

Porro in aliis officinis necessitatum servandum est pro disciplina quod nunquam quis in eis compareat, nisi pro justa necessitate, ne sit similis mulieribus illis de quibus dicit Apostolus, 1 *Tim. 5:* Otiosae discunt circuire domos; non solum otiosae, sed et verbosae, et curiosae, loquentes quae non oportet.

In locutorio vero debet sic se habere, quod non otiosa vel pejora, sed utilia loquatur. 1 *Pet. 4:* Si quis loquitur, quasi sermones Dei.

In horto vero vel prato sic meditantem, (5) quod de inspectis trahat aliquam aedificationem, exemplo Domini dicentis, *Matth. 6:* Considerate lilia agri quomodo crescunt, etc. Et iterum, *Luc. 21:* Videte ficulneam, et omnes arbores. Cum producunt jam ex se

---

(1) Cod. Grat.: astutiae. — (2) Codd. Sp. et Tol.: servi Domini. — (3) Cod. Sp.: cupiens. — (4) Cod. Grat.: gaudens. — (5) Edit: meditative.

fructum, scitis quia prope est aestas: ita et vos, cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

Igitur secundum diversitatem locorum praedictam, et alia quaedam loca, diversi sunt modi se habendi pertinentes ad disciplinam.

Porro quantum ad statum, sciendum quod in statu praelati se debet habere vir bonus sollicite. *Rom. 12:* Qui praeest in sollicitudine.

In statu subditi subjective. *Hebr. 13:* Subiacete praepositis vestris, hoc est quando non erigitur subjectus in praelatum.

In statu sanitatis laboriose. *Matth. 8:* Dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis.

In statu infirmitatis consolatorie. *Tob. 5:* Forti animo esto, dixit angelus ad Tobiam infirmum; quod est contra illos qui in infirmitate nimis animo dejiciuntur.

Item, in statu junioris, ut sunt novitii, quasi ignoranter. *Eccli. 32:* Adolescens, loquere in tua causa vix, id est, cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius; et audi tacens simul et quaerens, et loqui in medio magnatorum non praesumas; et ubi sunt senes non multum loquaris. Omnia quidem haec sunt signa ignorantiae.

In statu senioris sapienter, (1) utilitati scilicet communi vacando. 1 *Mach. 14:* Senes de bonis terrae tractabant; quod pertinet ad sapientes.

In statu sublimitatis (2) humiliter. *Eccli. 3:* Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

In stato inferiori constanter, ut scilicet tali statu contentus, non aspiret ad sublimiorem. 1 *Cor. 7:* Servus vocatus es? non sit tibi curae; sed si potes liber fieri, magis utere, scilicet servitute. Si autem hoc in statu servitutis est servandum, qui est vilissimus inter status infimos, quanto magis in aliis? Hujus autem reddit rationem *Glossa* dicens: Quia quanto quis despectior est in hoc saeculo propter Deum, tanto magis exaltabitur in futuro. Sic et in aliis multis diversis statibus diversa competunt, in quibus vir disciplinatus diversimode se debet habere, sicut et Christus, in quantum Deus, in

---

(1) Cod. Grat.: sapientiae: — (2) Cod. Grat.: sublimi.

quantum homo, in quantum rex, in quantum sacerdos, in quantum Dominus, in quantum magister, in quantum judicandus, in quantum judex, aliter et aliter se habuit et habebit.

Notandum etiam quod diversimode se debet cum diversis habere Dei servus.

Ad praelatos, obedienter. *Hebr. 13:* Obedite praepositis vestris.

Ad socios coaequales amabiliter. Bernardus: Socialiter, ut amare appetas et amari.

Ad minores paterne, eorum scilicet aedificationi intendendo, sicut Christus docebat discipulos suos, et Tobias filium suum, et Apostolus qui dicit, 1 *Cor. 3:* Tamquam parvulis in Christo lac vobis dedi.

Cum officialibus tranquille, non perturbando eos. 1 *Thes. 5:* Propter opus illorum, pacem habete cum illis.

Cum dyscolis pacifice. *Ps. 119:* Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.

Cum viris sanctis sancte. *Ps. 17:* Cum sancto sanctus eris, id est sancte te habebis, nihil coram eis faciens contrarium sanctitati.

Item, cum forinsecis (1) sapienter, quia nescitur quid intendant. Apostolus, *Col. 4:* In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt.

Cum mulieribus pudice. 1 *Tim. 5:* Anus obsecra ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate; videlicet ut sint cum eis et inter eas verba casta, intuitus castus, gestus casti, ita quod in omnibus appareat pudicitia.

Cum pauperibus affabiliter. *Eccli. 4:* Congregationi pauperum affabilem te facito.

Cum divitibus curialiter, ne scilicet exasperentur; (2) sed quadam sagaci curialitate attrahantur ad bonum. Nonne curialiter se habuit Dominus ad Zachaeum divitem, invitando seipsum ad comedendum cum eo, sicut dicitur *Luc. 19;* et comedendo cum publicanis, qui erant et divites et peccatores, sicut dicitur *Matth. 9.?*

Cum domesticis secundum carnem spiritualiter, sicut Bernardus, qui novem fratres suos attraxit ad ordinem suum, et sicut Paulus,

---

(1) Cod. Grat.: cum forinsecis sapientibus sapienter. — (2) Codd. Sp. Tol. et Vien.: exasperentur vel aspernentur.

qui dicit, *Rom. 9:* Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Quod dixit, secundum *Glossam,* ad exprimendum magnum desiderium quod habebat de salute eorum qui sibi secundum carnem attinebant.

Cum adversariis patienter, sicut oves inter lupos. *Rom. 12:* Non vosmetipsos defendentes, charissimi.

Denique debet in conversatione sua bonum exemplum ostendere omnibus. *Rom. 12:* Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

In suis actibus ad omnes se mansuete habere. 2 *Tim. 2:* Servum Dei oportet mansuetum esse ad omnes.

Cum omnibus de eorum utilitate agere, ut omnes Deo lucrifacere laboret. *Eccli. 37:* Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia, et cum muliere de hiis quae aemulatur, cum timido de bello, et cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione, et sic de aliis secundum doctrinam Gregorii in *Pastorali* dicentis quod aliter et aliter sunt docendi diversi. Et Paulus diversimode instruebat (1) diversos, ut servos et dominos, mulieres et viros, senes et adolescentes, virgines et conjugatas, episcopos, plebanos, presbyteros et diaconos, et alias diversitates hominum.

Postremo notandum quod sunt actus vel quasi actus quidam in quibus homo stat in se, alii quibus ordinatur in Deum, alii quibus habet agere cum proximo: in quibus omnibus est servandus modus se habendi disciplinatus.

Primi sunt stare, sedere, jacere.

Stando autem debet oculos demissos habere, exemplo publicani poenitentis a longe stantis. In cujus laudem dicitur quod nec audebat oculos levare in coelum. *Luc. 18.*

Sedendo vero non debet tibias divaricare, seu pedes dividere,

---

(1) Cod. Tol.: instituebat.

sicut tradunt antiqui religiosi in suis statutis, cum hoc etiam in meretrice reprehendatur. *Ezech. 16:* Divisisti pedes tuos.

Jacendo cavere debet ne se discooperiat, sicut Noe ebrius. *Gen. 9:* Inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo.

Secundi sunt illi quibus servitur Deo, et maxime in officiis divinis, in quibus observandum est ut fiant reverenter. *Hebr. 12:* Serviamus illi cum metu et reverentia, hoc est cum illo metu qui dicitur reverentia.

Item, quod fiant diligenter. Quo circa (1) Jeremias, *Jer. 48:* Maledictus qui facit opus Dei negligenter, secundum quamdam litteram, licet secundum aliam dicatur: fraudulenter.

Item, quod fiant timide. (2) *Ps. 2:* Servite Domino in timore, sicut famuli regi astantes, et semper timentes ne in aliquo minus bene faciant.

Tertii sunt quidam corporales, ut cum hominibus in temporalibus ministratur; quod faciendum est sedule. 4 *Reg. 4:* Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis.

Alii spirituales, ut est docere, in quo cavendum bono viro est ne se in aliquo magnificare videatur, sicut faciebat Eliu, *Job. 32, et in quatuor sequentibus capitulis.* Quare imprecatur Psalmista, *Ps. 11,* ut disperdat Dominus linguam magniloquam.

Item, corrigere, sive ad partem sive publice accusando; quod faciendum est modeste a servo Dei. 2 *Tim. 2:* Modeste corripientem; quod fit cum non exceditur modus in aggravatione, vel asperitate loquendi, et similibus.

Item, judicare, ut cum oportet aliquem propter culpam in aliquo condemnare; in quo semper est servanda misericordia, exemplo Domini qui semper punit citra condignum. *Eccli. 4:* In judicando esto misericors.

Item, conferre sive disputando sive alio modo, in quo cavendum est a lite. 2 *Tim. 2:* Servum Dei non oportet litigare.

Item, consulere interdum, in quo agendum est provide. Unde de sancto Sebastiano dicitur: In consilio providus. Talis etiam fuit Joseph,

---

(1) Cod. Vien.: contra. — (2) Cod. Grat.: cum timore.

qui tamquam providus in consilio dixit Pharaoni: Provideat rex virum sapientem, et industrium, et providum, et praeficiat eum terrae Ægypti. *Gen. 41.*

Item, aliquando aliqua sibi commissa agere, quod faciendum est prudenter. 1 *Reg. 18:* Egrediebatur David ad omnia quaecumque misisset eum Saul, et prudenter agebat.

Sic ergo se debet habere Dei servus in his actionibus spiritualibus ad proximum, ut in docendo se non magnificet, in corrigendo servet modestiam, in judicando ad poenam non derelinquat misericordiam, in conferendo sit sine lite, in consiliis sit providus, in agendis prudens.

Et sic patet de disciplina servanda in gestibus, et quantum ad actiones, et quantum ad modum se habendi in omnibus, et quoad tempus, et quoad locum, et quoad statum, et quoad homines, et quoad quasdam speciales (1) actiones, per quas cavetur offensio hominum intuentium servos Dei, et sic fit quod decet sanctitatem eorum.

LXXXVI. Quantum deceat sanctos viros exterior disciplina.

Circa quod notandum quod disciplina in exteriori conversatione multum decet viros sanctos. Est enim exterioris conversationis disciplina quasi quidam ornatus. 1 *Pet. 3:* Sic enim sanctae mulieres in Deo sperantes se ornabant aliquando. Et loquitur ibi de morum ornatu, sicut patet ex eo quod subjungit dicens: Sicut et Sara obediebat Abrahae, dominum eum vocans; ex quo relinquitur quod mores disciplinati sunt quidam ornatus. Dominus vero qui omnes partes universi ornavit, praeter infernum, pulchrius ornavit coelum. Cum igitur viri sancti frequenter in sacra Scriptura dicantur coeli, quam indecens esset si non essent ornati! Ideo dicitur, *Job. 20:* Spiritus ejus ornavit coelos. Quod intelligitur non solum ad litteram, sed mystice de sanctis, secundum Gregorium: Quorum ornamenta sunt gratiae exterius fulgentes, a Spiritu Sancto eis datae.

Item, templum Dei non solum debet ornari interius, sed etiam

---

(1) Cod. Vien.: specialiter - Cod. Grat.: spirituales.

exterius; propter quod fiunt imagines sanctorum (1) et similia in porticibus. Cum igitur viri sancti sint templum Dei verius quam templum lapideum, juxta illud: Templum Dei sanctum est, quod estis vos, 1 *Cor. 3,* non est sine indecentia nisi exterius sint ornati. Ideo dicitur, 1 *Mach. 4:* Ornaverunt faciem templi; quod intelligendum est esse factum de uno, et fiendum (2) de alio.

Item, viri sancti sunt vasa, non in contumeliam, sed in honorem, in quibus ministrantur Domino varia genera potuum, ciborum, aromatum, luminum, et hujusmodi. Vasa vero templi et tabernaculi (3) erant omnia pulcherrima, non solum interius, sed etiam exterius, sicut etiam est in vasis in quibus nunc ministratur regibus. Decet igitur ut viri sancti, tamquam vasa in quibus servitur Regi regum, sint decenter ornati. Et ideo dicitur de viro sancto, *Eccli. 50:* Tamquam vas ornatum omni lapide pretioso.

Quia igitur sancti viri ratione sanctitatis sunt coelum, et templum Dei, et vasa in honorem aeterni Regis, decet eorum sanctitatem ut sint exterius per disciplinam ornati.

Praeterea conversatio exterior dicitur vestis. Unde dicitur, *Eph. 4:* Deponite veterem hominem secundum pristinam conversationem; et post: Induite novum hominem. Ex quo innuitur quod conversatio vetus et nova sint quasi vestis vetus et nova. Et sic omnis conversatio exterior est quasi vestis. Porro pulchrae vestes decent curiales, quia, sicut dicitur *Esth. 4:* Indutum sacco non licebat aulam regiam intrare; et regina Saba admirata est vestes assistentium Salomoni. *3. Reg, 10.* Cum ergo soli viri sancti sint de curia Regis aeterni, quia omnes alii sunt de curia diaboli, quantum decet eos vestis pulchrae conversationis exterius? Ideo dicit Paulus, *Coloss. 3:* Induite vos sicut electi Dei sancti et dilecti; quasi diceret: Cum sitis a Deo electi, et sanctificati, et specialiter dilecti, et ideo sui specialiter, induite vos, non sicut ribaldi, sed sicut decet familiam tanti Regis; viscera misericordiae, benignitatem, ita ut scil. appareant exterius in vobis viscera

---

(1) Cod. Grat.: imagines sanctae. — (2) Cod. Tol.: faciendum. — (3) Cod. Sp.: tabernaculum.

misericordiae: benignitas scilicet et alia (1) quae sequuntur, quae omnia faciunt ad gloriam conversationis exterius.

Item, sacerdotes decent pulchrae vestes. Unde et Aaron habuit vestem poderis, in qua totus erat orbis terrarum depictus et dicitur de vestibus ejus, *Eccli. 45,* quod sic pulchrae ante eum non fuerunt.

Cum ergo viri sancti sint Domini sacerdotes, ei sacrificantes die ac nocte hostias laudis, multum decet eos hujusmodi vestis pulchritudo. Et ideo dicitur, *Ps. 131*: Sacerdotes tui induantur justitia; id est sic induantur, quod exterius appareat in eis per totum justitia, quae est generale nomen virtutum.

Item, mulieres nobiles indui solent pulchrius. Cum ergo animae sanctae sint filiae Regis aeterni, quantum decet eas pulchra vestis? Ideo dicitur, *Ps. 44,* de filia Regis coelestis: Circumdata varietatibus.

Patet ergo, quod viros sanctos, et ratione curiae de qua sunt, et ratione sacerdotalis officii, et ratione nobilitatis, decet pulchritudo, non solum intrinseca in virtutum habitibus, sed et extrinseca in morum disciplina, ut, sicut scriptum est, *Prov. 31,* de domesticis, domestici Ecclesiae sint vestiti duplicibus: interius scilicet et exterius.

Praeterea disciplina exterior est signum interioris status: videlicet bona boni, et mala mali. *Eccli. 19.:* Amictus corporis, et risus dentium, et gressus (2) hominis indicant de illo. Indecens vero est non modicum viro sancto habere signa viri mali, sicut honestae matronae habere signa prostitutae. Et ideo debet laborare ad disciplinam exteriorem, ut non solum sit; sed etiam appareat Dei servus. Ideo dicitur, 1. *Cor. 4.:* Sic nos existimet homo ut ministros Christi; quasi diceret: Sic nos habeamus, ut videntes conversationem nostram exterius, talem de nobis habeant homines opinionem.

Item, sicut alias pelles habent oves, alias lupi; ita justum est ut alia sit conversatio malorum, alia bonorum exterior. Sed malorum (3) est nigra, sicut Aethiopum. *Thren. 4.:* Denigrata est super carbones facies eorum. Et ideo bonorum dicitur esse alba. *Eccle. 9:* In omni tempore vestimenta tua sint candida. Et quamvis hypocritae

---

(1) Cod. Grat.: omnia. — (2) Cod. Vien.: incessus. — (3) Cod. Sp.: sed magis est malorum.

induant se quandoque talibus, non ideo dimittenda est vestis hujusmodi a bonis, quia sicut dicit *Glossa super Matth. 7.:* Oves non debent deponere vestimenta sua, etsi lupi quandoque induantur eis.

Item, opera hominis exteriora sunt fructus ejus. Arbor autem bona fructus bonos facit, et arbor mala fructus malos facit, sicut dicitur *Matth. 7.* Quam inconveniens ergo esset, si arbor aliqua plantata a Domino in horto suo, tanquam electa, non faceret fructum sibi competentem! Ideo dicitur, *Gen. 1:* Germinet terra lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum. Debent ergo boni viri tanquam bonae arbores et in bonis exterioris conversationis fructibus abundare.

Et sic patet quantum deceat sanctitatem bonorum exterior disciplina.

Sequitur: **Oculi vestri, etsi jaciantur in aliquam feminarum, in nullam figantur.**

Datum est mandatum praecedens circa disciplinam motuum in generali; hic autem tradit mandatum circa disciplinam particularis sensus: non autem circa quoslibet sensus, sed solum circa oculos; nec circa quaelibet objecta visus; sed solum circa feminas. Primo autem ponit mandatum; secundo causam traditionis mandati, ibi: « Neque enim »; tertio rationem quare observandum est mandatum, ibi: « Nec dicatis vos habere. » etc.

Ut autem sciatur quare potius prosequitur de disciplina oculorum quam aliorum sensuum, et quare potius circa feminas quam circa alia visibilia, notandum est primo quod oculi sunt magis habiles ad occasionem peccandi quam alii sensus; secundo quod impudicitiae corruptio apparet (1) in eis magis (2) quam in aliis sensibus; tertio quod impudicitia est magis contraria honestati quam alia vitia.

LXXXVII. De malitia ocu

Circa primum sciendum (3) quod visus irritat gulam. *Gen. 3.:* Vidit mulier lignum quod esset bonum ad

---

(1) Cod. Vien.: est. — (2) Codd. Tol. et Grat.: apparet in eis corruptio major. — (3) Cod. Vien.: notandum,

lorum et eorum corruptione, quae multum est contraria honestati.

vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit.

Item, incitat cupiditatem. *Matth. 4:* Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, ut scilicet incitaret eum ad cupiditatem illorum.

Item, inflammat libidinem. *Eccli. 9:* Propter speciem mulieris multi perierunt; et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

Item, provocat ad superbiam. Unde dicitur in fabula quod bufo propter hoc se inflavit in prato quia vidit bovem magnum pascentem, et voluit ei assimilari in magnitudine. Sic etiam dicit Bernardus de Lucifero quod videns Filium Dei aequalem Patri, voluit assimilari Patri sicut viderat Filium sibi similem; et dixit in corde suo: Similis ero Altissimo. *Isai. 14.*

Item, commovet iram. *Matth. 18:* Videntes conservi ejus quae fiebant, contristati sunt valde.

Item, concitat invidiam. 1. *Reg. 2.:* Videbis aemulum tuum in templo, et in universis prosperis Israel. Et post: Ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua, scilicet invidia, haec invidendo. (1) Et Socrates: Dignos esse censerem invidos ut oculos haberent in omnibus civitatibus, ut de profectibus omnium torquerentur.

Item, fovet accidiam. Accidiosi est enim visa intemperie temporis non exire ad opus; sed torpeseere in domo. *Eccle. 11:* Qui considerat nubes, nunquam metet. Sic igitur omne genus peccati per oculos generatur. Et ideo dicitur, *Matth. 6:* Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit, quia omnes tenebrae peccatorum per malos oculos inducuntur, juxta illud Philosophi: Oculi nos in omnia quotidie vitia praecipitant.

Item, alii sensus non semper habent sua obiecta in promptu, ut patet in olfactu, auditu, gustu et tactu. Sed visus semper habet aliquid quod videat, si velit, in quo potest peccare; et ideo potest quasi incessanter peccare. 2. *Pet. 2:* Oculos plenos habentes incessabilis delicti.

Item, actus oculi velocior est quam aliorum sensuum, propter

---

(1) Cod. Vien.: haec videndo.

quod Apostolus subjungit: In momento, dicens, 1. *Cor. 15.*: In momento, in ictu oculi; et ideo facile per ipsum peccatur. *Judith. 10:* Cum intrasset ante faciem ejus, statim captus est in oculis suis.

Patet ex his quod per oculos committi potest peccatum multipliciter, et incessanter, et faciliter. Et ideo dicitur, *Eccli. 31.:* Nequius oculo quid creatum est? Per quem scilicet tot peccata committuntur, et tam assidue, et tam facile.

Circa secundum notandum quod impudicitia viget in omnibus sensibus. Viget enim in olfactu, cum in odoribus meretriciis delectatur, de quibus dixit meretrix, *Prov. 7:* Aspersi cubile meum mirrha, et aloë, et cinnamomo.

Item, in auditu, cum auditu verborum mulieris cor inflammatur. *Eccli. 9:* Colloquium illius quasi ignis exardescit.

Item, in gustu, cum ex convivando cum ea libido provocatur. Propter quod dicitur, *Eccli. 9:* Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, et non alterceris (1) cum ea in vino, ne forte declinet cor tuum in illam.

Item, in tactu. *Prov. 6:* Qui ingreditur ad uxorem proximi sui non erit mundus, cum tetigerit eam.

Item, in oculis. 2. *Petri 2:* Oculos habentes plenos adulterii. Verum licet vigeat haec corruptio in omnibus sensibus, tamen magis in visu. Tactus enim simplex solam suavitatem carnis, auditus solam dulcedinem eloquii, olfactus solam fragrantiam odoris meretricii percipiunt de muliere; gustus vero in convivando nihil de ea percipit proprie, sed solum de his in quibus cum ea communicat saporis affectum contrahit: visus vero de ea percipit formam, figuram, colorem, gestus, ornatum, membra singula, et totius corporis dispositionem; quae quanto plura sunt, tanto magis inflammant concupiscentiam, sicut ligna quanto plura sunt tanto faciunt majorem ignem. Et ideo bene dicitur, *Eccli. 9:* Et ex hoc, scilicet visu mulieris, concupiscentia quasi ignis exardescit; qui scilicet plus ardet, quando sunt plura ligna. Sic igitur patet quod visus magis inflammat ad libidinem quam alii sensus.

---

(1) Cod. Vien.: adulter eris.

Item, frequentius potest habere copiam sui objecti in muliere visus quam alii sensus, quia frequentius potest videri quam tangi, vel audiri; vel quam haberi possit solatium de ejus convivio, vel aromatibus. *Dan. 13:* Videbant quotidie eam, scilicet Susannam, seniores ingredientem et deambulantem. Et ideo frequentius committitur impudicitia per visum quam per alios sensus omnes.

Item, omnes mulieres unius civitatis possunt interdum videri, nobiles et ignobiles, conjugatae et virgines, religiosae et saeculares, attinentes et non attinentes, et sic de aliis. Non autem possunt sic omnes tangi, vel audiri, vel haberi in convivio, vel de prope redolere, et ideo oculus cum pluribus facit peccare (1) quam alii sensus, quia in omnibus quas videt potest peccare. Unde lubrici discurrentes per civitatem ad videndum mulieres cum innumerabilibus peccant oculis suis, et impletur in eis illud, *Thren. 3:* Oculus meus depraedatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meae.

Item, oculus audacius peccat in muliere quam alii sensus. Audet enim quis videre multas quas non auderet tangere, vel cum eis comedere, vel ad loquendum vel alias aliquatenus appropinquare. Unde Amnon longo tempore deperit in amorem Thamar, quam videbat speciosissimam; nec tamen audebat eam tangere, vel impetere de turpitudine, sicut elicitur ex 2. *Reg. 13.*

Item, oculi impudicitia non ita percipitur ab aliis sicut verborum, vel tactuum, vel aliorum sensuum: et ideo, sicut ille qui non putat se videri securius fornicatur, ita et oculus securius quam alii sensus agit impudice. Et ideo dicit Augustinus infra: « Nec putare debet qui in feminam figit oculum ab aliis se non videri; » innuens per hoc quod multi sunt tales qui sic putant, et ideo securius figunt.

Item, alii sensus possunt habere impedimentum de facili ab exteriori circa mulieres, quia completio actus eorum dependet ex facto alieno; unde non potest quis tangere mulierem, vel loqui cum ea, vel comedere, vel commorari prope eam, sine ejus assensu: visus vero non sic dependet ex facto alieno; sed solum ex voluntate vi-

(1) Cod. Sp.: peccata.

dentis, si levet oculos, juxta illud, *Isai. 49:* Leva oculos tuos, et vide. Et ideo liberius peccat in muliere, (1) quia non potest ita impediri sicut alii sensus.

Item, insatiabilius peccat: citius enim fastidiunt tactus, et auditus, et alii sensus in muliere illud in quo delectantur quam visus. *Eccle. 1.:* Non satiatur oculus visu.

Cum igitur, sicut patet ex jam dictis, visus vehementius inflammet ad libidinem, et frequentius, et circa plures personas, et peccet audacius, et securius, et liberius, et insatiabilius, constat quod in ipsis oculis est major corruptio circa impudicitiam; propter hoc (2) dicit Philosophus: Nostra luxuria sunt oculi nostri.

Circa tertium notandum quod vir religiosus est quasi res Deo valde sacrata, sicut reputabatur sacrum quod separabatur ab usibus communibus et Deo offerebatur: et ideo designantur religiosi per Nazaraeos. Nazaraeus idem est quod sanctus, quia ipsi religiosi debent esse ipsa sanctitas.

Item, in servitio quod exhibetur terreno magnati homini nihil est ita indecens, sive negligentia, seu aliquid aliud, sicut immunditia; propter quod dicit David, *Ps. 100.:* Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Item, licet omne peccatum sit immunditia, juxta illud: Quae autem de corde exeunt, haec coinquinant hominem, *Matth. 15;* tamen luxuria est major immunditia. Propter quod mulier fornicaria comparatur stercori, *Eccli. 9.,* quod est maxima (3) immunditia. Cum ergo immunditia quaecumque valde inhoneste sedeat in re sacra quacumque, et in servitio homini terreno exhibito, quantum immunditia tanta, scilicet impudicitia, indecens est in viro tam specialiter Deo consecrato, et eidem servienti die ac nocte! Et sic patet quantum sit contraria impudicitia honestati.

Proinde, cum intendat Augustinus tradere mandata circa motuum disciplinam pertinentem ad honestatem, non fuit contentus de motibus hujusmodi tradere mandata in genere, nisi specialiter prosequeretur de oculis, in quibus est maxima corruptio circa pudicitiae ho-

---

(1) Cod. Vien.: mulieres. — (2) Cod. Vien.: quod. — (3) Cod. Grat.: major.

nestatem, dicens: « Oculi vestri, etsi jaciantur in aliquam feminarum, in nullam figantur. »

Et est sciendum quod multa mala evenire solent ex mulierum aspectu. *Gen. 6:* Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt uxores sibi ex omnibus quas elegerant; et haec fuit primaria causa diluvii, in quo fuerunt omnes praeter paucos submersi.

Item, *ejusd. 12:* Viderunt Aegyptii uxorem Abrahae quod esset pulchra nimis; et nuntiaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud eum; et sublata est mulier in domum Pharaonis: propter quod flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis et domum ejus.

Item, *ejusd. 34:* Cum vidisset Sichem, filius Hemor principis terrae illius, Dinam, adamavit eam, rapuit, et dormivit cum ea, et conglutinata est anima ejus cum ea, propter quod interfectus est postea ipse, et Hemor, et omnes masculi civitatis illius.

Item, *Judic. 14.:* Descendit Samson in Thamnatha, videnque ibi mulierem, de filiabus Philisthiim, accepit eam; et postea et ipsa prodidit eum, et fuit occasio mortis suae.

Item, 2. *Reg. 11.:* Vidit David mulierem lavantem se ex adverso super solarium suum: erat autem pulchra valde. Et *post:* Etiam missis nuntiis tulit eam. Et hoc fuit sibi postea causa (1) homicidii, et proditionis, et maximae irae Dei contra eum.

Item, *Judith 16.:* Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, scilicet, Holofernis; pulchritudo ejus captivam fecit (2) animam ejus: et hac occasione fuit capite truncatus.

Item, *Dan. 13.:* Videbant Susannam seniores (3) quotidie ingredientem, et deambulantem in pomario, et exarserunt in concupiscentiam ejus. Quod eis postmodum fuit occasio lapidationis.

Haec siquidem, et multa alia mala leguntur evenisse propter mulierum concupiscentiam, ex oculorum intuitu generatam. Et ideo cavendum est viro sancto ne ex proposito respiciat mulierem; quam (4) si ex casu viderit, cavendum est ei ne oculos figat in eam.

---

(1) Cod. Grat.: postmodum sibi occasio. — (2) Codd. Vien. et Sp.: duxit. — (3) Cod. Vien.: senes. — (4) Cod. Vien.: quod.

Porro oculos dicitur figere quis tripliciter : uno modo cum morose respicit, quasi judicans de figura et pulchritudine. Sic faciebant illi de quibus dicitur, *Judith 10.* : Et erat in oculis eorum stupor, quoniam admirabantur ejus pulchritudinem. Et *post. 11.* : Dicebant alter ad alterum : Non est talis mulier super terram in aspectu, et pulchritudine, etc. Numquid non bene morose respexerant illam, cujus pulchritudinem omnibus aliis feminis praeferebant?

Alio modo, cum respicitur ad concupiscentiam incitandam, juxta illud quod dicitur, *Matth. 5.* : Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.

Alio modo cum videtur cum concupiscentia, juxta illud quod dixerunt senes Susannae ante se positae, *Dan. 13.* : In concupiseentia tui sumus.

Licet autem primus modus non videatur in se esse mortalis sicut alii duo, tamen quia est occasio valde proxima ad mortalia, prohibetur omnis hujusmodi fixio oculorum, non per modum praeceptorium, sed per modum valde dissuasorium : sicut in multis similibus in Regula invenitur. Unde reddens causam hujus mandati, subdit dicens : « Neque enim, etc. »

Sequitur : **Neque enim quando proceditis, feminas videre prohibemini ; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tacito affectu, (1) sed et aspectu quoque appetitur et appetit concupiscentia feminarum.**

Quasi dicat : ideo non visionem simplicem, sed fixionem oculorum prohibeo, quia appetitus mulierum est criminosus : qui scilicet appetitus surgit vel est cum aspectu, et non solum in tacito affectu.

LXXXVIII. De reprehensibilibus circa mulierum aspectum, quamvis non sit prohibitus.

Circa hoc vero quod dicitur hic, quod feminas videre non sit prohibitum, notandum est quod, quamvis non sit prohibitum, propter periculum transgressionis quia difficile esset hoc servare, tamen non est tutum. Dicitur in *libro Barlaam* quod cum quidam rex gentilis nutriisset fi-

---

(1) Ita potiores Codices. Haud secus habet Codex ms. Liturgiae nostrae a B. Humberto curatus. Edita ferunt : Nec solo tactu et affectu...

lium suum longo tempore in occulto, ne possent ei Christiani loqui, et inducere ad fidem suam, tandem, cum jam esset adolescens, fecit eum educi ad videndum delectabilia mundi quae eum ad se allicerent, et sic magis elongaretur a Christi doctrina. Cum autem inter alia vidisset mulieres quas usque tunc non viderat, et quaesiisset quid hoc esset, dictum est ei: Isti sunt daemones qui seducunt homines. Cum autem postmodum quaereretur ab eo quid magis sibi placuisset inter omnia quae viderat, respondit: Daemones, qui seducunt homines. Ex quo patet quod multum est allectiva species mulieris. Cum ergo multum alliciant et non liceat eas concupiscere, non est securum illas videre. Gregorius: Non est tutum intueri quod non licet concupisci.

Item, non est perfectionis. Unde legitur secundum Hieronymum, in *Vitis Patrum,* quod cum quidam monachus occurreret quibusdam sanctis mulieribus, et propter eas diverteret a via, dixit ei una illarum: Tu, si fuisses perfectus monachus, non divertisses a nobis, quia non tantum respexisses nos quod posses discernere utrum essemus mulieres an non.

Item, non est religiosum. Unde reperitur in *Vitis Patrum* quod cum quaedam valde (1) nobilis et dives mulier venisset a remotis partibus ad quemdam virum valde religiosum, et inter alia rogasset eum ut oraret pro ea, respondit ille: Rogo Deum ut tollat memoriam tui de corde meo. Cum autem ipsa super hoc scandalizata recedens dixisset hoc cuidam sancto episcopo, ipse eam consolans dixit ei: An nescis quia mulier es, et quod daemones solent viros sanctos per imaginationes et memorias mulierum multum vexare? Ideo hoc dixit tibi; nam pro anima tua semper orat. Similiter legitur, *ibidem,* quod quidam frater dixit cuidam seni: Pater, jam senuisti: eamus videre mundum. Cui senex: Ubi non est mulier, fili, illuc eamus. Et frater: Et ubi est locus ubi non sit mulier, nisi solitudo? Et senex: Ergo, fili, in solitudinem me tolle. (2)

Legitur etiam, *ibidem,* quod quidam multum religiosus propriam matrem venientem ad eum visitandum noluit videre.

---

(1) Cod. Vien.: quodam die. — (2) Cod. Grat.: tollo.

Cum ergo viri religiosi nolint habere memoriam mulierum in corde, nec esse in loco ubi possint eas videre, et etiam refugiant proprias matres videre, quam contrarium est religioso videre mulieres!

Item, non est cautum. Per visum enim inducitur species in animam, quae ipsam impugnat, velit nolit, nec potest facile se ab ea homo postmodum expedire. Quis autem sapiens velit in domum suam inducere hujusmodi tribulationem? Ideo super illud, *Job. 31.:* Pepigi foedus cum oculis meis, dicit *Glossa:* Foedus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret quod postea invitus amaret.

Item, non est fidelitatis Deo debitae. Quomodo enim est fidelis Domino suo, qui portas castri sibi commissi aperit inimicis suis, et sic auferuntur ei castra? Ideo post illud: Pepigi foedus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine, *Job. 31,* subjungitur: Quam enim partem haberet in me Deus desuper? quasi diceret: Nonne sic amitteret Deus quicquid ante habebat in me?

Item, non est angelicum. Viri enim angelici sunt pudici ut angeli, et non debent intueri mulieres. Et ideo dicitur, *1. Cor. 11.:* Debet mulier velamen habere supra caput propter angelos, scil. propter angelicos homines, secundum *Glossam,* ne eam aspiciant: ergo non est angelicum intueri mulieres.

Item, non est philosophicum. Leguntur enim philosophi quidam, ut dicit Hieronymus, eruisse sibi oculos propter hoc quod phantasmata ingredientia per oculos impediebant eos a sapientia. Cum igitur phantasmata mulierum ingredientia per oculos summe impediant a sapientia, non temporali, sed aeterna; et scandalizent ad mortem animam: quales philosophi sunt isti, qui sic habent oculos promptos ad mulierum aspectum? Ideò dicit Dominus, *Matth. 5.:* Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. Quod, quamvis non sit ad litteram intelligendum omnino, tamen multum concordat huic sententiae.

Item, hujusmodi visio procuratio est diabolica. Unde legitur in *Vitis Patrum* quod cum quidam ab infantia sua fuisset in monasterio nutritus, daemones, cum jam crevisset, ostendebant ei formas et habitus mulierum de nocte. Quod, cum retulisset patri, et cum eo semel descendisset ad saeculum, vidissetque ibi mulieres, dixit ite-

rum ei: Ecce istae sunt quas de nocte videbam in cella. Et miratus est senex de fraude daemonum. Procurant ergo daemones hujusmodi visionem, cum aliter corpora (1) non habent; (2) et etiam interdum in formas hujusmodi se transformant, propter quod succubi vocantur.

Cum ergo videre mulieres non sit securum, non sit perfectum, non sit religiosum, non sit cautum, non sit fidelitatis, non sit angelicum, non sit philosophicum, immo procuratio diabolica, quamvis non sit prohibitum, tamen propter hujusmodi inconvenientia est valde cavendum.

LXXXIX. Quomodo appetere mulieres vel ab ipsis appeti velle sit criminosum, et qualiter utrumque sit cavendum.

Item, circa hoc quod dicitur quod « appetere mulieres, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est, » potest quaeri quare hoc dicatur criminosum cum sit occultum, et crimen videatur sonare infamiam?

Ad quod solvendum, sciendum est quod crimen quatuor modis accipitur, sicut dicit Gratianus, et probat per dicta sanctorum, *Dist. 25, cap. 3.*

Uno modo stricte, et sic dicitur crimen peccatum mortale cum infamia, unde ibidem: Crimen vocatur criminalis infamia. Et trahitur de verbis Hieronymi.

Secundo modo large, et sic dicitur omne peccatum mortale, sive cum infamia sive sine infamia crimen. Unde *ibidem*: Multi decipiuntur, dum credunt quod, si super fundamentum Christi capitalia crimina aedificant, ipsa per ignem transitorium possunt purgari. Et trahitur de verbis Augustini. Constat autem ibi criminalia vocari quaecumque mortalia.

Tertio modo largius, et sic dicitur crimen quodcumque peccatum, sive mortale sive veniale quod non ex infirmitate vel ignorantia, (3) sed ex deliberatione committitur. Unde *ibidem*: Criminis appellatio alias late dicitur, (4) complectens omne peccatum quod ex deliberatione procedit. Et trahitur a verbis Bedae et Augustini.

Quarto modo largissime, et sic dicitur crimen omne peccatum

---

(1) Cod. Grat.: copia non haberetur. — (2) Cod. Vien.: habentur. — (3) Codd. Vien. et Sp.: negligentia. — (4) Cod. Tol. patet.

sive mortale, sive veniale. Unde *ibidem* nomine criminis quodlibet peccatum intelligitur. Et trahitur a verbis Hieronymi.

Ex his ergo patet quod appetitus praedictus, cum sit semper mortalis, dicitur crimen juxta secundam acceptionem criminis praedictam.

Et nota quod sola cogitatio de muliere non est in se aliquod peccatum; delectatio vero in hujusmodi cogitatione potest esse mortalis et venialis, secundum diversas circumstantias: appetitus vero mulieris semper est mortalis. Porro cogitatio est origo delectationis praedictae; et delectatio inducit in appetitum. Est enim hujusmodi cogitatio sicut scintilla, de qua scriptum est, *Eccli. 11.*: A scintilla una augetur ignis.

Item, sicut modicum fermentum, de quo dicitur, 1. *Cor. 5.*: Fermentum modicum totam massam corrumpit.

Item, sicut caput serpentis, de quo Hieronymus: Lubricus est coluber et tortuosus, et nisi capite teneatur, totus illabitur. Ideo viri sancti, ne trahantur ad hujusmodi delectationem vel appetitum, laborant contra hujusmodi primarias cogitationes, extinguentes scintillas hujusmodi, fermentum expurgantes, caput serpentum conterentes, exemplo illius de qua scriptum est, *Gen. 3.*: Ipsa conteret caput tuum.

Sunt autem tria quae valent contra hujusmodi cogitationes.

Primum est clausio oculorum ab aspectu mulierum, per quem introductae cogitationes hujusmodi in memoria relinquuntur. *Job. 31:* Pepigi foedus cum oculis meis ut nec cogitarem de virgine, hoc est, ut post visum virginis non remaneret in me memoria ejus, faciens me cogitare de ea.

Secundum est occupatio cordis in cogitationibus sanctis. Sicut enim dicit quidam senum: Cor hominis est quasi molendinum quod molit illud quod ei ministratur, et cum molit unum, non potest aliud molere. Et ideo cum bonum bladum sanctarum cogitationum molit, non recipit malas, si vel a diabolo, (1) vel aliunde apportantur; et

(1) Cod. Sp.: sed a diabolo.

ideo bene dicitur, *Eccli. 3.:* Quae praecepit tibi Deus cogita illa semper. Qui enim sic facit, per hoc evadit cogitationes immundas.

Tertium est fides Christi. Hujusmodi siquidem cogitationes sunt parvuli Babylonis, et cum sentiuntur in corde oriri, recurrendum est ad Christum per orationem, et ad signum crucis ejus, et ad memoriam passionis ejus, et similia, ut horum adjutorio teneantur ne procedant, sed potius allidantur. (1) Et beati qui sic faciunt! *Psal. 136:* Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos (2) ad petram, id est, ad Christum, sive ad fidem ejus. Et sic patet qualiter appetitus mulierum, secundum quod accipitur active, (3) sit cavendus.

Reperiuntur autem aliqui, qui, etsi non appetant mulieres, tamen interdum volunt appeti ab eis; vel, quod pejus est, ex hoc quod appetuntur ab eis gloriantur; vel, quod pessimum est, aliquid faciunt interdum ut appetantur. Quae omnia viri sancti diligenter cavent, non solum non facientes aliquid ut appetantur, non solum in hoc etiam non gloriantes, sed ne appetantur multam diligentiam apponentes.

Ad quod cavendum, notandum est quod mulieres sunt multum curiosae ad videndum homines, et specialiter etiam bonos. *Gen. 49:* Filiae discurrerunt super murum. *Glossa Hieronymi:* De muris, et turribus, et fenestris, tota puellarum Aegypti turba prospexit in Joseph, quando scilicet intravit Aegyptum. Sicut autem ex visu mulieris exardescit concupiscentia viri, ita e contrario ex visu viri concupiscentia mulieris. *Ezech. 23:* Cum vidisset Ooliba similitudinem filiorum Babylonis, insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum. Non solum autem hoc accidit circa filios Babylonis, sed etiam circa filios Dei. Unde hospita Beati Bernardi sic insaniens in eum, de nocte accessit ad lectum ejus, sed eam repulit (4) clamando: Latrones! latrones! Et ideo bonorum virorum est, et maxime illorum qui sunt aspectu gratiosi, raro aut nunquam apparere inter mulieres; sed potius in clanculo stare, non solum propter se, sed et

---

(1) Codd. Vien. Tol. Sp. Il. et Grat.: elidantur. — (2) Codd. Vien. Sp. et Il.: suos. — (3) Cod. Vien.: appetitus mulierum active sit cavendus. — (4) Codd. et Tol.: Il.: licet eam respueret.

propter mulierum fragilitatem. Hieronymus, *Ad Oceanum:* A consortio virorum longe sint feminae. Monachum vel clericum solitudo facit, non publicum.

Item, frequentatio mulierum paulatim solet corda earum inflammare in viros. *Gen. 39:* Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph. Quasi diceret: Non statim ab initio, sed postquam diu fuit cum ea conversatus. Et ideo viri sancti cavent hujusmodi frequentationem. Hieronymus, *Ad Oceanum:* Si pudicitiam quaeris, scilicet simpliciter tam tuam quam alterius, (1) feminam, quam bene videris conversantem mente dilige, non corporali frequentes accessu. Et *post:* Cur sanctimonialium frequentia in ecclesia, vel in ipso publico te delectat?

Item, familiaritas in omni re praebet audaciam: audacius enim petitur quidlibet a familiari quam ab extraneo. Ita et mulier audacius prorumpit in tentationem erga familiarem, quam erga extraneum. Quod satis ostenditur in quodam opere diabolico in *Vitis Patrum,* ubi dicitur quod diabolus volens dejicere quemdam eremitam, in speciem mulieris trasformans se, quasi oberrans venit ad cellam ejus circa noctem, rogans ut dimitteret eam illa nocte quiescere apud eum. Quod cum annuisset, post receptionem, stetit cum eo juxta ignem; postea coeperunt loqui de multis; post incoepit admirari barbam suam, et tangere, et jocari. Tandem post hujusmodi multa, quasi jam ei familiaris effecta, provocavit ad turpem commixtionem. Ad quod, cum se ille pararet, evanuit subito de manibus suis, et facta est vox in aere dicens: O monache, monache! qui te extollebas usque ad coelum, ecce quomodo corruisti! Et ideo bonorum virorum est nullam familiaritatem habere plus cum una muliere quam cum alia. Hieronymus, *Ad Nepotianum:* Omnes puellas et virgines Christi aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige.

Item, affectus mulieris erga bonos viros, licet sanctus, facile degenerat in carnalem, quia fragilis sunt naturae mulieres, juxta illud, *Prov. ult.*: Mulierem fortem quis inveniet? Ideo viri sancti

(1) Cod. Grat.: alteram.

non faciunt aliquid circa eas ad nutriendum, vel augendum affectum earum circa se, vel per munuscula, vel per litteras, vel per blanda colloquia, et similia. Hieronymus, *Ad Nepotianum*: Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes ori applicatas et oblatas, et degustatos cibos, blandasque et dulces litteras sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meumque desiderium, et caeteras ineptias amatorum in comoedis erubescimus, et in saeculi hominibus detestamur: quanto magis in monachis et clericis? Hujusmodi autem et similia propter haec sunt cavenda, ne per haec affectus mulieris nutriatur erga hoc facientes.

Item, decor hominis solet incitare concupiscentiam mulierum. *Gen. 39:* Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu. Et sequitur: Injecit domina sua oculos suos in eum, et dixit: Dormi mecum. Sed viri sancti est deturpare corpus suum per mortificationem, sicut fecit Hieronymus, qui scribens *ad Eustochium*, de se dicit: Horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis situm aethiopicae carnis obduxerat; pallebant ora jejuniis, et ante obitum suum erat caro praemortua, etc. Qui autem sic deturpat corpus suum, quomodo appeti poterit, vel amari? Et ideo sic faciendum est viro (1) sancto, sic compositio vel pulchritudo impedienda, ne sit occasio peccati in aliis. Ambrosius: Pereat corpus, quod amari potest oculis carnalibus.

Item, cum sentiunt viri sancti se diligi a muliere, fugiunt illam, sicut (2) Joseph fugit dominam suam, relicto pallio. *Eccle. 7:* Mulier laqueus venatorum est, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam. Quae enim fera est ita fatua, quod non libenter (3) fugiat laqueum et vincula?

Item, si forte contingat quod insequantur viros sanctos, confundunt eas. Unde in *Vitis Patrum* legitur quod, cum quaedam mulier mala quemdam bonum virum, quasi comprehensum in loco in quo non poterat effugere, vellet osculari invitum, ipse praecidens linguam suam cum dentibus, projecit in faciem ejus, et confusa re-

---

(1) Codd. Vien. Sp. et Grat.: a viro sancto non compositio vel pulchritudo amanda, ne.... — (2) Cod. Vien.: sic. — (3) Cod. Vien.: quin libenter.

cessit. Dicitur etiam de quodam sancto viro quod cum quaedam mulier insequeretur eum, et molestaret eum frequenter ut jaceret secum, fecit parare ignem in domo quadam, et ad ipsam insequentem eum dixit ut veniret ad locum illum. Quod cum fecisset, extensis carbonibus, posuit se super eos, dixitque ei: Veni modo, et jaceas hic mecum. Quod illa abhorrens aufugit. Fertur (1) iterum de quodam Parisiensi scholari quod, cum quaedam mulier non cessaret impetere eum, dixit ei ut veniret ad cameram suam. Quae cum fecisset, dixit ei ut expoliatis pannis (2) intraret lectum suum. Quod cum fecisset, ipse habens virgas optimas, incoepit eam disciplinare fortissime cum virgis, in tantum quod illa multum gavisa est cum (3) evadere potuit ab eo. Sic ergo hujusmodi mulieres sunt confundendae dictis et factis, exemplo Domini, qui minis et verbis miro modo confudit meretricem Judaeam, *Ezech. 23,* dicens: Nasum tuum et aures tuas praecidam; et *post:* Et dimittet te nudam, et ignominia plenam; et similia multa quae in *eodem capitulo* et in *15,* et in *16* habentur.

Item, sunt aliqui qui, cum mulieres propter aliquam causam senserint erga se turbatas, laborant eas reconciliare. Hieronymus, *Ad Oceanum:* Cum salutaverint Dei servos, si eos celerius praeterire viderint, contemptores suos esse judicant, et irascuntur. Ordinatur deinde satisfactio; et *post:* Ille lamentare se simulat quasi pretii genus inducens. Verum modus iste est leccatorum. (4) Unde, *3. Esdr. 4,* dicitur de rege et concubina ejus: Si indignata fuerit, ei blanditur, donec reconcilietur in gratiam. Sancti vero non sic, quia non curant de hujusmodi reconciliatione, quia melius est eas esse turbatas contra eos, quam carnaliter affici. Et ideo habent ad eas verba non blanda, ad gratiam earum habendam; sed potius provocativa ad turbationem. Augustinus: Sermo brevis, asper et rigidus cum hujusmodi est habendus: brevis, inquam, non longus, sicut desiderant; asper, qui pungat, non liniat; rigidus, qui non

(1) Cod. Vien.: Refertur. — (2) Codd. Vien. Sp. et Grat.: dixit ut expolians se intraret.... — (3) Cod. Vien.: quod. — (4) Codd. Il. et Tol.: delicatorum.

flectatur ad earum voluntatem. Nonne ista sunt magis turbativa quam gratiae acquisitiva? (1)

Viri igitur sancti non solum volunt non appeti a mulieribus, sed ne appetantur non comparent de facili coram eis: quod si quando comparent a longe, cavent tamen a frequenti accessu ad eas; quod si frequentare contingat ex causa, non reddunt se plus familiares uni quam alii. Cavent etiam ne affectum in eis erga se nutriant; de pulchritudine, seu compositione sui non curant; insequentes fugiunt; quas fugere non possunt, confundunt; si contra eos turbatae fuerint, pro reconciliatione earum non laborant, ut ex his non solum sibi, sed et eis caveant a peccato.

Sciendum vero quod tria sunt genera feminarum, quae facilius tentantur de bonis viris quam aliae.

Primum est continentes, maxime juvenes. Cum enim tentatio carnis continue sit in earum natura, facilius tentantur istae quam conjugatae, vel quam aliae mulieres malae, quae in suo matrimonio vel cum aliis multis opus carnale exercentes, minorem causam habent tentationis in alios. Ideo Apostolus reddens circa istas cautum Timotheum, dixit ei: Adolescentiores autem viduas devita. 1. *Tim.* 5. Inter continentes vero sunt quaedam sub habitu et specie sanctitatis, et ideo cum non audeant habere familiaritatem cum hominibus mundanis propter nomen sanctitatis, facilius effundunt suas tentationes in viros sanctos, cum quibus frequentius conversantur. Et ideo cavendum est ab istis. Dicit Augustinus: Nec minus ideo cavendae, (2) quia bonae indolis, vel etiam piae conversationis esse comprobantur: quanto enim melioris famae sunt, tanto citius alliciunt, quia sub affectu pietatis se supponit viscus impiae libidinis, perniciosum mortis venenum, quod suum est, projiciens.

Item, inter hujusmodi continentes speciem sanctitatis habentes, sunt quaedam vilis conditionis, quae facilius cadunt in hujusmodi tentationes quam nobiles, vel magnae auctoritatis matronae, (3) quae

---

(1) Codd. Vien. et Sp.: gratiae acceptiva seu acquisitiva. — (2) Codd. Vien. et Sp.: cavendum. — (3) Codd. Vien. et Sp.: quam nobiles magnae vel honestae matronae.

propter honorem suum hoc attentare dedignantur. Augustinus : Quanto vilior illarum conditio, tanto ruina facilior ; et ideo continentibus sub habitu sanctitatis, et vilis conditionis, magis cavendum est ab hujurmodi appetitu secundum modum praedictum : et etiam ab eis magis cavendum.

XC. Quid sit dictum quod aspectu appetitur et appetit concupiscentia feminarum.

Item, de hoc quod dicitur : « aspectu appetitur et appetit concupiscentia feminarum, » potest dubitari. Sicut enim affectus non est in aspicere, ita aspectus non est in affici; (1) et ita nec appetere, cum appetere sit affectus. (2) Quomodo ergo dicitur quod « aspectu appetitur et appetit concupiscentia feminarum ? »

Ad quod dici potest quod affectus appetit feminam, sed mediante aspectu ; sicut homo secat, sed mediante securi. Est ergo appetitus hujusmodi ipsius affectus tanquam potentiae a qua elicitur ; sed aspectus tanquam instrumenti, quo mediante exercetur. (3)

Et nota quod non solum aspectus videntis est medium hujusmodi appetitus, sicut supra dictum est, ubi actum est de corruptione oculorum ; sed etiam aspectus feminae visae interdum, et hoc quatuor modis.

Sunt enim quaedam mulieres quae oculorum suorum pulchritudine incitare solent concupiscentiam in vidente. Unde dicitur quod, cum quidam rex vidisset quamdam sanctimonialem, et exarsisset in eam, et vellet omnino eam habere, et eam super hoc molestaret, ipsa mandavit ei quod significaret sibi quid tantum sibi placuisset in ea ? Cum autem ille remandasset ei quod oculi ejus super omnia placuissent sibi in ea, ipsa eruit oculos suos, et misit eos sibi dicens : Ecce habes quod in me amasti. Quod, licet non sit trahendum ad consequentiam, tamen patet ex hoc quod oculorum pulchritudo incitat concupiscentiam in vidente. Et ideo dicitur, *Cant. 6 :* Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt. Quod, licet intelligatur secundum mysterium spiritualiter, tamen tracta est similitudo ab amore

---

(1) Cod. Sp. : afficere. — (2) Cod. Grat. : et ita nec appetere sit affectus. — (3) Cod. Vien. : est ergo appetitus hujus affectus tanquam instrumentum quo mediante exercetur.

stulto, qui, sicut avis cito volat, ita cito excitatur concupiscentia a pulchritudine oculorum in muliere.

Item, solent interdum mulieres aliquae depingere oculos suos. 4. *Reg. 9*: Porro Jezabel in introitu Jehu depinxit oculos suos stibio. Et hoc iterum incitare solet concupiscentiam in vidente.

Item, sicut pudicae mulieres solent habere oculos depressos, ita malae erectos. *Eccli. 26*: Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscitur. Et hoc iterum est incitamentum concupiscentiae, quia creditur quod talis citius acquiescat peccato.

Item, solent quandoque malae mulieres quosdam nutus facere oculis, quibus provocant ad malum; unde, *Isai. 3*, dicitur de filiabus Sion: Nutibus oculorum ibant; et dicuntur ire nutibus, quia nutibus se transferunt in concupiscentiam videntium, sicut vadens eundo se transfert alibi. Quia ergo tam aspectus viri videntis, quam aspectus visae mulieris frequenter est medium per quod incitatur concupiscentia feminarum, ideo dicitur quod « aspectu appetitur, et appetit concupiscentia feminarum » sive active, sive passive accipiatur concupiscentia, quia mediante utroque aspectu appetit quis feminam, et mediante utroque aspectu appetitur. (1)

Sequitur: **Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius; et cum se invicem sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.**

Dato mandato circa diseiplinam oculorum, et causa mandati, ponit rationes quare observandum sit.

Ad quod intelligendum, nota quod tres sunt occasiones quare quis interdum figit oculos indisciplinate in feminam.

Una est quia non reputat sibi hoc illicitum; secunda, quia non

---

(1) Codd. Vien. et Tol.: quia mediante utroque aspectu appetitur.

reputat se videri ab alio; tertia, quia non cogitat se videri a Deo. Prima est ex parte sui, secunda ex parte proximi, tertia ex parte Dei. Contra primum ponitur hic ratio; contra secundum ibi: « nec putare, etc; » contra tertium ibi: « sed etsi lateat. » Ne ergo circa primum seipsum quis decipiat, dicit primo quod non potest esse impudicitia in oculo, quin sit in anima; secundo ostendit quantum malum sequatur ex hujusmodi impudicitia, scilicet fugatio castitatis, dicens: « et cum se invicem. »

XCI. De impudicitia oculorum.

Circa primum vero notandum quod impudicus oculus est, qui audet respicere verenda (1) humani sexus in se vel alio, sicut Cham, qui respexit verenda (2) patris. *Gen. 9.*

Item, impudicus est oculus qui intente (2) intuetur imagines libidinose depictas, sicut Ooliba meretrix, de qua dicitur, *Ezech. 23:* Cum vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldaeorum expressas coloribus, et accinctos balteis renes, etc., insanivit contra eos concupiscentia oculorum suorum.

Impudicus etiam est oculus qui non refugit respicere coitus animalium quorumcumque; unde Aristoteles: Et natura refugit aspectum hominum in coitu animalium, ex quo solet irritari concupiscentia carnis, sicut probatum est multoties.

Item, impudicus oculus est qui in spectaculis respicit repraesentationes actuum impudicorum, sicut solebat fieri in theatris tempore gentilitatis, et adhuc, proh dolor! apud aliquos christianos sustinetur in ludis, qui dicuntur *bonatel;* contra quae dicit multa Augustinus in 2. *lib. de Civit. Dei,* ubi inter alia dicit sic: Veniebamus etiam nos adolescentes ad spectaculum, et ludis turpissimis oblectabamur.

Impudicus quoque dicitur oculus qui curiose considerat speciem mulierum. Contra quod dicitur, *Eccli. 25:* Ne respicias species mulierum.

---

(1) Cod. Vien.: verecundiam. - Cod. Grat.: verecunda. — (2) Cod. Grat.: verecunda. — (3) Cod. Il.: attente.

Impudicus iterum est oculus qui nutus impudicos exercet, sicut apostata de quo dicitur, *Prov. 6:* Et annuit oculis.

Sunt autem hujusmodi nutus multum efficaces in malum, propter quod dicit Sapiens, *Prov. 6:* Non concupiscat pulchritudinem ejus, scilicet malae mulieris, cor tuum, ne capiaris nutibus illius. Impossibile est autem quod hujusmodi impudicitia exerceatur per oculos, nisi animus fuerit impudicus. Constat enim quod oculi sunt sub regimine animi. Certum est quod nullus permitteret quod familia sua, quam habet regere, aliquam impudicitiam exerceret coram se, nisi esset impudicus.

Item, oculi magis sunt in potestate animi, quam membra genitalia; sed nunquam per hujusmodi genitalia exercetur voluntarie aliquid impudicum, quin ascribatur animo: quanto magis impudicitia oculorum est animo semper attribuenda!

Item, non posset esse matrona pudica, quae per nuntium aliqua verba impudica mandaret alicui: quanto ergo magis erit impudicus animus nuntio ejus, id est oculo, impudicitiam exercente? (1) Bene ergo dicit: « quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius; » quia impudicitia hujusmodi manifeste nuntiat animum esse impudicum, secundum quod exteriora hominis nuntiant de illo, sicut dicitur *Eccli. 19.*

XCII. De malis quae facit concupiscencia carnalis.

Circa secundum quod dicit, quod concupiscentia carnis per oculos exercitata sine alio tactu fugat castitatem, notandum quod praeter istud malum, multa alia mala facit hujusmodi concupiscentia.

Unum est quod devirginat animam. *Eccli. 20:* Concupiscentia spadonis, scilicet carnis, quae sicut spado corrumpere potest, non foecundare in bono, devirginabit juvenculam, scilicet animam: per hujusmodi enim concupiscentiam, sine alio tactu exteriori, interdum amittit virginitatem anima.

Aliud est quod avertit á Deo. *Dan. 13:* Exarserunt in concupiscentiam ejus; et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos

(1) Cod. Vien.:.... verba impudica nuntiaret aliqui. Quomodo ergo erit pudicus animus ejus nuntio, id est oculo, impudicitiam agente?

suos ut non viderent coelum, neque recordarentur judiciorum justorum.

Aliud est quod tradit hominem in manibus hostium, sicut Dalila Samsonem Judicem. Unde, *Eccli. 18:* Si dederis animae tuae, hoc est, animalitati tuae, concupiscentiàs suas, faciet te in gaudium inimicis tuis.

Aliud est quod quodammodo aequat hominem adultero. *Matth. 5:* Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.

Aliud est quod generat pessimam prolem: generat enim peccatum. *Jac. 1:* Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum. Quid autem pejus? Nonne melius esset quod generaret (1) bufonem?

Item, evacuat animam omni bono. *Dan. 13:* Concupiscentia subvertit cor tuum; vas enim quod subvertitur evacuatur omni contento.

Item, facit desipere in mutando sensum hominis. *Sap. 4:* Inconstantia concupiscentiae subvertit cor, sensum scilicet, in malitiam, qui scilicet erat prius sine malitia.

Item, paulatim plus et plus corrumpit hominem, sicut pars putrior corrumpit aliam 2. *Pet. 1:* Fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem, id est, concupiscentiam quae corrumpit.

Item, coinquinat sicut vulnus (2) plenum sanie. 2. *Pet. 2:* In concupiscentiis immunditiae ambulant; in concupiscentiis scilicet quae plenae sunt immunditia.

Item, adversatur spiritui, et impedit ab omni bono. *Gal. 5:* Caro concupiscit adversus spiritum; et *post:* Ut non quaecumque vultis illa faciatis.

Item, facit hominem de turmis mundi Deo contrariis, quae sunt tres, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae, sicut dicitur 1. *Joan. 2.* Proinde, cum hujusmodi concupiscentia tot mala inducat, non est bonorum virorum ipsam laxare, exemplo illius iniqui, de quo dicitur, *Dan. 11:* Erit in concupiscentiis

(1) Cod. Grat.: pareret. — (2) Cod. Vien.: ulcus.

feminarum ; sed potius ipsam refraenare, exemplo illius quae dicit, *Tob. 3:* Mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Immo debemus eam mortificare, secundum praeceptum Apostoli dicentis, *Coloss. 3:* Mortificate concupiscentiam malam. Porro ex intuitu mulieris accenditur valde talis concupiscentia, juxta illud, *Eccli. 9:* Et ex hoc, scilicet intuitu speciei mulieris, concupiscentia quasi ignis exardescit; et ideo decet virum sanctum ut caveat sibi ab hujusmodi concupiscentia, ab omni (1) impudico aspectu cavere. Narrat Tullius, *De offic. lib. 2.,* quod, cum essent duo praetores collegae Pericles et Sophocles, et causa officii convenissent, contigit quemdam juvenem valde pulchrum ad eos intrare; quem cum vidisset Sophocles, dixit ad socium: O pulchrum puerum, Pericle! et Pericles ad eum: Decet, Sophocles, praetorem non solum mentem, sed et oculos abstinentes habere. Si autem hoc decet praetorem, quanto magis virum sanctum? (2) Non est ergo sine culpa viri religiosi quod habeat oculos impudicos. Et haec est prima causa quare vir religiosus debet cavere ab impudico mulierum aspectu.

Sequitur: **Nec putare debet qui in feminam figit oculum, et illius in seipsum diligit fixum, ab aliis se non videri cum hoc facit: videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur.**

XCIII. De utilitate quare Deo favente, occultum peccatum in religione deprehenditur interdum.

Hic tangitur secunda ratio, quae est ex parte proximi, quare mandatum praedictum est observandum.

Et notandum quod aliqui sunt ita stolidi, quod, cum non vident alios, non putant se interdum videri ab aliis.

Isti sunt sicut asinus, animal stolidum, de quo dicitur quod, quando habet caput inter sentes et non videt lupum, non putat se videri ab eo.

Sunt iterum sicut pueri, qui in ludo quodam recurrunt ad genua

---

(1) Cod. Vien.:.... concupiscentia. Est enim ab omni.... — (2) Cod. Grat.: religiosum.

matris, et ibi abscondunt caput, et non putant se videri ab aliis pueris quos non vident. Sicut etiam caecus non putat se videri ab aliis quos non videt, ita et multi, cum aliquid indisciplinate committunt circa mulieres, non videntes alios, non putant ab eis se videri: sed non est ita. Non putabat Isaac se videri, cum jocabatur cum uxore sua Rebecca; sed vidit hoc Abimelech rex Palaestinorum, prospiciens per fenestram. *Gen. 26.* Non putabat vecors juvenis, qui ambulabat advesperascente die juxta domum meretricis, quem deprehensum osculata est, se videri a Salomone; quem tamen vidit ex fenestra domus suae, prospiciens per cancellos. *Prov. 7.* Numquid et illa mulier, quae deprehensa in adulterio adducta est ad Jesum, *Joan. 8,* non putabat se non videri, vel adulterans cum ea, quando sunt et visi et comprehensi? Sic quoque Dei judicio quodam multi in hujusmodi, cum se putant latere, deprehenduntur, superna Providentia non sine causa valde utili hoc faciente. Qui enim hujusmodi sunt corriguntur per confusionem interdum, et nunquam Dei timore corrigerentur. Ideo (1) orat pro talibus David, *Ps. 128:* Confundantur, et convertantur retrorsum, scilicet, a malis conceptis retrahantur prae confusione.

Item, aliis hoc videntibus incutitur timor similia perpetrandi, sicut accidit de latronibus deprehensis, quorum deprehensio est aliis ad timorem. Exemplum, *Act. 5*, de Anania et Saphira, quibus deprehensis et punitis, sequitur in historia, *ibid:* Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt hoc.

Item, sicut interdum plus nocent reipublicae latrones quam raptores, ita et occulta peccata, quia frequentius committuntur, et majores thesauros invadunt, et minus potest ab eis caveri: sicut et latrones frequentius nocent quam raptores, et magnos thesauros invadunt, ubi raptores capiunt asinos, vel capras; nec potest paterfamilias ab his cavere, quia nescit quando veniunt. 4 *Reg. 24*: Immisit Dominus, scil., permissive, latrunculos Chaldaeorum, et latrunculos Syriae, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon in Judam, ut disperderent eum. Proinde dominus reipublicae et amator boni ejus facit interdum ut deprehendantur hujusmodi peccata, sicut et do-

(1) Cod. Grat.: Item.

mini terrarum adhibent diligentiam magnam ut deprehendantur latrones, et confundantur. *Jer. 2.*: Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusae sunt domus Israel, quae religiosos designant. Igitur hujusmodi homines videntur interdum, et deprehenduntur, Deo procurante, et propter aliorum timorem, et propter bonum commune. (1)

Sequitur: **Sed etsi lateat, et a nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius quanto sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminae male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminam male videre. Illius namque et in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum.**

XCIV. De conditione divini intuitus, et quomodo valet ad cavendum peccatum.

Ad observandum mandatum praedictum ponitur hic ratio tertia, sumpta ex parte Dei quoad ejus intuitum. Circa quem quatuor tangit: primo, quantae sit virtutis: quia ipsum nihil potest latere; secundo, quam fatui sunt qui putant contrarium, ibi: « An ideo putandus est, etc.; tertio, ex hoc quod plus quam alia (2) duae rationes praedictae debent movere, concludit propositum ibi: « Illi ergo, etc. » Quarto, conclusionem auctoritate confirmat dicens: « Illius namque, etc. »

Circa primum notandum quod si hominum aspectum quandoque lateant aliqua facta nostra, tamen divinum intuitum nihil potest latere. Tenebrae enim quandoque impediunt aspectum humanum, sed non sic divinum. *Job. 34*: Non sunt tenebrae, et non est umbra mortis, ut abscondantur qui ibi operantur iniquitatem.

Item, obstacula, et parietes, et similia: sed non sic divinum intuitum. *Eccli. 23*: Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, quia scilicet radii solis non pertranseunt ubi est interme-

---

(1) Hic addit cod. Vien.: « Unde dicit beatus Augustinus: Si non castè, tamen cautè. » — (2) Cod. Vien.: plus quam aliae rationes praedictae....

dium opacum; oculi vero Domini omnia quantumcumque opaca transeunt, sicut oculi lincis, qui dicitur per parietes videre.

Item, modicitas rei impedit interdum aspectum hominis. Sunt enim quaedam ita modica, quod ea non potest homo videre: sed non sic Deus. (1) *Is. 18*: Ego considerabo in loco meo. Sicut meridiana lux clara est, quae scilicet ostendit atomos, ita ipse videt et motus, et gestus, et cogitationes, et affectus, et intentiones, et similia quantumcumque modica.

Item, rei remotio. Quandoque enim non videt homo rem aliter visibilem propter sui distantiam: sed non sic Deus, quia ipse est praesens ubique. *Gen. 31,* dixit Laban, quamvis gentilis: Nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui praesens respicit.

Item, rei absconsio in profundum impedit aspectum humanum: sed non sic divinum. Quid enim profundius corde? Ipse autem est qui novit abscondita cordis, ut dicitur *Ps. 43*. Quanto magis omnia alia, etiam ubicumque abscondita? Propter hoc bene dicit: « quem latere nihil potest, » concordans verbo Apostoli dicentis, *Hebr. 4*: Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, quia nec tenebrae, nec intermedia, nec rei modicitas, nec distantia, nec aliqua absconsio impediunt visum ejus.

Circa secundum notandum quod Deus non videtur videre interdum aliqua mala, quia dimittit ea impunita. Gregorius: Quasi clausis oculis non vult aspicere, quod non vult ferire. Licet autem ita videatur non videre, tamen non est ita: videt enim omnia mala; sed ex causa interdum, quasi non videns ea non statim punit. Non enim est voluntarius ad puniendum, sed quasi invitus hoc facit. *Thren. 3*: Non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum. Et ideo facit hoc tarde et lente, sicut ille qui facit rem aliquam invitus.

Item, facit hoc interdum misericorditer expectando ad poenitentiam. *Sap. 12*: Non enim impotens eras impios simul exterminare; sed partibus, id est per partes, judicans, dabas locum poenitentiae.

---

(1) Cod. Grat.: divinum.

Item, interdum hoc facit exigentibus culpis aliorum, qui in sordibus sordescendo adhuc, ad poenas reservantur majores. 2. *Mach. 6:* In aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.

Item, hoc facit interdum ne detur malignis occasio gloriandi. *Deut. 32:* Propter iram inimicorum distuli, scilicet punire, ne forte superbirent hostes eorum.

Item, interdum ut per hoc nos doceat quod inimicis nostris (1) debemus esse patientes, exemplo ejus; non sicut servus nequam, qui patienter a domino suo toleratus noluit patientiam habere in conservum suum. *Matth. 18:* Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

Sunt ergo quinque causae quare Dominus interdum, etsi videat mala aliqua, non tamen statim punit; et cum omnes valde sint rationabiles, patet quod hujusmodi patientia procedit ex sapientia, non ex malorum ignorantia. Bene ergo contra quosdam invehitur Augustinus dicens: « An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius quanto sapientius? »

Circa tertium notandum est quod quinque sunt circumstantiae ex parte videntis, propter quas solet quis magis timere facere aliquid mali coram eo. Una est si sit magna persona, alia si sit honesta, alia si malum quod fit fiat contra eum, alia est si ipse videns habeat de illo malo accusare, alia si debeat de eo judicare. Ipse autem Dominus est tam magna persona, quod ejus magnitudinis non est finis, ut ait *Ps. 144;* tam honesta, quod oculi ejus ad iniquitatem aspicere non possunt, *Habac. 1.*

Item, ipse est contra quem solum est peccatum. *Ps. 50:* Tibi soli peccavi.

Item, ipse est qui habet accusare de peccato testificando, (2) et judicare. *Jer. 29:* Ego sum judex et testis. Ideo David reprehendit seipsum super hoc dicens, *Ps. 50:* Et malum coram te feci; qui scilicet es tam magnus, tantus honestatis zelator, in cujus

(1) Cod. Grat.: injuriis nostris. — (2) Cod. Grat.: testificare.

solius injuriam fit peccatum, qui habes de illo contra me testificari scilicet de peccato, et de ipso me judicare. Bene ergo dicit: « Illi, scilicet qui talis est, timeat displicere vir sanctus, ne velit feminae male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminam male videre; » hoc est caveat ne in tali placentia vel in tali visu aliquid mali committat coram eo.

Potest etiam talis placentia et talis visus in casibus esse sine malo: quod reprehendere non intendit. Ideo dicit: « male placere et male videre. »

Circa quartum notandum quod mulier est quasi saccus stercorum. Abominationem (1) autem faceret qui figeret manum in sacco stercoribus pleno; et abominationem faceret majorem, si figeret (2) linguam, quae est nobile membrum. Oculus autem est membrum valde nobile. Quanta ergo abominatio est coram Deo figere oculum in hujusmodi saccum?

Item, abominabile faceret, qui coram hominibus provocaret membra genitalia ad motus turpes: sed fixio oculorum in mulierem facit hoc coram Deo.

Item, abominabile faceret coram hominibus qui immunditiis impleret sinum suum: sed hoc facit coram Deo fixio hujusmodi oculorum, quia ex illa inducuntur cogitationes immundae innumerabiles in corde.

Item, abominabile esset coram hominibus miscere rem pretiosissimam et mundissimam cum vili et immunda, ut vinum cum urina, balsamum cum stercoribus. Sic autem facit defigens oculum in mulierem, quia per hujusmodi fixionem miscet animam suam, quae de se tanquam res spiritualis est pretiosissima et mundissima, cum carne mulieris, (3) quae est res vilissima et immunda.

Item, abominabile esset si quis per nasum emitteret urinam, vel per os stercora, quia non sunt isti meatus ad hoc deputati. Quanta ergo abominatio est coram Deo cum quis per oculos deputatos ad coelestia contemplanda emittit luxuriam! Hoc autem facit defigens oculos male in mulierem: per ipsos enim oculos emittit

---

(1) Codd. Grat. et Vien.; abominabile. — (2) Cod. Sp.: quis si figeret.... - Cod. Vien.: qui figeret. — (3) Cod. Grat.: muliebri.

impudicitiam intrinsecam. Bene ergo dicit Scriptura, secundum aliam translationem: Abominatio est Domino defigens oculum. (1)

Sequitur: **Quando ergo simul estis in ecclesia, vel ubicumque feminae sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.**

XCV. De mutua custodia.

Data sunt supra mandata circa tria pertinentia ad honestatem: hic subjunguntur mandata circa correctionem inhonestatis, quod est maximae honestatis.

Attendendum vero est quod quaedam sunt (2) mala, super quibus committentès ea deprehenduntur; alia vero quae committentes gratis recognoscunt: ad deprehensionem vero malorum facit custodia mutua. Cum autem per hujusmodi custodiam (3) aliquid deprehenditur, sequi debet secreta admonitio; cum autem hujusmodi admonitio non prodest, procedendum est ad denuntiationem. Augustinus igitur hoc prosequens, primo ponit circa deprehendenda mandata in particulari, secundo in generali.

In particulari vero primo ponit mandatum circa hujusmodi custodiam, et hoc circa materiam pudicitiae, de qua specialius est curandum, tanquam de re maximae honestatis; secundo circa admonitionem, ibi: « Et si hanc, de qua loquor, etc.; » tertio circa denuntiationem, ibi: « Si autem et post; » quarto circa eadem in genere, ibi: « Et hoc quod dixi; » quinto circa mala quae gratis recognoscuntur, ibi: « Quicumque autem in tantum, » etc.

Circa primum notandum quod sicut nobilis zelotes sponsae suae solet ponere multos custodes circa eam, ne aliquid faciat indecens; ita Dominus amator animae multos ordinat circa eam custodes. Assignat ad hoc angelos. *Ps. 90:* Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.

---

(1) Hic alludere videtur V. Humbertus ad illud quod addunt LXX, *Prov.* XXVII, 20: Βδέλυγμα Κυριῳ στηριζον οφθαλμον, id est., abominatio est Domino obfirmans oculum. Cf. Corn. a Lapid. in h. l. — (2) Cod. Grat.: fiunt· — (3) Codd. Sp. et Vien.: custodiam mutuam.

Item, praelatos. *Is. 62:* Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, id est praelatos.

Item, proximos. *Eccli. 17:* Unicuique mandavit Deus de proximo suo, scilicet custodiendo. Unde, *Gen. 4,* reprehenditur Cain de hoc quod dixit: Numquid custos fratris mei sum ego? Porro pudicitia est res valde pretiosa. *Eccli. 26*: Omnis ponderatio (1) non est digna continentis animae.

Item, habet magnam impugnationem. Impugnatur enim a carne per concupiscentiam.

Item, a mundo per visibilia.

Item, a daemonibus, qui super hoc religiosos incessanter impugnant. Unde in *Vitis Patrum* legitur quod quidam daemon impugnavit quadraginta annis quemdam eremitam, ut eum semel faceret fornicari. Propter hoc daemones in Scriptura vocantur locustae, *Apoc. 9.,* quia sicut locustae cum aviditate flores devorant, ita et ipsi flores pudicitiae.

Item, vas in quo servatur pudicitia est valde fragile, juxta illud Apostoli, 2. *Cor. 4*: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus; quae autem sunt hujusmodi, solent multum diligenter servari.

Item notandum quod aliquando contingit quod personae religiosae declinantes (2) loca solitaria propter suspicionem quam de se nolunt generari, committunt quandoque in societate, ipsa tamen non advertente, (3) aliquam impudicitiam in tactu, vel in visu, vel hujusmodi circa mulieres.

Item, quandoque in loco sacro.

Item, quandoque illi de quibus nullatenus crederetur. (4) Et ideo incaute faciunt, qui in aliquibus (5) istorum confidentes, minus sollicite custodiunt fratrem suum.

Item notandum, quod pudicitiae observatio speciale donum Dei est. *Sap. 8*: Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus daret.

---

(1) Cod. Sp.: ponderatio auri. — (2) Cod. Vien.: ad loca. — (3) Cod. Vien.:... in societate ipsa, tamen non advertentes... — (4) Cod. Sp.: creditur. — (5) Cod. Grat.: in aliquo.

Sunt autem multi modi quibus Deus hominem conservat ab impudicitia.

Uno modo ex virtute sua, (1) meritis aliquibus praecedentibus. Sic custodivit Abimelech regem Gerarae ne tangeret uxorem Abraham, propter simplicitatem cordis sui. Quia nesciens quod esset uxor Abraham, tulerat eam ut sibi acciperet uxorem, secundum *Glossam. Gen. 20*: Et ego scio quod simplici corde hoc feceris, et ideo custodivi te ne tangeres eam.

Alio modo per adversitates. *Ose. 2*: Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos.

Tertio modo per adjutorium humanum, sicut reges solent custodire uxores per eunuchos, quia, secundum Apostolum, Dei coadjutores sumus, 1. *Cor. 3*. Sed tamen sine ipso non sufficimus (2) ad hoc.

His praenotatis patet continuatio et expositio hujus (3) mandati. Dixerat enim immediate quod defigens oculum abominatio est Deo, et ideo concludit: « Quando ergo simul estis, » etc. Quasi diceret: Ne ergo contingat hoc de vobis, scilicet quod sitis abominatio Deo, custodite vos ipsi, non relinquentes totum custodiae Angelorum vel praelatorum. Custodite, inquam, pudicitiam vestram, quae est res tam pretiosa, tam impugnata, et in tam fragili loco reposita. Et hoc facite « quando simul estis, » non confidentes de societate; et etiam si sitis « in ecclesia, » vel in alio quocumque loco, non confidentes de loci sanctitate; et « invicem, » id est unus indefinite alterum, quicumque sit, non confidentes de personae conditione quacumque. Quamvis autem sic faciatis quod in vobis est, tamen non putetis hoc sufficere, nisi et ipse Deus hoc faciat; sed confidite, quia si quod vestra interest, facitis, (4) et ipse « Deus, qui habitat in vobis, » qui multis modis solet suos custodire, hoc « modo custodiet vos ex vobis. »

---

(1) Codd. Sp. et Grat.: ex virtute seu meritis aliquibus praecedentibus. — (2) Codd. Sp. et Grat.: satisfacimus. — (3) Cod. Grat.: praesentis. — (4) Cod. Grat.; faciatis.

Sequitur: **Et si hanc de qua loquor oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne male coepta progrediantur; sed de proximo corrigantur.**

XCVI. De fraterna monitione.

Custodia mutua valet ad duo: idest ad cavendum peccatum, et ideo dicit in praecedenti mandato: « Deus, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis, » scilicet, a malo; item, ad deprehendendum malum, si fiat; et circa hoc tradit hic mandatum, dicens quid sit faciendum quando deprehenditur, scilicet quia ammonitio est facienda, ibi: « statim admonete; » et subjungit causam duplicem, scilicet resistentiam de futuris, « ne male coepta progrediantur; » et correctionem de praeteritis, « sed de proximo corrigantur. » Et sic tria continet hoc mandatum, scilicet mandati substantiam, et tempus exequendi, et causam.

Sed quaeret aliquis circa primum numquid tenemur ad correctionem (1) fraternam de venialibus?

Videtur quod non: nullus enim tenetur se corrigere de venialibus, alioquin per venialia damnaretur. Quid ergo mandat Augustinus dicens quod de petulantia oculorum debemus fratrem corrigere, cum hujusmodi petulantia potius judicanda sit venialis quam mortalis?

Respondeo: Venialia sunt dispositio ad mortalia. Sed quaedam dispositio est remota, quaedam propinqua: vel ratione multitudinis, sicut in illo qui assidue hujusmodi sine numero committit; vel ratione magnitudinis, sicut sunt aliqua mendacia, et aliquae detractiones, et similia; vel ratione connexionis cum mortali, sicut sunt colloquia impudica, et visus, et hujusmodi circa mulierem. Sicut ergo aliquis videns aliquem alium incedentem per viam per quam credat quod statim incurrat periculum mortis, peccaret nisi retraheret eum: ita potest aliquis peccare mortaliter, nisi corrigat fratrem de hujusmodi venialibus, quae sunt dispositio propinqua ad mortale; et de talibus est petulantia de qua hic loquitur. Est enim dispositio valde propinqua ad certum peccatum mortale. Tenemur igitur ad correctionem fraternam de venialibus interdum, non in

(1) Codices in hoc toto capitulo, sicut et alibi passim, mox « correctio », mox « correptio » promiscuè habent.

quantum venialia ; sed in quantum ad mortale inductiva. Quod innuit Augustinus, cum causam hujusmodi correctionis assignat dicens : « ne male coepta (1) progrediantur. » In aliis autem casibus, quamvis hujusmodi correctio non sit de necessariis ad salutem, tamen est de expedientibus.

Ad illud quod dictum est in contrarium, dici potest, quod haec non est vera : Nullus tenetur se corrigere de venialibus. Quamvis enim venialia nunquam sint mortalia, tamen negligentia corrigendi se de venialibus potest esse mortalis in casu simili supradicto ; sicut et contemptus venialium potest esse tantus quod erit mortalis. Et negligentia in superiori parte rationis non corrigentis inferiorem circa venialia potest esse mortalis.

Sed iterum quaeritur circa secundum quare dicit « statim, » cum istud sit mandatum affirmativum, et cum affirmativa non obligant ad semper, sed pro loco et tempore ?

Respondeo : Quaedam sunt peccata jam commissa, et non sunt jam in actu ad correctionem : de istis sufficit quod pro loco et tempore, servata opportunitate, fiat justa correctio ; immo, secundum quosdam, ad correctionem de commisso jam delicto non tenentur (2) nisi soli praelati, et quoad alios est consilium. Alia vero sunt quae sunt in actu : circa ista statim adhibenda est admonitio, sicut igne accenso statim currendum est ad aquam sine expectatione. Et de talibus loquitur hic, sicut patet ex hoc quod dicit : « Et si oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, » scilicet in ipso actu.

Circa tertium notandum quod non solum propter causas quas dicit, sed propter multas alias rationes debet vigere hujusmodi admonitio, quae dicitur fraterna correctio, multum in religione.

Est enim quaedam fraternitas quae dicitur naturae, secundum quam omnes descendentes ab Adam dicuntur fratres ; alia fidei, secundum quam omnes fideles (3) dicuntur fratres, quia habent eamdem

---

(1) In Cod. Vien. : et in editione Regulae ab Ambrosio Coriolano curata deest τὸ « male. » — (2) Codd. Sp. et Vien. : nullus ad correctionem de commisso jam delicto tenetur, nisi soli praelati.... — (3) Codd. Sp., Il. et Grat. : judaei. - Cod. Vien. : omnes fidem habentes Christi.

fidem; alia vero professionis, secundum quam dicuntur fratres qui sub eadem professione vivunt: sed omnes istae fraternitates concurrunt in religiosis. Cum ergo hujusmodi correctio fiat ratione fraternitatis, juxta illud, *Matth 18*: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum, quantum tenentur ad hoc religiosi, inter quos est tanta fraternitas!

Item, amicitia est causa correctionis hujusmodi. *Eccli. 19*, dicitur: Corripe amicum. Ex quo innuitur quod hujusmodi correctio impendi debet maxime amicis, juxta illud, *Apoc. 3*: Quos amo arguo et castigo. Et ideo veriores amicos magis tenemur corrigere. Sed verior est amicitia illa quae Christi amore est conglutinata, sicut dicit Hieronymus: talis est autem in viris religiosis. Ex quo patet quod magis tenentur ad hujusmodi correctionem in fratribus suis.

Item, proximitas est causa hujusmodi correctionis: non enim tenemur extraneis vel remotis tantum quantum vicinis. *Eccli. 19*. Corripe proximum. Ex quo sequitur quod magis proximis tenemur: Quis autem proximior quam ille cum quo continue conversamur? Sic autem est in claustro.

Item, sanctitas (1) rei ex seipsa provocare solet ut videns in ea sordem statim festinet abstergere, ut si quis videret sordes in altari Deo consecrato. Cum ergo quilibet religiosus sit Deo consecratus, quomodo potest se frater ejus continere quin statim laboret abstergere sordem peccati, si videt eam in ipso? Et ideo bene dicitur, *Apoc. 22*: Sanctus sanctificetur adhuc, quasi diceret: Ex hoc, quod sanctus est, plus debet curare de ejus sanctitate, si in aliquo inquinetur.

Item, peccatum fratris redundat in damnum commune, juxta illud: Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Sicut ergo quando ignis est in una parte domus, quilibet nititur extinguere, ne tota domus comburatur; ita curandum est in religione statim extinguere peccatum, in quocumque sit. Et ideo dicit Augustinus: « statim admonete, ne male coepta progrediantur, » scilicet in majus.

Item, arguere est proprium opus Spiritus Sancti, secundum illud,

---

(1) Cod. Vien.: Sanctitas est res quae....

Joan. 16: Ille arguet mundum de peccato. Quomodo ergo potest credi quod Spiritus Sanctus habitet in illis qui numquam arguunt?

Et ideo signanter dicit Apostolus, *Gal. 6*: Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi. Quasi diceret: Si spirituales estis, et spiritus Dei habitat in vobis, instruite hujusmodi, scilicet delinquentes. (1)

Patet ex his quod viri religiosi multum tenentur ad fraternam correctionem, et ratione magnae fraternitatis, et ratione verae amicitiae, et ratione magnae proximitatis, et propter status sanctitatem, et propter propriam utilitatem, et propter Spiritum Sanctum inhabitantem.

Sed notandum circa modum correctionis quod hujusmodi correctio facienda est cum lenitate. Delinquentes enim sunt quasi infirmi, et ideo cum lenitate sunt tractandi. *Gal. 6:* Instruite in spiritu lenitatis.

Item, cum humilitate: superbus est enim animus humanus, et ideo, cum superbe loquitur eidem alius, sequuntur inde potius jurgia quam alii (2) fructus, juxta illud, *Prov. 13*: Inter superbos semper jurgia sunt. Legitur in *Vitis Patrum* quod cum quidam monachus transiens quemdam paganum in via inventum objurgaret superbe super infidelitate sua, paganus insiliens in eum trucidavit eum. Postea autem alius monachus nesciens quod factum fuerat, allocutus est eum, monuit cum humilitate et lenitate, et conversus est ad fidem Christi: et ideo monendi sunt delinquentes cum humilitate. Propter quod dicitur, *Prov. 18:* Cum obsecrationibus loquitur pauper, scilicet spiritu humilis. Et e contrario: In ore stulti jurgia (3) superbiae, scilicet superba correctio. *Prov. 14.*

Item, cum compassione: non enim est verae justitiae indignari peccatoribus; sed compati, et ex compassione corrigendo eos dirigere. (4) *Ps. 140*: Corripiet me justus in misericordia, scilicet compassionis.

Item, cum discretione: aliter enim corrigendi sunt majores,

---

(1) Cod. Grat.: scil fratrem delinquentem. — (2) Cod. Sp.: alius. — (3) Codd. Il. et Grat.: virga, — (4) Cod. Grat. et Sp.: diligere.

aliter pares, aliter minores; aliter gravia peccata, aliter levia, aliter occulta, aliter manifesta sunt corrigenda, seu tractanda. Et in omnibus servandus (1) est locus, et tempus, et opportunitas: quod quia non observant quidam habentes zelum in correctionibus, sed non secundum scientiam, dicit sanctus Bernardus: Zelum tuum informet (2) scientia, scilicet discretionis.

Item, cum moderamine: non enim de festucis proximorum sunt faciendae trabes, sicut faciunt illi qui docti sunt ad culpas aliorum aggravandas. 2. *Tim. 2*: Servum Dei cum modestia corripientem, id est cum modo debito. Est autem modus debitus ut potius semper culpae allevientur quam aggraventur. Seneca: Lauda parce, vitupera parcius.

Item, cum tranquillitate: correctio enim quae fit cum turbatus est animus, frequenter est quaedam impatientiae effusio (3) mentiens se correctionem. *Eccli. 19*: Est correptio mendax in ira contumeliosi; ideo vir sapiens expectat facere correctionem quousque habeat animum tranquillum, ut cum tranquillitate judicet, sicut Deus cum tranquillitate judicat. *Sap. 12*. Exemplum de philosopho qui, iratus contra servitorem suum, dixit: Jam te verberarem, nisi essem iratus.

Patet ergo modus quo facienda est correctio, quia cum lenitate, cum humilitate, cum compassione, cum discretione, cum moderamine et cum tranquillitate.

Porro ex hujusmodi correctione facta modo debito sequitur fructus multiplex.

Unus est animae liberatio. Si enim correctus audit corrigentem, lucratus est animam fratris. *Matth. 18*. Si autem non audit, saltem animam suam liberavit. *Ezech. 3*: Tu vero animam tuam liberasti, scilicet postquam dixisti impio impietatem suam, et noluit sibi cavere. Unde patet quod anima una semper liberatur, scilicet vel correcti, vel corrigentis.

Alius est diaboli fugatio. Fugit enim sicut lupus, ubi (4) excla-

---

(1) Cod. Sp.: observandus. — (2) Codd. Il. et Grat.: infraenet. — (3) Cod Grat.: confusio. — (4) Cod. Vien.: qui.

matur. Quocirca (1) sanctus Bernardus: Securus accedit tentator, ubi nullus timetur reprehensor.

Alius est peccati cognitio. Frequenter enim committens culpam non advertit quod facit; aut si advertit, non cogitat se male fecisse; aut si male, non multum male. *Eccli. 19*: Corrige amicum, ne forte non intellexerit, et dicat: Non feci hoc, scilicet quod tu dicis, vel non feci male.

Alius est cautela de futuris. *Prov. 29*: Correptio tribuit sapientiam, quia scilicet per hoc fit homo cautior ad cavendum in futuro.

Alius est puritatis augmentatio. Vas enim aureum vel argenteum quanto plus confricatur, tanto plus purificatur: (2) et ita boni viri et religiosi quanto plus corriguntur, tanto puriores fiunt; et ideo intelligentes hoc non ferunt graviter. *Eccli. 10*: Vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus. Exemplum in ipso sancto Augustino qui dixit: Ego senex et episcopus paratus sum ab omnibus corrigi et emendari; illum amicum meum existimo cujus linguae beneficio ante diem extremi judicii animae meae maculam tergo.

Alius est amicitiae acquisitio. Quamvis enim religiosus correctus interdum ferat moleste a principio, tamen rediens ad cor advertit corrigentem amicum suum verum. *Prov. 28*: Qui corripit hominem gratiam postea inveniet apud illum, magis quam ille qui per linguae blandimenta decipit.

Quia ergo ex hujusmodi correctione sequuntur animae liberatio, hostis fugatio, peccati cognitio, cautelae sapientia, puritatis augmentum, acquisitio amicitiae, bene dicitur, *Eccli. 20*, quia bonum est arguere.

Patet ex jam dictis quod sex sunt rationes, quare in religione multum debet vigere fraternitas et charitativa admonitio, et sex quae sunt circa modum correctionis servanda, et sex fructus qui ex hoc subsequuntur.

Sequitur: **Si autem, et post admonitionem, iterum, vel alio quoque die, idipsum eum facere videritis, jam velut**

---

(1) Codd. Sp. Vien. et Il.: Quo contra. — (2) Cod. Grat. ita in marg. corrigit: mundius fit.

vulneratum sanandum prodat, quicumque hoc potuerit invenire.

Postquam, deprehensa culpa fraterna, facta est admonitio secreta, et non prodest, procedendum est ad denuntiationem. Circa quam tria solent concurrere: primum est culpae indicatio, secundum indicatae convictio, tertium est convictae dijudicatio. Et ideo circa ista tria tradit mandata tria. Primum hic; secundum (1) ibi: « Prius tamen est alteri; » tertium vero ibi: « Convictus vero. »

Circa indicationem vero faciendam, innuuntur quatuor in hoc mandato, scilicet: quando est facienda, quia post iterationem culpae et facta admonitione, et ideo dicitur: « Si post monitionem, » etc.

Item, quare est facienda: quia propter periculum delinquentis, et ideo dicit: « iam velut vulneratum. »

Item, ad quid est facienda: quia propter bonum, scilicet ut subveniatur periculo; ideo dicit: « sanandum prodat. »

Item, a quo est facienda: quia a quolibet, qui hoc deprehenderit. Et ideo dicit: « quicumque » etc. (2)

XCVII. De ordine fraternae correctionis, et in quibus casibus est servandus.

Sed quaeret aliquis circa primum: An liceat culpam fratris indicare praelato, vel fratribus aliquibus, vel in capitulo proclamare publice, non praemissa secreta admonitione? Videtur quod non, quia dicunt Iura quod denuntiationem praecedere debet charitativa admonitio, secundum illud, *Matth. 18*: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Et hoc idem Augustinus videtur innuere in isto mandato. Quod si sic est, tunc videntur omnes religiosi peccare, qui proclamant pro culpis (3) fraternis, non praemissa admonitione.

Ad hoc autem intelligendum, sciendum est quod sunt quaedam peccata manifesta: et haec quaecumque sint, sive parva, sive magna, non requirunt secretam admonitionem; sed publice sunt corrigenda.

---

(1) Cod. Tol.: circa secundum. — (2) Cap. XXXI, De Simonia: « In omnibus diligens adhibeatur cautela. Sicut accusationem legitimam praecedere debet inscriptio, sic et denuntiationem charitativa correctio. » Ita et alibi passim. — (3) Cod. Tol.: de culpis.

1. *Tim.* 5: Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant. *Glossa:* Peccantes, qui manifesti sunt.

Alia sunt occulta: et horum quaedam sunt modica, ut excessus in risu, et hujusmodi; et ita annexa fragilitati humanae, quod vix est aliquis, quantumcunque perfectus, quin septies in die offendat in illis. Ista vero, quia sunt cujusdam quasi necessitatis, non habent notabilem verecundiam, neque adducunt infamiam. Et ideo non oportet in istorum correctione praecedere admonitionem. Ratio enim quare debet fieri secreta admonitio, secundum sanctos et magistros, est duplex. Una est ne amissa verecundia, si corrigatur frater palam, minus timeat peccare. Secunda est ut parcatur famae fratris, quantum fieri potest, salva salute ipsius. Cum igitur causae istae non inveniantur circa peccata ista, non exigitur ordo hujusmodi in istis: sed sine praecedenti admonitione potest frater de talibus etiam in capitulo proclamari, sive sint manifesta, sive occulta.

Alia sunt occulta, sed majora, quae habent infamiam et verecundiam, ut inebriatio, et hujusmodi: quae quandoque sunt venialia, quandoque mortalia. Et in istis interdum contingit quod creditur probabiliter quod per secretam correctionem provideatur saluti delinquentis, et statui suae religionis: ut si verbi gratia contingat quod aliquis probus homo inebrietur ex fortitudine vini, vel alio casu fortuito, et nunquam alias contigit ei, creditur quod in antea cavebit, si fuerit secreto correctus. In talibus servandus est ordo correctionis, et peccaret qui hoc indicaret aliis, non praemissa admonitione, quia nullus fructus sequeretur ex tali indicatione; et infamaretur delinquens sine causa, cum per secretam correctionem provideri possit sufficienter omni periculo.

Aliquando vero contingit, propter aliquas circumstantias, quod creditur probabiliter quod per hujusmodi secretam admonitionem, non sufficienter provideatur saluti delinquentis, vel statui religionis suae: et tunc potest omitti hujusmodi correctio secreta, quia non speratur de fructu; et potest et debet indicari factum praelato, vel aliis bonis, qui possint prodesse, et non obesse. Vel etiam de eorum consilio potest fieri proclamatio in capitulo, si tamen potest culpa probari.

Aliquando vero contingit quod creditur quod delinquens est tantae perversitatis quod, si corrigeretur secreto, incurreret odium erga corrigentem, vel mala machinaretur contra eum ; vel ex hoc dabit operam ad defendendam, vel cooperiendam malitiam suam : et tunc non solum non debet fieri talis correctio ; immo debet non fieri, quia extremae dementiae est, secundum Hieronymum, frustra niti, et nihil aliud quam odium quaerere ; sed tamen praelato, vel aliis bonis viris est indicandum secundum modum praedictum.

Ad quaestionem ergo propositam responde sic et distingue : (1) quia culpa vel est manifesta, vel occulta. In primo casu non requiritur quod fiat secreta correctio ; nec Dominus intellexit de talibus, cum dixit : Si peccaverit in te frater tuus, cum dicat *Glossa:* In te, id est te solo sciente. In secundo casu iterum distingue : quia culpa occulta aut est de minimis, aut de majoribus quae habent infamiam secum. In primo casu non requiritur etiam admonitio secreta. In secundo casu iterum distinguitur : quia aut praesumitur quod prosit correctio secreta sufficienter, et tunc non potest sine peccato dimitti ; aut non praesumitur, et hoc iterum dupliciter, quia vel praesumitur quod non prosit sufficienter, et tamen non est occasio mali : et tunc potest et dimitti et fieri ; vel praesumitur quod sit occasio mali, et tunc potest et debet dimitti. Ad illud quod in contrarium dictum est, quod denuntiationem praecedere debet charitativa admonitio, dicendum est quod hoc, licet sit verum in genere, tamen habet exceptiones in casibus, sicut et aliae multae regulae generales, quia praecepta affirmativa non obligant in omni casu, sed in casu opportuno.

Item, dubitatur de hoc quod dicit quod « post admonitionem », (2) si invenitur sic iterum fratrem delinquere, debet indicari. Videtur enim quod non solum una admonitio, sed plures essent faciendae ; sicut fiunt in citationibus judicum, et invitatione haeretici, qui post primam et secundam correctionem, id est binam admonitionem, vitandus est, sicut dicitur 1 *Tim. 3.*, in *Glossa.*

Ad quod dici potest quod antequam poena inferatur judiciaria,

---

(1) Cod. Grat. : distingue sic. — (2) Cod. Il. : indicationem.

vel vitetur haereticus, quod est poenale, plures debent praecedere admonitiones, eo quod poenae sunt molliendae, et non debent inferri sine causa valde justa et certa. Indicatio vero culpae fraternae ab illis qui possunt prodesse non fit ad poenam, sed propter medicinam: unde sicut medicus, qui vult (1) subvenire infirmo, et probavit quod una medicina non prodest ei, statim recurrit ad aliam; ita postquam probatum est quod secretae (2) admonitionis medicina non prodest, potest corrector recurrere ad medicinam indicationis.

XCVIII. Contra familiaritates mulierum.

Circa secundum nota quod dicit quod pro vulnerato, scilicet in mente, est habendus qui post admonitionem semel factam, incidit iterum in petulantiam oculorum. Ex quo relinquitur argumentum quod valde mala suspicio habenda est de illis qui, post admonitiones frequentes, nolunt se corrigere de notabili familiaritate cum mulieribus. Nec mirum: familiaritas enim hujusmodi valde periculosa est viro, quamtumcumque perfecto, sicut probatum est per multas experientias. Augustinus in libro *De singularitate clericorum* (3): Quanti et quales episcopi et clerici, simul et laici, post magnalia, et signa, et miracula, (4) noscuntur naufragati, cum volunt in navi fragili navigare, hoc est in carne fragili se exponere periculoso consortio mulierum! Et *post:* De carbonibus scintillae dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiae pestilentiam; quam Salomon sic comparat dicens, *Eccli. 42:* De vestimentis procedit tinea, et de muliere iniquitas viri.

Praeterea, etsi esset homo sanctus securus de se, tamen debet timere ne mulier, quae est res fragilis, de facili male circa ipsum afficiatur. Idem *in eodem:* Postremo, etsi animum nostrum confidimus in hoc semper in charitate durare, tamen illud (5) apud nos debet esse suspicioni ne illae, quae nobiscum conveniunt, in nos ipsos forsitan moveantur, aut in alteros amores incitamentis furialibus stimulentur.

---

(1) Cod. Tol.: quando vult. — (2) Cod. Sp.: secreta. — (3) Alii aliis hunc tribuunt librum. De quo vide Joann. Fellum, Cypriani *Opuscula adscript.* p. 140. — (4) Codd. Grat. et Tol.: mirabilia. — (5) Cod. Vien.: vel illud.

Praeterea, etsi non esset reale periculum in personis, certum est tamen quod per hujusmodi familiaritates status sanctitatis infamia maculatur; quod quam grave sit idem ostendit *in eodem* dicens: Pejus est quam moechia continentiam ducere criminosam, et infamem facere sanctimoniam. Blasphemiam ingerit religioni. Et *post:* Continentiae bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit, qui forinsecus officit (1) et infamat. Et ideo dicit Apostolus, *Rom. 14:* Ne blasphemetur bonum vestrum.

Cum igitur ex familiaritate hujusmodi sequatur periculum proprium et alterius, et tam gravis infamatio sanctitatis: qualis praesumptio potest haberi de his qui et ista sciunt, et tamen nunquam volunt se corrigere de istis? Vere timendum est et eis, et aliis, ne intrinsecus libidine sint infecti, quamvis mulieribus non utantur: sicut et avarus cupiditate ligatur cum pecunia (2) quam a se separari non patitur, quamvis ea non utatur. Idem *in eodem:* Multi divitias habent, quas suis usibus negant, sed pro cupiditate conservant. Quibus si nulla cupiditas inhaesisset, nec cupiditatis insignia possiderent. At vero quia cupiditate possessi sunt, animo perfruuntur, etsi usu non tangunt. (3) Ita is qui despexit vinculum nuptiarum, et aliter vinculis femineis obligatur, quamvis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, et visu, et colloquio oblectatur.

Amplius est idem: Minorum est exempla sequi majorum. Cum ergo viri sancti, et perfecti, et securi inhaerent familiaritatibus praedictis, dant occasionem minoribus idem faciendi, qui, cum sint infirmi, de facili corruunt in istis, et pereunt aliorum exemplo. Idem *in eodem:* Quale praemium sanctitatis expectat, qui perniciosum praebet exemplar, ut infirmi sub praetextu dilectionis subtiliter fornicentur, et pudicus impudentissimae (4) castitatis praebeat magisterium, destruens quod Apostolus, 1. *Cor. 8*, comminatur: Peribit, inquit, frater infirmus in tua conscientia, propter quem Christus passus est? Et *post:* Eleazarus, 2. *Mach. 6,* maluit vitam suam tor-

---

(1) Cod. Vien.: inficit. — (2) Cod. Vien.: cum pecuniam a se. — (3) Codd. Tol. et Vien.: Sed pro cupiditate servant, quibus animo perfruuntur, etsi usu non tangant. — (4) Codd. Il. et Grat.: impudicissimae.

mentis objicere, quam cuiquam magister perditionis existere: et nos ubi nulla tormenta sunt, solis fluxibus nolumus anteponere fratres salvandos?

Item, ex hoc gravis turbatio generatur sociis, quorum pax esset summo studio servanda. Virorum enim sanctorum est zelare, non solum pro castitate status sui, sed etiam pro pulchritudine castitatis, quae oritur ex fama, juxta illud, *Sap. 4:* O quam pulchra est casta generatio cum claritate, scilicet, famae. Et ideo, cum vident eam offuscari, (1) non possunt non turbari. 1. *Mach. 2*, dicit Mathathias: Ecce pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est. Et super hac offuscatione pulchritudinis et claritatis corporalis ipse et filii planxerunt valde. Quanto datur major occasio doloris viris sanctis, cum pulchritudo sanctimoniae spiritualis offuscatur?

Item, praelati, in quibus Deus vel auditur vel spernitur, secundum Evangelium, solent frequenter ab hujusmodi familiaritate subditos coercere: et ideo qui se non corrigit, non potest de inobedientia erga Deum et suos ministros se excusare. Augustinus *in eodem*: Possunt parentes, possunt filii, possunt fratres, possunt et ipsi, quod plus est, conjuges a Deo concessa sibi naturae vincula disrumpere: et clerici, Deo non concedente, immo insuper, prohibente mulierum nexibus compeditam non valent (2) recusare charitatem?

Qualis ergo praesumptio in bonum de his haberi potest, quos nec ruinae infirmorum, nec turbatio sociorum, nec voluntas majorum retrahere potest a familiaritate praedicta?

Sane solent aliquí se super hoc excusare, et hoc tripliciter.

Primo per utilitatem, (3) dicentes quod hoc faciunt propter aliquam utilitatem temporalem, quae ex hoc obvenit fratribus. Ad hoc respondet Augustinus *in eodem* dicens: Si femina utilior aestimatur, non oportebat carnalia emolumenta postponere (4) utilitatibus spiritualium commodorum.

---

(1) Cod. Vien.: obscurari. — (2) Codd. Sp. Tol. et Grat.: volunt. — (3) Cod. Tol.: pro utilitate — (4) Codd. Vien. et Grat.: aestimatur, oportebat carnalia emolumenta praeponere.

Secundo per charitatem, dicentes quod quidquid faciunt circa hoc, faciunt ex charitate propter salutem earum. Ad quod idem *in eodem* respondet dicens : O dilectio quae sibi invidet ! O charitas quae cupit se in vituperatione laudari ! Grande miraculum, ut virginum charitas virgines faciat velut conjuges credi !

Tertio per sanctorum exempla. Augustinus, *in eodem:* Sed ajunt : Si de conjunctione, scilicet cum mulieribus, clerici denotantur, notandi sunt etiam sancti plerique nobiscum ; sicut Elias, 3. *Reg. 17,* qui mansit apud viduam ; sive Apostoli, 1. *Cor. 9,* qui mulieres secum comites circumducebant ; sive Joannes, *Joann. 19,* qui matrem Domini assumpsit, eodem Domino delegante ; aut ipse Dominus, *Luc. 8,* cui de suis facultatibas alimenta praestabant aliquae mulieres religiosae, cui etiam Martha, *Joann. 12,* ministrabat ad mensam, et qui, *Joann. 4,* singulariter locutus est ad puteum sedens cum muliere alienigena Samaritana, vel cui recumbenti, *Luc. 7,* femina lacrymis pedes lavit. Ad quod respondet Augustinus *in eodem* dicens : Sic callidi argumentatores et jurisperiti fallaces, qui dum volunt praevaricari, ipsa jura pervertunt, et inconvenientibus exemplis velut consimiles conjecturas objiciunt ; qui per Salomonem, *Eccli. 32,* ipsius legis sagacitate produntur : Peccator, inquit, homo vitabit correptionem, et secundum voluntatem suam inveniet comparationem.

Patet autem eos fraudulenter objicere quatuor modis.

Primo, quia faciunt argumentum a majori affirmativa, (1) quod non valet. Sicut enim non valet hoc argumentum : Ille miles fortis subiit tale certamen, et vicit : ergo iste debilis potest hoc idem facere, et vincet ; ita non valet : Apostoli et Prophetae habitaverunt (2) cum mulieribus, et evaserunt sine peccato : ergo et nos (3) hoc idem facere possumus. Unde idem *in eodem* istos deridet dicens : Revera magni homines, qui se comparant sanctis, et eximia conversatio nostra, quae Prophetis, vel Apostolis videatur aequalis.

Secundo, quia si in hoc imitandos dicunt sanctos, et imitari volunt, deberent eos et in aliis virtuosis operibus imitari, quod ta-

---

(1) Codd. Vien. Sp. et Tol. : affirmative. — (2) Codd. Tol. et Vien. : cohabitaverunt. — (3) Codd. Sp. et Tol. : propter hoc.

men nolunt. Idem *in eodem:* Ad occasionem luxuriae nostrae, in perversum sanctos volumus imitari, et in caeteros actus vestigia justorum nolumus sequi. In omnibus, dicit Apostolus, 2. *Cor. 6,* exhibeamus (1) nos sicut Dei ministros, in sustentatione multa, in pressuris, in tribulationibus multis. Ad has imitationes infirmi sumus, et ad adducendas (2) mulieres possibilitatem nobis comparandae imitationis (3) advocamus.

Tertio, quia non est eadem causa in nobis quae fuit in sanctis. Dominus enim praevidens quod erant futuri haeretici, qui et nuptias comdemnarent, noluit mulieres a se et ab Apostolis elongare omnino, ne ex hoc error iste confirmaretur. Idem *in eodem:* Praevidebantur a Domino, qui nuptias auferunt. Quibus tunc interdicens auctoritas parabatur, ne maritatae mulieres accedere vetarentur ad Christum, cui in praesentia servierunt. (4)

Quarto, quia illa permissa familiaritas ad horam et ex causa, fuit valde moderata. Idem *in eodem:* Sed non sine moderamine fuit illa permissio. Nam si allocutus Dominus Samaritanam, ad horam docuit, et recessit. Et *post:* Factum est, inquit Evangelium, (5) *Luc. 8.* post hoc et iter faciebat per castella et civitates, evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, et mulieres quae erant curatae a spiritibus immundis, et infirmitatibus: Maria, quae vocabatur Magdalena, de qua ejecerat septem daemonia; et Joanna uxor Chusae procuratoris Herodis, et Susanna, et aliae multae, quae ministrabant illi de facultatibus suis. Numquid adhaerebant singularibus singulares, aut indisciplinate commorantes (6) perseverabant illecebroso consortio conversantes, ubi tota Ecclesia propemodum videbatur, ut non ad convivationes improbas, sed ad discenda bonae conversationis studia sequerentur. Et *post:* Ut de Apostolis breviter probem quamtum potuit illis fluxa familiaritas displicere, qui compulsi sunt et de ipso Domino loquente cum femina dubitare, nisi

---

(1) Cod. Tol.: commendantes. — (2) Codd. Grat. et Tol.: deducendas. - Cod. Vien.: circumducendas. — (3) Cod. Vien.: adjicimus, id est advocamus. — (4) Codd. Tol. et Vien.: servirent. — (5) Codd. Grat. Vien. et Tol.: evangelista. — (6) Cod. Grat.: indisciplinatae commorationes.

eos notitia majestatis probata compesceret. Et mirabantur, inquit, *Joan. 4*, quia cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit ei: Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea? Quid autem loquar de accessu (1) feminae ad pedes Domini provolutae, cujus luctus et planctus ad defensionem suae lasciviae non erubescunt improbi (2) flagitare? Et *post:* Joannes autem matrem Domini suscepisse videtur; sed in matrem, cujus mores maternum indicat nomen. Elias quoque jussus est a Domino relinquere solitudinem, et intrare tabernaculum viduae, ad magnalia facienda; ut famis tempore tam ipsi viduae quam pupillis ejus sufficientia tribueret alimenta, qui jejuniis usquequaque afflictus toleraverat abstinentiam. Qualis ille (3) fuit communitatis affectus, ubi non erat victus? et qualem ad viduam habuit Elias introitum, cui fames dedit hospitium? Quisquis es, qui te vis de commoratione viduae Eliae vocari discipulum, prius solitudinis afflictiones, et quadraginta dierum tolera jeiunia.

Ex his ergo patet quod nec utilitas temporalis, nec charitas spiritualis, nec exempla sanctorum hos excusant: sed allegationes hujusmodi reputandae sunt excusationes ad excusandum in peccatis.

Postremo notandum quanto zelo moveatur idem vir sanctus contra tales familiaritates inseparabiles, cum ostendit eorum stultitiam talem, sicut esset illius qui febrem unam haberet, et aliam sibi procuraret ut haberet duas, dicens: Caro concupiscit adversus spiritum, *Gal. 5:* habes nunc carnem tuam, quam superes semper; quid, tibi vis aliam adducere? Nemo super unam febrem cupit adhibere pejorem, ne incipiat insanabili hemitritaeo (4) laborare.

Item, ostendit fraudes diaboli circa tales multiplices dicens: Diabolus his utitur blandimentis, ut subtractis omnibus jaculis concupiscentiae, tam diu sopitum ignem sine ullis flammis occultet, donec duas faculas jungens, simul ambas accendat; et tam diu cessat saevitiae suae tela supponere, donec sicut peritus venator quos occisurus est laquei sui vinculis alliget. Et iterum dicit: Nullis dia-

---

(1) Codd. Vien. et Grat.: loquar accessum. — (2) Cod. Vien.: impii. — (3) Codd. Vien. et Tol.: illuc. — (4) Cod. Grat.: aegritudine. - Hemitritaeus est semitertiana febris.

bolus procellis, aut fluctibus inquietat; et hanc primo exhibet lenitatem, ut duas naves invicem convertat (1) quiete, quas, cum fecerit junctas, repentinis turbinibus in semetipsis possit elidere et frangere. (2)

Item, praefert istis quosdam saeculares conjuges dicens: Adhuc habeo quid mirari, cum de christianis videam plerosque maritos pariter et uxores continentiam destinantes, domicilia singularia magis eligere, et apud spadones nostros cohabitatio feminae numquam potest habere fastidium.

Item, praefert istis Judaeos, dicens: Judaeos considerent usque hodie pro legis imperio carnis suae partem circumcisione truncare; et scient quid merentur qui, Evangelio jubente, dissimulant circumcisi (3) mulierum praesentia peragere Domini voluntatem.

Item, praefert istis sacerdotes matris deorum qui dicuntur (4) galli, et ob reverentiam suorum simulacrorum eunuchizantur voluntarie, dicens: Puto etiam quod de gallis suis nobis exprobranter insultent, qui abscindentes semetipsos libenter excruciant, dummodo simulacrorum dissimulationibus pareant; clerici vero pro dignitate sacerdotii coelestis non fundunt sanguinem, non ferrum tolerant, non est aliquod vulnus, non est aliquis cruciatus: sed solum contra Dominum feminae tenent aspectus.

Item, Augustinus inducit contra istos amorem Christi ad Ecclesiam, dicens: Ausus sum dicere: a Deo Patre missus est Filius de sinu Patris, ut Ecclesiam faceret innocentem; et clericus feminae latus deserere non potest, ne Christi Ecclesiam reddat infamem?

Item, inducit contra istos propriam fragilitatem, dicens: Unusquisque qui securus est quia necdum tentatur, timeat ne tentetur; quia nihil de illo dicitur, prospiciat ne dicatur. Homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus. Patet ex his quam mala praesumptio potest haberi de talibus, contra quos vir sanctus tanta detestatione invehitur. Proculdubio falsa est dilectio et non vera charitas, quae sic jungit. Unde idem *in eodem:* Malum velamento boni nominis tegunt, dum apud eos sub falsa dilectione vera dilectio

---

(1) Cod. Vien.: connectat. — (2) Cod. Vien.: perdere. — (3) Cod. Vien.: incircumcisi. — (4) Qui Cybeles deae sacerdotes erant, sic a Gallo fluvio dicti.

violatur. Sed exclamat charitas, et appellat (1) contra tales, dicens Tales ego non junxi. Altera est quae me simulando confinxit: nunquam confluxus foveo; per me sanctitatem non opto culpari.

Patet ex jam dictis quam malam praesumptionem generant, qui tam inseparabiliter adhaerent familiaritatibus notabilibus mulierum.

XCIX. Contra illos qui accusant mala intentione.

Circa tertium notandum quod sunt quidam qui ex aliqua mala commotione interdum accusant fratres suos, non ad sanandum, sed ad confundendum: hujusmodi accusatio est diabolica. Ipse enim diabolus dicitur accusator fratrum, *Apoc. 12;* et constat quod non accusat ad sanandum, sed ad perdendum. Sic isti sunt (2) qui vulneratis addunt vulnera, secundum illud, *Job. 16:* Concidit me vulnere super vulnus. *Ps. 68:* Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Isti sunt sicut medici proditores, qui sub specie medicinae propinant (3) venenum; et isti sub specie correctionis, quae debet esse medicinalis, intendunt hominem confundere. En decies, inquit Iob, *Job. 19*, confudistis me; loquens illis qui sub specie amicitiae et correctionis hoc faciebant.

Isti sunt sicut quaedam bestiae crudeles, quae extrahunt cadavera hominum de sepulcris, et in ea desaeviunt: sic et isti vadunt scrutando occulta mala, et producentes ea in lucem, desaeviunt in illos quos peccatum occidit. Et ideo vertunt religionem, quae est haereditas Domini, in speluncam hyaenae. *Jer. 12:* Facta est haereditas mea mihi quasi leo in sylva. *Glossa 70:* Numquid spelunca hyaenae haereditas mea mihi? Hyaena nocturna bestia mortuorum devorat cadavera, et de sepulcris effodit corpora.

Isti tanquam spiritu malo exagitati non solent servare modum in accusando: modo occulta indebite publicando, modo suspiciones asserendo, modo falsa imponendo, modo clamoribus totum capi-

---

(1) Cod. Vien.: et appellat: Tales ego... - Cod. Tol.: et appellat tales: Ego.... — (2) Cod. Tol.·... perdendum: sic et isti. Isti sunt... — (3) Cod. Grat.: ministrant.

tulum replendo, modo disciplinam traditam in accusando penitus dimittendo, et hujusmodi multa committendo. Et ideo faciunt capitulum omnibus odiosum. *Amos, 5:* Qui convertitis judicium in absinthium. Quod quidem fit, cum capitulum, quod est locus judicii, redditur odiosum propter amaritudines ibidem injuste oppressorum.

Isti interdum desaeviunt in peccatores jam compunctos, et mortificatos per poenitentiam: et ideo sunt in crudelitate similes illi qui Christum jam mortuum lanceavit. *Ps. 108:* Non est recordatus facere misericordiam; et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare.

Porro ex hujusmodi pestiferis accusationibus solent (1) tria mala sequi, scilicet malum in accusato. Quandoque enim incurrit inde malam et gravem turbationem. *Gen. 37:* Joseph accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo; et postea secutum est tantum odium fratrum ad eum, quod eum vendiderunt: numquid nos meliores sumus illis patriarchis, quibus illa accusatio fuit primaria occasio tanti mali?

Item, malum in accusante. Solet enim Deus se habere ad hominem, sicut ipse se habet ad fratrem suum, secundum illud, *Luc. 6:* Nolite judicare ut non judicemini, (2) dimittite et dimittemini; et similia. Et ideo, Deo faciente, accidit interdum ut qui sic intendit fratrem suum confundere, ipse confundatur in similibus. Exemplum in *Vitis Patrum.* Frater senem interrogavit dicens: Si videro culpam fratris mei, bonum est celare eam? Dicit ei senex: Quacumque hora tegimus peccatum fratris nostri, teget et Deus nostrum; et quacumque hora prodiderimus culpam fratrum, et Deus prodet nostram similiter.

Item, malum in assistentibus, qui ex hoc scandalizantur, et moventur contra sic accusantes. Dicunt Evangelistae quod Pilatus videns malitiam Judaeorum accusantium Christum coram se, eos reputavit invidos, *Matth. 26;* et ipse compatiens nitebatur eum liberare.

Item, dicitur, *Deut. 25,* quod Judaei non permittebant Judaeum aliquem coram se lacerari verberibus quantum meruisset.

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: possunt. — (2) Cod. Tol.: et non judicabimini.

Quomodo ergo viscera christiana se poterunt continere, quin moveantur contra illos, qui et Christiani sunt, et tamen coram (1) ipsis accusationibus innumeris fratrem suum lacerant christianum? Proinde virorum sanctorum est nunquam indicare culpam fratris illis qui non possunt prodesse, nisi ad hoc ut juvent: sicut infirmitas infirmi ostendi solet medico ad hoc ut juvet. Unde et sorores Lazari sic indicaverunt infirmitatem fratris sui bono medico, qui eum poterat juvare, dicentes, *Joan. 11*: Domine, ecce quem amas infirmatur. Et ideo bene dicit vir sanctus: « sanandum prodat, » quasi diceret: ad hoc prodat ut sanetur, et non ad aliud.

Circa quartum videtur quod male dicat, cum dicit quod indicet culpam fratris iterum delinquentis « quicumque hoc potuerit invenire. » Potest enim hoc invenire aliquis qui non correxit eum alias; et talis videtur quod debeat in secreto corrigere, priusquam indicet, secundum supradicta. Praeterea, quid faciendum ei qui invenit hujusmodi culpam, et nunquam correxit fratrem super hoc, nec scit tamen fuisse correctum ab alio?

Respondeo: Ille, qui nunquam correxit fratrem, nec scit ab alio correctum, debet corrigere secreto, antequam procedat ad indicationem. Nec de tali loquitur hic; sed de illo qui correxit, vel scit correctum. Quod patet ex ipsa littera, quae dicit: « si post admonitionem idipsum eum facere videritis. » Et est idem, sive ipse qui invenit culpam ipsum monuerit, sive sciat monitum ab alio, quia eadem est conjectura de vulneratione.

Sed quid est quod dicit: « potuerit invenire? » Numquid debet frater esse sollicitus de indaganda culpa fratris? Respondeo: Est quaedam sollicitudo suspicationis; et haec non est bonarum mentium. Est et alia compassionis, sicut quando aliquis videt aliquem infirmum convaluisse, ex compassione plus cogitat aliquando, si forte patitur aliquid recidivi, quam cogitat de illo qui nunquam fuit infirmus, et haec est charitatis. (2) Et ideo, (3) quando aliquis scit fratrem suum quandoque peccasse, potest ex charitate plus circa illum

---

(1) Codd. Vien. et Tol.: et tamen foede coram.... — (2) Codd. Grat. et Tol.: charitas. — (3) Cod. Vien.: Et ita.

esse sollicitus, ne relabatur, quam circa alium quem nescit sic peccasse. Et sic ad religiosum pertinet, quando advertit fratrem suum infirmum, indicare hoc, ut subveniatur ei ; ita et hic quicumque talem invenit, debet indicare.

Sequitur : **Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum, ut duorum vel trium possit ore convinci, et competenti severitate coerceri.**

Dato mandato circa peccata indicanda, tradit mandata circa convincenda : et primo circa quaedam antecedentia ad convictionem ; secundo circa ipsam convictionem, ibi : « si autem negaverit. »

Antecedentia vero sunt duo. Unum est procuratio testium ; aliud charitativa admonitio coram solo praelato, circa quod tradit mandatum ibi : « Sed antequam aliis demonstretur. » Circa procurationem testium primo tradit mandatum circa modum procurandi ; secundo circa retractivum ab hujusmodi, ibi : « Nec vos judicetis esse, etc. »

Dicit ergo : « Prius tamen, etc. » quasi diceret : Quamvis mandaverimus quod post admonitionem fiat indicatio de peccato invento ; tamen quia aliqui solent interdum negare culpam suam, ideo priusquam indicetur coram aliis publice, ostendatur culpa delinquentis, cum eam iteraverit, alteri, vel tertio, ut duorum, scilicet sui et alterius, quando uni soli ostenditur, vel trium, scilicet sui et aliorum duorum, quando tertio demonstratur, possit « ore convinci » ; secundum illud : Ut in ore duorum, vel trium stet omne (1) verbum, *Matth. 18 ;* « et competenti, » secundum exigentiam culpae, et aggravationem negationis, « severitate coerceri, » qui noluit per charitativam admonitionem corrigi.

C. De notabilibus et dubitabilibus circa accusationes.

Sed quaeritur hic circa accusationes quas faciunt religiosi in suis capitulis, ad quos pertinet praesens mandatum, primo utrum liceat accusare sine teste ?

Ad quod dicitur quod sic, in illis casibus in quibus non requiritur praecedens admonitio, secundum distinctionem praedictam ; nec requiritur solemnitas testimonii, quia non habent hujusmodi infa-

---

(1) Codd. Vien. et Sp. : omne testimonium.

miam; et periret fructus accusationum (1) hujusmodi, propter difficultates quaerendi testes semper in talibus: nec de talibus loquitur hic; sed solum de illis in quibus praecessit admonitio, sicut patet in littera.

Secundo quaeritur utrum unicus testis sufficiat sic accusanti? Et videtur quod sic propter illud, quod dicit « alteri. » In isto enim casu non habet accusans nisi unum testem. Contrarium vero videtur per Evangelium, quod dicit: Non in ore unius; sed duorum, vel trium stet omne verbum: ergo verbum capituli sic debet stare.

Ad hoc dicitur: quando agitur de peccato per modum denuntiationis ad poenitentiam, sufficit unicus testis cum denuntiante, quia denuntians habetur in isto casu pro uno teste, eo quod agitur Dei negotium, cujus sunt testes uterque: et ita verbum Evangelii servatur, quia duo sunt testes in hoc facto. Cum vero agitur de peccato per modum accusationis, eo quod accusans agit proprium negotium, indiget duobus testibus aliis: in proclamationibus ergo religiosorum in capitulis sufficit cum proclamante unicus testis, eo quod hujusmodi proclamationes denuntiationes reputantur, et non accusationes secundum Iura.

Tertio quaeritur quid faciendum sit in delictis quae non corriguntur, nec tamen iterantur, quia ibi non potest fieri quod dicit Augustinus hic, videlicet quod demonstretur alteri, cum id non iterum committatur. Verbi gratia: Aliquis furatus est aliquid; frater sciens hoc corrigit eum secreto; postea non iterat furtum, et tamen non reddit ablatum, et posset reddere.

Respondeo: Si corrector aliquem conscium habet primi facti, vel aliquos, debet procedere sicut hic dicitur. Si autem non habet, vel ipsi quos habet nolunt testificari, ei sufficit admonitio secreta primo, et postea dicere praelato, vel prudentibus, qui possunt prodesse, et non obesse: ita tamen quod dicat praelato illum vel illos, qui possunt testificari, ut illos compellat ad testimonium, si noluerint. Quod si fecerit, procedat ut hic dicitur. Si autem noluerit co-

---

(1) Cod. Sp.: fructus in accusationibus. - Cod. Vien.: fructus in hujusmodi accusationibus.

gere, (1) vel ipsi noluerint obedire, liberatus est ab hujusmodi processu propter defectum testium.

Quarto quaeritur quid faciendum sit in facto iterabili, quod iteratur, si (2) non invenit qui velint cum eo explorare, vel explorantes nequeunt deprehendere culpam ?

Respondeo: In primo casu debet recurrere ad praelatum ut aliquos ad hoc compellat; quod si noluerit, vel factum deprehendi nequiverit, liberatus est ut in casu praecedenti.

Quinto quaeritur utrum quilibet teneatur procedere usque ad hujusmodi accusationem, cum potest; cum hoc videatur nimis onerosum? (3)

Respondeo: Cum omnes debeamus (4) pro salute fratrum animas ponere, multo magis ad hoc tenemur: unde Dominus non solum dixit de correctione secreta facienda; sed etiam addidit de testibus adhibendis, et de dicendo Ecclesiae, *Matth. 18*. Militans vero sub regula Augustini, non solum ratione Evangelii, sed etiam ratione regulae plus tenetur. Sunt tamen casus in quibus absolvitur ab hujusmodi intentione, (5) ad quam in genere tenetur regulariter. Unus est, quando non est spes de fructu, vel propter defectum judicis vel assistentium, vel propter malitiam corrigendi. Alius est, quando praelatus (6) et alii communiter sciunt culpam corrigendi extra forum confessionis. Alius (7) est, quando aliquis vacat melioribus, vel aeque bonis, quae impediunt eum ab hoc facto prosequendo. Alius est, quando per alium fit negotium sufficienter. Alius est, quando obedientia trahit eum ad alia; et alii forte plures. Nisi ergo propter casum aliquem rationabilem excusetur frater quilibet, tenetur ad praedictum processum, et hoc pro loco et tempore, et opportunitate servata, postquam admonitiones secretae non prosunt.

Sexto quaeritur quid sit faciendum, cum non possunt inveniri testes, nisi tales de quibus creditur quod si ostenditur eis, oberunt

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: corrigere. — (2) Codd. Sp. et Tol.: sed. — (3) Codd. Tol. et Grat.: laboriosum. — (4) Codd. Tol. et Vien.: teneamur. — (5) Cod. Vien.: tentione. — (6) Cod. Vien.: praelati. — (7) In codd. Sp. et Vien.: istud incisum ac proxime sequens ordine inverso habentur.

insultando delinquenti, et similia faciendo? Idem quaeritur, quando judex et assistentes creduntur esse tales quod idem accidat?

Respondeo: Quatuor possunt esse hujusmodi testium procurandorum differentiae. Possunt enim esse tales quod creditur probabiliter quod nec proderunt, nec oberunt; aut tales qui oberunt et non proderunt; aut tales qui proderunt, et non oberunt; aut tales, qui quoad aliquid proderunt, et quoad aliquid oberunt. In primo casu potest supersederi; in secundo debet supersederi; in tertio est procedendum omnino; in quarto est distinguendum, comparando nocumentum cum utilitate; si enim major est utilitas quam damnum, est procedendum; si e converso, non est procedendum. Verbi gratia, si ex indicatione culpae mortalis iste corrigitur, et non confunditur nisi inter fratres suos, major est utilitas quam damnum; et est procedendum. Si autem corrigitur, sed totus conventus infamatur in aliqua magna civitate, majus (1) est quoad bonum commune nocumentum quam utilitas; et non est procedendum. Idem autem quod dicitur de testibus, potest dici de judice et assistentibus.

Ultimo notandum quod de accusationibus istis sequuntur fructus iidem qui supra notati sunt circa fraternam admonitionem; et praeter illos fructus multa sunt quae debent ad hoc inducere.

Qui enim sciunt culpas, et per accusationes possunt corrigere, et non faciunt, reputantur consentientes, secundum decretalem (2), quae illos consentientes interpretatur, qui, cum possint resistere manifesto facinori, desinunt obviare. Et ideo dicit Augustinus infrà: « magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. »

Item, quando fit justitia de delicto convicto, boni redduntur cautiores ad cavendum simile. *Prov. 21.:* Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus, scilicet ad cavendum. Malorum etiam audacia

---

(1) Cod. Vien.: melius. — (2) Auctoritatem hanc ex Decreto refert edit. Manil. a qua semel istud accipere liceat.: « Can. qui potest, VIII, caus. 23, q. 3; sic: qui potest obviare et perturbare perversos, et non facit, nihil aliud est quam favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultae qui manifesto facinori desinit obviare. »

reprimitur; unde, *Eccle. 8,* dicitur a contrariis: Quia non profertur cito contra malos sententia, idcirco absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Patet ergo quod hujusmodi accusationes (1) utiles sunt proximis, et bonis et malis.

Item, manifesta correctio cedit ad utilitatem communem, pro qua debent viri charitatem habentes multum zelare, sicut homines mundi pro bono communi patriae, vel communitatis. Et ideo reprehendit Dominus per Ezechielem, *Ezech. 13.,* hoc omittentes, dicens: Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israël.

Item, Christus qui in hoc apparuit ut dissolvat (2) opera diaboli, sicut dicitur 1. *Joan. 3,* petit in hoc auxilium contra malos dicens in *Ps. 93:* Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? Quomodo ergo possunt se excusare ab infidelitate homines sui, qui viriliter se non accingunt ad pugnandum cum eo adversus peccatum, etiam usque ad sanguinem, si fuerit necesse, sicut et ipse pugnavit? Et quanto magis usque ad proclamationem?

Item, dicitur de Moyse, *Exod. 32,* quod ipse cum filiis Levi, zelo Domini accensi contra peccatores, occiderunt una die quasi viginti tria millia hominum. Phinees, *Num. 25,* eodem zelo interfecit virum israelitam coeuntem cum Madianitide. David, *Ps. 100.:* In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Judas Machabaeus, 1. *Mach. 3,* persecutus est iniquos perscrutans eos, et eos qui conturbabant populum suum succendit flammis. Quid ergo dicent, his consideratis exemplis, homines qui usque ad accusationem nolunt consurgere adversus peccatum? Ubi est spiritus ille qui in igne apparuit super discipulos in signum zeli, secundum Gregorium, quem habere deberent?

Item, homines mundi infatigabiliter persequuntur in judicio contentioso injurias suas et suorum: et heu! nos, secundum Chrysos-

(1) Cod. Tol.: Patet ergo per hujusmodi quod accusationes. — (2) Cod. Vien.: destruat.

tomum, in injuriis Dei patientes sumus. Quo contra, *Eccli. 4.:* Usque ad mortem certa pro justitia.

Si ergo nolumus involvi in reatu delinquentium, si proximorum bonum volumus, si pro communi bono zelamus, si Christo fidelitatem servare volumus, si sanctorum exempla nos movent, si Christi injuriae nos tangunt, debemus pro loco et tempore fratres proclamare in charitate pro correctione eorum.

Sequitur: **Nec vos judecetis esse malevolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultare dum timet secari, nonne crudeliter a te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?**

CI. Quod aliqua retrahuntur a proclamationibus propter timorem.

Aliqui retrahuntur interdum de fratrum proclamatione existimantes quod hoc non possit fieri sine peccato: et ideo post mandatum de modo procurandi testes, tradit hic mandatum circa retractivum ab hoc. In quo tria tangit: primo dicit quod hujusmodi indicatio non est adscribenda malitiae; secundo ostendit contrarium potius esse peccatum, dicens: « magis quippe, etc.; » tertio ponit hujus rationem dicens: « si enim frater tuus, etc. »

Circa primum notandum quod triplex est timor, propter quem interdum retrahuntur aliqui a proclamationibus faciendis, scilicet timor offensae proximi, timor proprii damni, timor offensae Dei.

Quidam enim retrahuntur quia timent turbare proclamatos, et hoc est malum, quia salus eorum paci praeferenda est. Et ideo dicitur, *Eccle. 4:* Ne reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis.

Alii quia timent ne hac occasione obveniant sibi aliqua mala in se vel in amicis suis, et isti praeferunt bona propria bonis Dei. Gregorius: Si ab increpatione idcirco reticemus quia contra nos surgere odia formidamus, jam non lucra Dei quaerimus, sed nostra.

Alii quia timent peccare, et hoc maxime in viris sanctis solet accidere, quia trepidant frequenter timore ubi non esset timendum.

Solet autem eis hoc accidere interdum ex diaboli calliditate: ipse enim sciens quantum bonum sequitur in religione ex proclamationibus, et sciens quod boni viri nullo modo desisterent ab hoc, quandiu crederent illud esse bonum, suggerit eis hoc procedere ex malitia, ut sic eos retrahat. Et est simile, quantum ad effectum, in Domini passione, quam postquam diabolus cognovit fructuosam esse mundo, sicut dicunt expositores, (1) voluit eam impedire sub specie boni, suggerens uxori Pilati ut virum ab hoc retraheret, mandando illi quanta passa fuerat in nocte per visum propter eum.

Interdum ex simplicitate: sunt enim aliqui qui propter simplicitatem quandoque quod bonum est reputant esse malum, ut zelum justitiae crudelitatem, et hujusmodi; quod non est laudabile in discipulis Domini, qui jubentur, *Matth. 10*, esse non solum simplices ut columbae, sed et prudentes ut serpentes. Et ideo dicit Apostolus, *Rom. ult.:* Volo vos sapientes esse in bonò; *Glossa:* In bono discernendo.

Interdum ex magna bonitate, quae facit eos timere peccatum. Gregorius: Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, id est timere, ubi culpa non est. Quamvis autem, ut dictum est, sit triplex timor retractivus a proclamationibus, tamen circa tertium potius tradit mandatum, quia ille subtilius potest decipere religiosos quam alii, qui clarius apparent mali.

Et nota quod non dicit: nec vos timeatis; sed « nec vos judicetis esse malevolos, » quia boni viri possunt omnia etiam bona sua habere (2) suspecta de aliquo malo, sicut Job, *Job. 9;* sed non opportet quod judicent hoc diffiniendo.

Sed numquid potest hoc indicari ab illo qui scit se ex malitia accusare?

Respondeo: Potest. Et hoc non interdicit, sed dicit quod ipsum simplex indicare non debet judicari esse malum.

---

(1) Cf. *Gloss.* margin. in Matth. c. XXVII, 19, et Nicol. Lyran. in h. l. — (2) Cod. Vien.: omnia opera sua habere.

Circa secundum notandum quod, sicut peccatur lingua in loquendo, ita interdum (1) in tacendo, quia, *Eccle. 3,* dicitur: Tempus tacendi et tempus loquendi. Gregorius: Sicut mali Deum exasperant, qui loquuntur et faciunt mala: ita nonnunquam boni, qui tacent bona. Quod autem ita sit in casu proposito patet. Sic, *Isai. 6,* dicit Isaias lamentando: Vae mihi, quia tacui. *Glossa:* Quare? Quia Oziam et alios libere non reprehendi.

Item, sancti de hoc sententiant valde terribiliter. Gregorius: Qui proximi mala conspiciunt, et silentio premunt, quasi conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt; et eo mortis auctores fiunt quo vulnus, quod curare poterant, nolunt. Augustinus: Tu vulnus fratris contemnis, tu eum perire vides et negligis: pejor es tacendo quam ille committendo.

Item, omnes magistri concorditer docent (2) quod currens est cum fure, qui scit furtum et non indicat: et eadem ratione videtur particeps cujuslibet delicti qui ipsum scit, et non indicat ad corrigendum. Gregorius: Qui indicare potest (3) et negligit, participem proculdubio se delicti constituit. Et iterum: Quaecumque loquendo corrigi possunt, silentium consensum esse pertimescamus.

Cum ergo tantus propheta super hujusmodi taciturnitate tam graviter super se lamentetur; cum sancti tam grave hoc judicent; cum secundum omnes magistros hoc repetetur consensus in delictis, bene dicitur: « innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. » Et vere non sunt tales innocentes. Nocent enim sibi labia polluendo alieno delicto, ut non sint digni Deum laudare. (4) *Isai. 6:* Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, scilicet ex ista taciturnitate. *Glossa:* Quare? Quia Oziam, et alios non reprehendi libere: ideo cum angelis Deum laudare non merui. Et timeo ne dicatur mihi: Quare tu enarras justitias meas?

Item, nocent illi qui est proclamandus. Et hoc dupliciter, sci-

---

(1) Cod. Sp.: interim. — (2) Codd. Sp. et Tol.: concordant et docent. — (3) Codd. Sp. et Tol.: qui enim dare potest. - Cod. Vien.: qui mundare potest. — (4) Cod. Sp.: videre.

licet bonum subtrahendo; Augustinus in epistola *ad Hieron.*: Obsecro te per mansuetudinem Christi, ut, si laesi te, dimittas mihi; nec me vicissim laedendo malum pro malo reddas: laedes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte in factis meis vel in dictis inveneris; et item malum (1) inferendo interpretative; Gregorius: Tot occidimus quot ad mortem ire tepidi et tacentes videmus.

Item, nocent sociis, qui eorum exemplo tacentes, idem peccatum taciturnitatis incurrunt. Mos enim est apud viros disciplinatos, socios suos pro reverentia superiores arbitrantes, quod non incipiunt libenter prius loqui, secundum consilium Sapientis, qui, *Eccli. 32,* instruit minorem ut dicat majori: Loquere tu major natu: decet enim te primum verbum; et non impedias musicam, id est verba aliorum, tacendo, sicut facit cantor, quando non incipit cantum. Quomodo ergo sunt innocentes tales qui ex taciturnitate tam graviter nocent et sibi et fratri proclamando, et sociis (2) suis? Vere non sunt innocentes, immo culpabiles valde. Augustinus in lib. *De civ. Dei:* Culpabile est quod hi qui dissimiliter vivunt, et a malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quae objurgare deberent. Hoc autem non est verum, nisi quando indicatio cedere potest ad correctionem. Et ideo signanter dicit: « quos indicando corrigere potestis, etc. »

CII. Quod grave vulnus sit peccatum.

Circa tertium notandum quod peccatum dicitur vulnus, secundum illud quod dicitur, *Luc. 10,* de latronibus qui homini descendenti de Jerusalem in Jericho imposuerunt plagas, quod intelligitur de peccatis. Bene autem dicitur peccatum vulnus, quia vulnus debilitat, et peccatum similiter. Unde, *Ps. 37:* Cor meum conturbatum est in me, scilicet per peccatum. Et *post:* Dereliquit me virtus mea, id est fortitudo mea. Exemplum de Achab, qui vulneratus se fecit educi de praelio, quasi jam impotens ad pugnandum, 3. *Reg. ult.*

Item, vulnus infert dolorem; propter quod dicitur, *Ps. 68:* Super dolorem vulnerum meorum addiderunt; ita et peccatum. Propter quod peccata dicuntur in *Ps. 17,* dolores inferni; et

(1) Cod. Vien.: et sic malum. — (2) Cod. Grat.: consociis.

Eccli. 3: Cor nequam gravabitur in doloribus. Tanta est enim Dei justitia, quod numquam anima cum peccato est sine gravamine, amaritudine et angustia affligente.

Item, vulnus humiliat. Exemplum de Alexandro, de quo dicitur quod percussus sagitta dixit: Omnes vocant me filium Jovis; sed vulnus hoc ostendit me esse hominem. Quot autem et quanti, post ruinam in peccatum, facti sunt humiliores, juxta illud, *Ps. 118:* Priusquam humiliarer, ego deliqui! Et iterum, *Ps. 88:* Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum?

Non solum autem est vulnus; sed (1) vulnus valde grave. Vulnus enim est tanto gravius, quanto profundius. Tale autem est peccatum, secundum auctoritatem Ecclesiae dicentis: Peccata mea, Domine, sicut sagittae infixa sunt in me, quae scilicet profunde penetrant; ita et peccatum usque ad intima penetrans. Et est tractum illud de *Ps. 37,* ubi dicitur: Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi.

Item, vulnus tanto gravius est quanto in parte nobiliori, ut in corde, vel in cerebro. Vulnus autem peccati omne est in anima, quae est nobilissima pars hominis. Bernardus: O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum angelis, haeres beatitudinis!

Item, vulnera tanto sunt graviora quanto magis abscondita: talia autem sunt peccatorum vulnera. Gregorius, in *Pastorali:* Quis nesciat occultiora vulnera esse cogitationum quam viscerum?

Item, ad gravitatem vulneris facit cum propter sanationem vulneris in membro minus nobili, oportet facere vulnus in membro nobiliori: ita est in casu proposito. In corpore enim mystico Christi ipse Christus, qui est nobilissimum membrum, (2) vulneratus est propter vulnera aliorum membrorum sananda. *Isai. 53:* Vulneratus est propter iniquitates nostras. Ad quod attendendum hortatur Bernardus dicens: Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera illa, pro quibus oportuit Christum Deum vulnerari!

Item, ad idem facit cum non potest vulnus sanari, nisi per pretiosa et insolita remedia: et ita hic est. Bernardus. Filius Dei

---

(1) Cod. Grat.: immo. — (2) Cod. Vien.: membrorum.

jubetur occidi, ut nostris vulneribus pretioso illius sanguinis balsamo medeatur.

Item, ad idem facit quod non quilibet chirurgicus, sed solum paucissimi et excellentes possunt subvenire. Vulnerato vero per peccatum non est qui possit subvenire, nisi unicus, scilicet Deus. *Eccli. 21*: Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas, et plagae illius non est sanitas, scilicet nisi a solo Deo; sicut dicitur in morbis desperatis quod non potest homo sanari, et intelligitur nisi a solo Deo, et non secundum cursum naturae ab alio. Cum igitur peccatum sit vulnus, et gravius omni vulnere corporali, bene arguit a minori vir sanctus dicens: « Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, etc. »

Et nota quod dicit: « ne deterius putrescat in corde. » Sicut enim vulnus spirituale deterius est corporali, (1) ita et putrefactio ejus est deterior. Dicitur autem hujusmodi vulnus putrescere, quando non sanatur per correctionem, quia vulnus putrescens corrumpit magis et magis totum: ita et peccatum quod non per poenitentiam sanatur, secundum illud, 1. *Cor. 5:* Modicum fermentum totam massam corrumpit.

Item, reddit foetorem: ita et peccatum non potest diu esse in corde, quin aliquis foetor egrediatur. Gregorius: (2) Sicut bonus odor ex virtute est, sic foetor ex vitio.

Item, fit gravius, quia quasi insanabile, per putrefactionem: ita et peccatum tanto gravius est, quanto diutius detinet animam infelicem, sicut dicit decretalis. (3) Exemplum de his tribus habetur, 2. *Mach. 9*, de Antiocho, qui, ut dicitur ibi, ita fuit corruptus, quod vermes scaturiebant de carne sua; ita foetidus, quod intolerabilis erat omnibus foetor ejus; ita percussus, quod fuit plaga ejus insanabilis. Mira ergo fatuitas est vulnerato sic celare plagam! Propter quod dicitur, *Ps. 37:* Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae. Mira crudelitas scire hujusmodi vulnera, et non indicare sananda! Propter quod dicit Augustinus crudeliter hoc celari, et misericorditer indicari.

(1) Cod. Grat.: quam vulnus corporale. — (2) Cod. Vien., ex correct.: Bernardus. — (3) Cap. XI, *De Consuet.*

Sequitur : **Sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est si negaverit, prius praeposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi : ne forte possit secretius correctus non innotescere caeteris.**

Tradita sunt duo mandata praedicta circa testes procurandos, buod est unum praecedens convictionem. Hic loquitur de ostensione facienda praelato, quod est aliud antecedens ad idem.

CIII. De correctione fraterna facienda praelato.

Et notandum (1) quod secundum expositionem regulae, sensus hujus clausulae est quod post admonitionem secretam, si monitus non vult corrigi, debet fieri aliqua (2) admonitio coram praelato, antequam procedatur ad convictionem coram multis, ut si forte sic frater corrigi voluerit, supersedeatur a publicatione culpae ejus coram multis.

Sed quaeritur quomodo iste sensus eliciatur ex littera, cum potius (3) contrarium videatur contineri, cum haec dictio « ne » includat in se negationem : et ita negatio ista cum sequenti, scilicet « non innotescere, » aequipolleat uni affirmativae ; et ita videatur reddere talem sensum, quod secretius correctus possit innotescere caeteris ? (4)

Respondeo : Haec dictio « ne » est aequivoca, quia quandoque idem est quod : ut non ; et sic non posset elici sensus praedictus ex littera, immo contrarius, ut dictum est ; quandoque idem est quod : si, ut super illud 2. *Tim. 2 :* Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando Deus det illis poenitentiam, ad cognoscendam veritatem, *Glossa:* Nequando, id est si aliquando ; et ita accipitur hic, ut sit sensus : « ne forte possit, » id est : si forte possit. Et huic sensui concordat quaedam littera, quae invenitur cum una alia negatione, dicens : nequando non possit. Sed pro ista littera accipitur « ne » in primo sensu ; et iste est sensus : « ne forte non possit, » id est : si forte (5) possit.

Circa istam ergo ostensionem tria tangit, scilicet : cui facienda, quia praelato ; quo ordine, quia post admonitionem secretam et

---

(1) Cod. Tol.: Et nota quod. — (2) Cod. Tol.: alia. — (3) Cod. Vien.: cujus potius. — (4) Cod. Vien.: aliis. — (5) Cod. Vien.: ut forte.

correctionem neglectam, et ante procurationem testium, propter quod dicit: « si admonitus, » scilicet secreto, « neglexerit corrigi », et « antequam aliis demonstretur per quos, etc. » ; qua de causa, videlicet ut si voluerit adhuc secreto corrigi per praelatum, non publicetur aliis, et hoc est: « ne forte possit, etc. »

Et nota circa primum quod illam secundam correctionem, quam Dominus docet faciendam coram uno vel duobus, *Matth. 18,* Augustinus hic restringit in religiosis, qui non sunt plene sui juris, ad praelatum, tanquam ad illum de quo magis potest praesumi quod possit prodesse, et non obesse.

Triplex est autem utilitas, quae potest sperari ex ostensione hujusmodi facta praelato: utilitas scilicet delinquentis, quia multae sunt causae quare potius debet praelati correctioni acquiescere quam alterius.

Item, utilitas praelati, cui expedit agnoscere vultum pecoris sui.

Item, utilitas indicantis, quia per praelatum melius dirigi poterit quid sit ei ulterius faciendum.

Notandum tamen, ut quibusdam (1) videtur, quod hujusmodi ostensio non sit facienda praelato coram reo de re gravi, ne forte reus agat injuriam contra denuntiantem, si illud non possit probare.

Item, nota circa secundum quod est facienda ostensio hujusmodi ante procurationem testium supradictam, ut habito praelati consilio discretius procedatur ultra, si necesse fuerit, in testibus procurandis.

Item, ut procedi possit efficacius ejus auctoritate interveniente, vel etiam compellente, ad testes habendos.

Item, ut major charitas ostendatur cum tentato, (2) si praelati possit correctio prodesse, antequam etiam testibus culpa publicetur.

Item, notandum circa tertium quod laedere alterum in fama (3) indebite est valde grave. Melius est enim nomen bonum quam divitiae multae, sicut dicitur *Prov. 22.* Ex quo sequitur quod plus nocet qui aufert famam, quam qui aufert divitias multas.

---

(1) Cod. Vien.: quod quibusdam. — (2) Cod. Sp.: cum tentatur. — (3) Cod. Sp.: infamia.

Praeterea, divitiae ablatae possunt restitui: sed fama vix, quia forte non crederetur illi qui post laesionem vellet excusare. Potest etiam jam verbum delatum esse ad tot, quod quasi impossible est ad tot advenire excusationem; et ideo bene dicitur in *Glossa super Luc. 1,* famam esse rem lubricam: quia sicut aqua, res lubrica, de facili effunditur, et quasi impossibile est eam recolligi, ita et fama.

Praeterea laedens famam alterius non solum illum laedit cui detrahit, sicut fur illum solum cui furatur: sed omnes illos coram quibus loquitur, sicut ille qui movet lutum laedit per foetorem omnes illos coram quibus movet. Augustinus, *De verbis Domini:* Peccat in nos frater, si nobis scientibus peccat: quia quantum in eo est nos exemplo corrumpit. Ex quo patet quod audire peccatum alterius nocivum est audienti.

Propter haec praedicta dixit sanctus Ambrosius: Tolerabiliores fures, qui vestes et alia bona nostra diripiunt, sunt quam fures qui famam nostram lacerant. Et vere sic est: majus enim est quod isti diripiunt, nec unquam direptum restituunt, nec solum uni sed multis nocent.

Item, dicit Apostolus, 2. *Tim. 4:* Opus fac evangelistae; quod est bonum nuntiare: isti autem qui infamant semper mala nuntiant; ergo contrarii sunt evangelistis.

Praeterea, super illud, *Luc. 1:* Ad virginem desponsatam viro, dicit *Glossa:* Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare. Cum ergo Christus tantum curaverit de fama aliena, ne occasione sui ortus, qui fuit tantum beneficium, laederetur: quantum sunt Christo contrarii qui non curant diligenter cavere a laesione famae alterius?

Praeterea, laedere famam alterius est opus diabolicum. Gregorius: Habet hoc proprium hostis antiqui invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, superare non valet, opinionem eorum dilaceret.

Patet ex his quod laedere famam alienam est contrarium evangelistis, et contrarium Christo, et opus diabolicum. (1) Et ideo quan-

(1) Cod. Grat.: malitia diabolica.

tum possibilé est, salva justitia, cavendum est ab hujusmodi laesione. Et ideo dicit Augustinus : « si forte possit secretius correctus non innotescere caeteris ; » ut scilicet parcatur ejus famae.

Si vero quaeratur utrum peccet qui omissa hujusmodi ostensione coram praelato, procedit ad testes habendos, potest dici, sicut dictum est supra de omissione correctionis fraternae secretae, in titulo de ordine fraternae correctionis, quod in casibus aliquibus est malum, et in aliquibus est bonum, secundum distinctionem ibi positam.

Sequitur : **Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, etiam coram omnibus, ut possit, non ab uno teste argui ; sed a duobus, vel tribus convinci.**

CIV. De notabilibus et dubitabilibus circa peccata convincenda.

Datis mandatis circa antecedentia ad convictionem, tradit hic mandatum circa ipsam convictionem, et innuuntur quatuor in hoc mandato, scilicet quis convincendus : quia negans ; propter quod dicit ; « si negaverit. »

Item, quando convincendus est : quia post negationem factam coram praelato ; propter quod dicit : « tunc, » id est post negationem. Et est intelligendum quod statim, si habentur testes conscii culpae ; vel post, quando non habentur statim, scilicet postquam fuerint procurati.

Item, coram quibus : quia etiam coram omnibus, nisi forte videatur praelato quod coram paucioribus fiat ; et ideo dicit : « etiam coram omnibus. » Et per quot : quia a pluribus ; et ideo dicit : « ut possit non ab uno, » solo scilicet denuntiante, « argui, sed a duobus, vel tribus convinci. »

Et nota quod tria sunt quae solent hominem retrahere a malo.

Primum est amor ; propter quod Dominus volens retrahere Judam a peccato concepto per hunc modum, dixit ei : Amice, ad quid venisti ? *Matth. 26.*

Secundum est pudor ; propter quod dixit, *ibid.* : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet ; ad ingerendum hujusmodi pudorem retractivum.

Tertium est timor; propter quod dixit, *ibid.*: Vae homini illi per quem Filius hominis tradetur!

Secundum haec tria Augustinus tradit tria retrahentia (1) a peccato, scilicet correctionem secretam, quae pertinet ad amorem, et hoc quoad primum; correctionem coram praelato, quae habet pudorem, et hoc quoad secundum; convictionem in judicio, quae habet poenam et ideo timorem, et hoc quoad tertium.

Primum ubi dixit superius: « statim admonete, ne male coepta progrediantur; » secundum ubi dixit: « prius praeposito debet ostendi; » tertium hic.

Sunt autem multa de quibus dubitatur circa istam materiam, quae pertinent ad convincenda peccata fraterna in publico coram praelato.

Et primo videtur quod hoc nunquam liceat. Infamare enim fratrem coram unico est semper malum: multo magis coram multitudine; hoc autem fit, cum in publico culpa ejus nuntiatur et convincitur.

Praeterea, non sunt facienda mala ut veniant bona, *Rom. 3:* ergo, cum infamare fratrem sit malum, non est faciendum hoc, etiam propter correctionem illius, vel aliud quodcumque (2) bonum illius.

Praeterea, non licet laedere fratrem in temporalibus bonis suis propter bonum animae illius: ergo, cum majus (3) sit fama quam quodlibet bonum temporale, non licet laedere fratrem in fama (4) propter bonum illius spirituale.

Contra vero est illud, *Matth. 18:* Dic Ecclesiae. Ex quo patet, quod culpa fratris potest dici coram multitudine.

Respondeo: Dicere malum fratris est malum in se, sed non secundum se. Quantum enim est de se, semper est malum; sed ex circumstantia potest esse bonum. Sicut affligere proximum est in se malum; sed si affligitur in carne proximus infirmus ut sanetur, potest esse bonum: ita dicere malum alicujus proter bonum aliquod potest esse bonum; sed quantum est de se, semper est malum. Di-

---

(1) Cod. Tol.: ad retrahendum. — (2) Codd. Grat. et Tol.: qualecumque. — (3) Codd. Tol. et Sp.: major. — (4) Cod. Vien.: infamia.

cendum ergo quod infamare dupliciter dicitur, scilicet stricte et large. Stricte idem est quod malum alterius recitare sine causa bona: et sic semper est malum. Large idem est quod malum alterius recitare, quacumque ex causa hoc fiat, et hoc non semper est malum; quia si fiat ex causa bona potest esse bonum, ut si fiat pro salute illius, quia salus praeponenda est famae.

Ad primum ergo dicendum quod et coram uno, et coram multis potest aliquis infamari, secundum acceptionem secundam, quando scilicet fit ex causa bona.

Ad secundum dicendum quod illa quae sunt mala secundum se, ut furari, fornicari, numquam sunt facienda propter aliquod bonum: sed illa quae sunt in se, non secundum se mala, ut occidere, possunt fieri propter aliquod bonum, et tale est recitare proximi mala. (1)

Ad tertium dicendum quod laesio proximi in temporalibus, ut cum aliquis furatur, vel aufert ei bona sua, et hujusmodi, est malum secundum se; et ideo non licet illud facere propter aliquod bonum proximi: sed recitare malum proximi non est malum secundum se, et ideo potest fieri propter bonam causam, sicut licet ostendere infirmitatem infirmi, ut sanetur.

Secundo quaeritur utrum liceat proclamare de criminosis, cum non possunt probari? Et videtur quod sic. Licet enim talia dicere illis qui possunt prodesse, et non obesse, etiam sine testibus: ergo si omnes de collegio sunt tales, licet coram illis sic proclamare.

Contra: Jura dicunt quod denuntians, qui non potest probare crimen, poena denuntiati (2) puniendus est, sicut dicitur *Extrav. de calumn. cap. Cum dilectus, 2;* nullus autem puniendus est sine culpa: ergo talis peccat.

Respondeo quod concedendum est, cum fit in forma juris. Ex quo patet solutio ad contrarium. Quando enim charitative dicitur extra formam juris, potest dici aliquibus qui possunt prodesse, et non obesse, etiam si sint multi. Sed non sequitur quod ideo possit dici

---

(1) Codd. Tol. et Vien.: recitatio mali proximi. — (2) Codd. Sp. et Tol.: crimen denuntiantum.

coram multis in forma judicii, quia gravius est agere in jure contra (1) aliquem, quam charitative monere, vel facere moneri.

Tertio quaeritur, si aliquis ex simplicitate bono zelo motus proclamat de crimine quod non potest probare, vel credebat quod posset probare et deficit in probatione, utrum sit puniendus, vel excusetur per ista jura? Videtur quod excusetur per decretalem praedictam, in qua dicitur quod denuntians, qui non probavit crimen, suspendatur, donec canonice purgaverit innocentiam suam quod non animo calumniandi ad hujusmodi crimina proponenda processit. Ex quo relinquitur quod qui non facit animo calumniandi, non videtur puniendus; et ita nec peccare videtur. Sed si hoc dicatur, tunc videtur quod stulti et simplices sint melioris conditionis quam sapientes, cum ex stulta simplicitate reportetur (2) commodum.

Respondeo: Tales non excusantur a toto, sed a tanto; et puniendi sunt arbitrio judicis plus vel minus, secundum quantitatem excessus. Ex hoc autem quod dicit decretalis quod suspendatur donec probet suam innocentiam, non sequitur quod nullo modo sit puniendus, licet tanta poena sit relaxanda.

Quarto quaeritur utrum, proclamante parato probare crimen quod denuntiat, judex possit inquirere a denuntiando super injuria, ante testium productionem, quod respondeat utrum sit verum quod ei imponitur, vel non? Si enim verum est et respondere cogatur, aut mentiri cogetur, aut se ipsum infamare. Si autem non cogatur ad respondendum, quomodo producentur testes, qui non solent produci ante negationem rei? Et hoc ipsum videtur Augustinus dicere in hoc mandato, cum dicit: « tunc neganti adhibendi sunt etiam alii etc. »

Respondeo: Quando est (3) est denuntiatio simplex depeccato, de quo non processit infamia inducens inquisitionem, non est cogendus denuntiatus ad respondendum de veritate: neque enim durius debet agere pater spiritualis cum subdito, quam princeps sacerdotum, vel Pilatus egerit cum Christo. De quorum utroque

---

(1) Cod. Vien : agere in jure aliquem. — (2) Cod. Vien.: reportent. — (3) Cod. Sp.: Quod si.

legitur quod, Christo accusato coram se, neuter inquisivit de veritate dicenda. Sed princeps sacerdotum dixit, *Matth. 26:* Nihil respondes ad ea quae isti adversum te testificantur? Pilatus vero dixit, *eodem 27:* Non audis quanta isti adversum te dicunt testimonia? Est autem ad hoc argumentum ex eo quod dicunt juristae, quod quando proceditur contra aliquem de crimine per modum inquisitionis, quam aliquis promovet, non est imponendum juramentum de dicenda veritate illi contra quem est inquisitio, ne ex hoc adversarius instruatur: fortiori ratione, nec in isto casu. Eadem autem est vis quoad Deum in juramento et in verbo simplici. Et ideo non est secundum Deum, quod cogatur aliquis in hoc casu dicere vel negare; sed potest dicere judex sic proclamato: (1) Ecce vos audistis quod dicitur de vobis, quid dicitis vos ad hoc? Et est relinquendus voluntati suae, ut vel neget, vel concedat, vel dicat: Non recognosco quod dicitur, vel: Paratus sum audire probationem, et similia. Quod autem dicit Augustinus, quod « neganti adhibendi sunt testes, » potest intelligi quod vocat negantem non confitentem; et in isto casu sufficit hujusmodi negatio ad procedendum (2) ad testes.

Si vero quaeratur quare in processu per modum denuntiationis non compellatur reus ad dicendum veritatem, sicut in processu per modum inquisitionis ex officio, vel per modum accusationis, potest dici quod in inquisitione tali, in qua agitur ad removendum ab administratione; et in accusatione, in qua agitur ad degradationem, quaeritur quod tangit bonum non solum rei, sed et aliorum: in denuntiatione vero, in qua agitur ad correctionem, solum requiritur bonum rei, et ideo districtius agunt jura contra reum in duobus illis processibus, quam in isto tertio. Et ideo districtius agi potest secundum Deum, ne ex remissione laedatur utilitas aliorum.

Quinto quaeritur utrum subditus in isto casu teneatur obedire praelato, si forte praecipiat ei, quamvis male, quod dicat veritatem de crimine de quo est proclamatus?

Respondeo: Potest dici quod non; sicut non teneretur subditus

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: proclamando. — (2) Cod. Sp.: ad adducendum testes. - Cod. Vien.: ad producendum testes.

obedire praelato, si praeciperet quod diceret ei peccata sua extra forum confessionis, quamvis hoc facere posset sine peccato. Multa enim sunt quae non sunt peccata, in quibus tamen non tenetur religiosus obedire praelato, ut sunt aliqua quae sunt supra regulam et votum suum, et annexa his; cum ipse non promiserit obedientiam, nisi secundum regulam et statuta aliqua. Quis enim auderet dicere quod subditus teneatur confiteri omnia peccata sua omnibus sacerdotibus de conventu suo, si abbas ei hoc praecipiat, et multa similia, quae tamen fieri possunt sine peccato?

Sexto quaeritur utrum liceat procedere ad hujusmodi proclamationem, et convictionem per testes, quando non speratur de proclamandi (1) correctione?

Respondeo: Licet non speretur de fructu correctionis ejus, si tamen speratur de fructu in aliis, scilicet quia magis timebunt, vel alia utilitas congregationis inde sequatur, licet procedere, sicut licet probare de aliquo quod ipse leprosus sit, non quia speretur quod ex hoc sanetur, sed quia sit utile aliis.

Septimo quaeritur, si in collegio, in quo haec aguntur in publico, sunt aliqui quibus cedit ad utilitatem, alii quibus ad damnum, utrum sit dimittendum?

Respondeo: Potest differri, et quaeri opportunitas quod fiant ista coram illis solum quibus prodest. Si autem hoc non potest fieri, videtur quod finaliter non sit dimittendum bonum aliquorum propter malum aliorum in operibus justitiae: maxime cum bonum sequens majus reputetur quam damnum in genere suo.

Sequitur: **Convictus vero secundum praepositi, vel etiam presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam: quam si ferre recusaverit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim hoc fit crudeliter; sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.**

---

(1) Cod. Tol.: proclamati.

CV. Quod presbyter vocetur praepositus, et de notabilibus circa ejectionem.

Traditis mandatis circa peccata convincenda, tradit hic mandatum circa judicanda. Et tanguntur hic tria, scilicet per quos sunt judicanda: quia per praepositum, vel presbyterum, ibi: « secundum praepositi, etc.; » item, ad quam poenam judicanda: quia ad satisfactionem emendatoriam, ibi: « debet emendatoriam etc.; » item, quid faciendum de illo qui recusat hujusmodi poenam ferre: quia expellendus, ibi: « quam si ferre, etc.; » et additur causa, cum dicitur: « non enim hoc fit, etc. »

Et nota circa primum quod presbyter interdum vocatur episcopus civitatis. *Ad Tit. 1:* Ut ordines presbyteros per civitates; *Glossa:* id est episcopos. Et dicitur episcopus presbyter, quasi praebens iter, scilicet exempli. Praepositus autem dicitur qui sub episcopo est major in congregatione: unde praepositus quasi prae aliis positus, scilicet a majore. Unde habet respectum ad inferiores, eo quod est prae illis; et ad superiorem, eo quod non a se, sed ab alio ipse positus sit. Videtur autem quod tempore Augustini ita esset ecclesia sua cathedralis ordinata, sicut adhuc sunt multae in multis, (1) quia capitulum habebat pro majore ipsum episcopum, vel (2) sub ipso alium qui praepositus dicebatur tunc, licet modo apud diversas ecclesias diversis aliis nominibus nominentur; et quia isti duo circa conventum diversas habebant jurisdictiones, dicit: « secundum praepositi, vel presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium; » ita quod episcopus in casibus ad se pertinentibus, et praepositus in aliis ad se pertinentibus sententiaret.

Circa secundum nota quod vindicta quandoque stricte accipitur pro redditione mali pro malo: et sic nulli licet se vindicare; quandoque large pro poena, justitia exigente, inflicta a judice: et sic licet.

Debet autem praedictus praelatus non solum punire pro praeteritis, sed aliquas cautelas apponere circa (3) futura: ut si quis frequenter, scilicet per aliquod tempus, (4) offendit in locutorio, debet

---

(1) Lege forsan: in multis locis. — (2) Cod. Vien.: et. — (3) Codd. Sp. et Vien.: contra. — (4) Codd. Sp. et Tol.: ut si quis, scil. per aliquod tempus frequenter....

injungere ei quod non intret ad tempus; si nimis loquatur cum muliere aliqua, injungere debet ei quod non (1) loquatur ad tempus; et similia. Et ideo dicit: « vindictam emendatoriam: » vindictam, quoad satisfactionem de praeteritis; emendatoriam, quoad cautelam de futuris.

Circa tertium notandum quod vitium illorum qui culpam (2) committunt, et poenitentiam recusant, dicitur incorrigibilitas: hujusmodi autem incorrigibilitas est gravissimum peccatum. Est enim diabolicum: ipse enim diabolus postquam peccavit, nunquam postea poenitere voluit.

Item, est infirmitas periculosissima: non enim est infirmitas adeo modica, quin per recusationem remedii verti possit in magnum periculum.

Item, hoc est vitium quod totam religionem destruit, obedientiae resistendo, in qua tota virtus religionis consistit.

Item, est summe contagiosum, sicut lepra, quae non recipit curationem.

Item, hoc est quod solum damnat homines: nullus enim quantumcumque peccator aliter damnatur, nisi quia se non corrigit.

Item, inter varias species peccati in Spiritum Sanctum, quod est horribile peccatum, in omni casu videtur gravius illud, quod est finalis impoenitentia.

Incorrigibilitas autem est huic annexa. Propter hoc peccatum istud in nullo quantumcumque magno est tolerandum, etsi forte alia aliqua interdum tolerantur ex causa. Unde Ambrosius, cum Teodosium imperatorem abjecisset ab ecclesia sua propter culpas aliquas, numquam voluit eum reconciliare, quousque publicam poenitentiam egit. Et cum diceret ei imperator quod David et adulterium, et homicidium commiserat, illico dixit ei Ambrosius: Secutus es errantem, sequere poenitentem. (3) Ad quod verbum compunctus publicam poenitentiam fecit.

Propter hoc etiam omnes solent insurgere contra tales, et nullus

---

(1) Cod. Sp.: ut ei non; - Cod. Vien.: ut non loquatur ei. — (2) Cod. Grat.: culpas. — (3) Codd. Vien. et Grat.: corrigentem.

de conventu audet in aliquo (1) talibus praestare favorem; et si in aliquo (2) eisdem faveant, contradicunt (3) interdum. Propter quod dixit Dominus, *Matth. 18:* Sit tibi sicut ethnicus et publicanus; quos scilicet omnes fideles abominantur. Propter hoc etiam dicit nunc Augustinus ipsos gravissime puniendos. Quae enim poena potest gravior excogitari, quam de societate expelli?

Et sciendum quod istam expulsionem quidam interpretantur quoddam genus excommunicationis: ut quando interdicitur fratri ne veniat inter alios in choro, vel in refectorio, vel quod nullus ei loquatur, et similia; alii intelligunt hoc de sequestratione, qua aliquis in aliquo loco quasi in carcere includitur; alii vero hoc intelligunt de ejectione ab ordine, habitu ablato. Sed melius est ut dicatur quod secundum diversas circumstantias personae et culpae, quandoque est primum faciendum, quandoque secundum, quandoque tertium: ita quod semper mitior poena praeeligatur, dummodo credatur quod sit aeque medicinalis, et scandalum aliorum vel conservatio justitiae ad aliud non inducat.

Item sciendum quod incorrigibilitas dicitur vitium contagiosum, quia tales exemplo manifesto, et verbis quibus se defendere solent, et tolerantia qua aliis praestare solent audaciam ad similia, corrumpunt alios. Et ideo, cum peccent in societatem, ipsam corrumpendo, sunt puniendi in eo in quo delinquunt, et expedit ut de societate expellantur. Et ideo bene dicit: « de vestra societate projiciatur, ne contagione pestifera plurimos perdat. » Nec est ascribendum crudelitati, sed potius misericordiae, quia majoris est pietatis compati multis super damno spirituali, quam uni parcere a poena aliqua animae suae medicinali.

Sed sunt multa de quibus dubitatur circa hujusmodi expulsionem.

Et primo quaeritur utrum pro sola incorrigibilitate sit religiosus expellendus a societate aliorum; an etiam pro aliis culpis?

Respondeo: Religiones aliquae approbatae habent in usu expellere fures, percussores et sodomitas: primi enim nocent in rebus,

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: in aliquibus. — (2) Cod. Grat.: in aliis. — (3) Cod. Vien.: interdicunt.

secundi in (1) corporibus, tertii in animabus. Sed hoc non est approbandum, (2) nisi quando non speratur de talium correctione per praesumptiones probabiles: tunc autem praesumuntur incorrigibiles. Sola ergo incorrigibilitas, vel vera, ut quando recusatur poenitentia; vel praesumpta, ut in casibus praedictis, inducere debet praedictas expulsiones, si accipiatur prima expositio pro excommunicatione juris. Si autem accipiatur pro quacumque sequestratione, vel a refectorio, vel a capitulo, et similibus, prout (3) accipit Benedictus in regula sua, potest haec poena infligi pro multis aliis delictis, licet corrigibilibus.

Sed esto quod aliquis offendat frequenter in aliquo; tamen semper offert se ad poenitentiam: nunquid talis potest expelli?

Respondeo: Non potest expelli quoad excommunicationem juris, secundum primam expositionem, quia talis sententia fundatur (4) super facta, non super praesumptiones: unde, quamvis non praesumatur de correctione in futuro, quia tamen offert se ad poenitentiam de praeterito delicto, non potest (5) de (6) praeterito delicto excommunicari: potest tamen quoad expulsionem sequestrationis, vel ejectionis de ordine puniri, maxime in casibus praedictis, in quibus est damnosa societas ejus congregationi, cum non speratur de correctione propter facta aliqua praecedentia, quae faciunt praesumere contrarium ejus quod verbo dicit, offerens se poenitentiae et correctioni. Providendum tamen est quod non expellatur de ordine, si sit talis persona de qua probabiliter credatur quod ejecta desaeviet in res, sicut faciunt aliqui comburendo bona monasterii, vel similia faciendo; vel in personas, interficiendo vel verberando; vel si credatur quod quoad peccata multos alios inficiet, ut sodomitae et haeretici: sed includatur in loco forti, ut minus possit nocere. Si vero non est locus aptus ad hoc, recurrendum est ad majores, ut per eos consilium apponatur. Illi vero nocivi, de quibus non timetur quod ejecti talia committant, et creditur quod confusio ejectionis

---

(1) Codd. Sp. Vien. et Grat.: personis — (2) Codd. Sp. et Grat.: approbatum. — (3) Cod. Grat.: secundum quod. — (4) Codd. Sp. et Vien.: addunt: ut est contra Decretalem. — (5) Cod. Vien.: nec potest. — (6) Cod. Grat.: pro.

cedat eis ad correctionem, securius possunt ab ordine expelli, ut humiliati sic in melius emendentur.

Sed numquid peccant illi qui fratres onerosos et taediosos propter importabilitatem suam expellunt, vel dissimulant si egrediuntur?

Respondeo: Postquam sunt professi, et pro culpis semper sunt parati satisfacere, nisi sint (1) tales qui damnificent in rebus, ut fures; vel personis, ut percussores; vel inficiant peccatis alios, ut haeretici, et sodomitae, et seminantes discordias, et sollicitantes alios de apostasia, (2) et similes, nullo modo propter quodcumque onus eorum sunt expellendi; sed portandi, tamquam qui forte sunt dati a Deo ad patientiam et charitatem fraternam exercitandam; nec sine gravi peccato possunt qui habent eorum curam dissimulare eorum apostasiam.

Sed quid faciendum est cum ejecti petunt recipi?

Respondeo: Si culpae incorrigibilitatis, propter quas juste ejecti sunt, adhuc durant, non tenentur ejectores eos recipere: immo ex eisdem causis, propter quas juste sunt ejecti, juste possunt a receptione repelli. Nec obstat decretalis (3), quae dicit, fugitivos esse requirendos; quia hoc intelligitur quando sunt tales qui cum utilitate congregationis possunt tolerari, aliter non: sicut ovis morbida non solet reduci ad ovile, sed potius relinquitur ipsis lupis. Si vero credatur probabiliter quod sunt de culpis (4) sic correcti quod cessabunt, tenentur ejectores eos recipere, salva disciplina ordinis, et etiam requirere pro loco et tempore.

Sed quid iterum faciendum est, si ejectus, de cujus correctione non speratur, offert se ad carcerem?

Respondeo: Potest dici quod si ille qui sic petit recipi est talis quod facit scandala et multiplicat mala, recipiendus est ad carcerem, dummodo habeatur talis locus in quo secure possit custodiri. Per hoc enim et ei providetur, quia a multis malis sic cessabit; et congregationi non nocebit, propter sequestrationem. Potest autem in tali casu recipi sine habitus redditione; sed processu temporis, si signa bona apparuerint in eo, recipi poterit ad gratiam ampliorem.

---

(1) Cod. Vien.: nec sunt. — (2) Cod. Grat.: de apostatando. — (3) XXIV, De Regul. Cap.: *Ne religiosi.* — (4) Cod. Sp. et Vien.: culpa.

Si vero talis est quod scandala non facit in saeculo, nec peccata nova committit, et creditur quod ex difficultate receptionis cautior fiet in antea, potest differri receptio, licet finaliter non sit neganda.

Si autem quaeratur circa praedicta quomodo propter furtum, quod est damnum temporale, (1) abjiciendus sit frater propter quem Christus mortuus est, dici potest quod fures in religione desperati non solum nocent in rebus temporalibus, sed etiam in rebus spiritualibus, (2) subtrahendo ea quae ad serviendum Domino sunt necessaria, et conturbando sanctam congregationem, et sic impediunt bonum aliorum spirituale.

Item, ejectio eorum non solum fit propter bonum aliorum, sed etiam propter bonum ipsorum, ut ex hoc per confusiones et tribulationes ad cor revertantur. Et ideo propter bonum eorum et etiam aliorum spirituale licet eis infligere poenam istam.

Sed iterum quaeritur: Ponatur quod ejiciendus ab ordine petat licentiam transeundi ad aliam religionem mitiorem, ubi melius a peccatis possit cavere quam in saeculo, est ne danda?

Respondeo: Non est danda a praelato, nisi forte haberet privilegium aliquod per quod hoc posset. Nam de jure communi (3) hoc non licet; nec faciendum est ab aliquo aliquid illicitum, propter bonum alterius quodcumque: potest tamen dissimulari interdum, ut hoc faciat propria auctoritate. Vel potest dici a praelato: Concedo, si possum, vel quantum possum; maxime quando timetur ne pejus faciat. Si autem intraverit aliquam religionem ita permissive, et credatur quod ibidem faciat mala consueta, et ignoretur ibidem conditio ejus, de innotescendo statum illius praelato sub cujus cura se posuit, faciendum est a praelato illius quod sibi vellet fieri in hac parte.

Potest iterum quaeri: Si ejiciendus petit absolvi ab ordine, vel retineri, quid faciendum sit? (4)

Respondeo: Neutrum est faciendum; neque enim pastor, quando ejicit ovem morbidam a grege, tenetur propter hoc cedere a dominio

---

(1) Codd. Tol. Sp. et Grat.: quod est res temporalis. — (2) Cod. Grat. sed in spiritualibus — (3) XXIV, De Regul. Cap. *Caus.* — (4) Cod. Vien.: est.

illius: immo ad hoc expellit ut, si forte sanetur, reducat eam post sanationem; ita et hic, si forte aliquis ex simplicitate, vel alia de causa, absolverit hujusmodi ejiciendum ab obedientia ordinis, non valeret, quia esset contra rationem.

Potest iterum quaeri: Si petat talis licentiam transeundi ad ordinem arctiorem, cujus interest de jure dare licentiam talem?

Respondeo: Dixit Hugo quod ad praelatum cum consensu conventus pertinet; adducens argumentum ex hoc (1) quod solus praelatus non potest alienare bona temporalia monasterii, et multo magis nec personam. Licet autem hoc forte verum sit in monasteriis ubi praelatus non habet super se majorem; tamen in ordine Fratrum Praedicatorum solus Magister, cui fiunt professiones omnes, vel provincialis prior, cui data est ex Constitutionibus eadem potestas in sua provincia, quam habet Magister in toto ordine, possunt (2) dare hujusmodi licentiam; vel alii eorum auctoritate. Et quamvis prior conventualis cum conventu possint recipere fratres, tamen non possunt de obedientia Magistri, vel prioris provincialis, quibus acquisiti sunt, eos subtrahere praeter voluntatem eorum.

Sed iterum quaeri potest: Si illi qui licentiare possunt ad aliam religionem, licentiare possint ad parem?

Respondeo: Certum est quod ad leviorem non possunt; item certum est quod ad arctiorem evidenter, si aliqua sit talis, possunt: de pari vero, propter rationes quae sunt ad utramque partem, est ita dubium quod non est securum, nec consuetum, nisi auctoritate Papae, vel privilegiorum, si qua super hoc haberentur, hoc fieret.

Sed numquid auctoritas episcopi sufficit in hac parte?

Respondeo: Quod non est consuetum quod pro dispensationibus circa votum religionis recurratur ad episcopum. Et est argumentum juris (3) ad hoc, quia ipsi non possunt dispensare in voto crucis, quod minus est quam votum religionis: hujusmodi vero commutatio voti de pari in par non potest fieri, nisi dispensative, et

---

(1) Cod. Sp.: ad hoc. — (2) Codd. Sp. et Vien.: potest. — (3) III. tit. XXXIV, Cap. IX.

auctoritate majoris; et ita non videtur iste casus ad episcopos pertinere.

Postremo sciendum est quod, quando datur licentia religioso de transeundo ad aliam religionem, nunquam praelatus dans hujusmodi licentiam liberatus est a cura sua, quocumque modo detur, quousque licentiatus, secundum modum licitum, sit in alio ordine professus: alioquin esset aliquis coenobita, et tamen sub cura nullius. Dixerunt tamen aliqui quod si aliquis de sua voluntate licentiatus est de transeundo ad arctiorem ordinem, et invenit talem religionem, quae eum recipiat, non tenetur licentians revertentem recipere. Quod etiam si esset verum, non est tamen contra praedicta: potest enim esse casus in quo aliquis est de cura alicujus adhuc, et tamen non tenetur eum recipere in aliorum societatem.

Sequitur: **Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in caeteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis judicandisque peccatis, diligenter et fideliter observetur, cum dilectione hominum et odio vitiorum.**

Tradita sunt mandata circa culpas reprehendendas (1) in materia particulari, secundum distinctionem praedictam: hic autem tradit mandatum circa idem in genere dicens quatuor, scilicet quid servandum in omni peccato circa ejus deprehensionem: quia idem quod dictum est de oculi fixione; item, quoad quae et quot: quia quoad quinque, scilicet « inveniendis » etc.; item, qualiter: quia « diligenter et fideliter »; item quali motu: tali scilicet quod caveatur ne fiat aliquid circa hoc ex personae odio, sed « ex dilectione hominum et odio vitiorum ». Et haec patent in littera.

CVI. Contra illos qui aliqua vitia corrigunt in religione, et alia tolerant.

Circa primum notandum quod sunt quaedam religiones in quibus, etsi magno zelo zelatur contra carnis peccatum, tamen interdum multa alia mala tolerantur: hoc autem est diabolicum posse (et) non ex toto destruere.

---

(1) Cod. Sp.: culpam reprehendendam. - Cod. Vien.: culpam deprehendendam.

Contra quod dicitur, 1. *Reg. 15:* Vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus; non parcas ei, nec concupiscas aliquid ex rebus ejus. Quod quia non fecit Saul, retentis aliquibus de bonis ejus, quae sibi et exercitui suo placuerunt, privatus est regno suo in signum et argumentum quod praelati sic facientes non sunt digni regimine, etiam si multos habeant sub se qui hoc consulant et acceptent.

Item, tales religiosi sunt sicut Samaritae, qui ex una parte colebant Dominum, et ex alia parte retinebant idola, sicut dicitur 4. *Reg. 17.* Contra tales vero dicit Elias, 3. *Reg. 18:* Usquequo claudicatis in duas partes?

Item, praelati talium sunt sicut illi reges, de quibus frequenter dicitur in libro *Regum,* quod multa mala corrigebant: verumtamen excelsa non auferebant, semper aliqua incorrecta relinquentes. 4. *Reg. 14 et 15.*

Et nota quod religio est sicut hortus Domini. Quid autem prodest in horto removere aliquas herbas malas, vel spinas, et relinquere alias? Ideo dicitur, *Jer. 4:* Novate vobis novale, et nolite serere super spinas: sic enim qui faciunt novalia diligenter purgant quod (1) nullam spinam dimittunt.

Item, est sicut specialis camera habitationis divinae: peccata vero diversa sunt stercora animalium diversorum. Luxuria enim est sicut stercus equorum, (2) sicut et ipsi equi significant luxuriosos; gulositas vero est sicut stercus porcorum; detractio sicut stercus canum, et sic de aliis multis. Quis autem volens cameram domini sui mundare, removet inde unum genus sordium, et dimittit alia; et non potius removet omnia? Ideo dicitur, *Jac. 1:* Abjicientes omnem immunditiam. Quod quidem faciendum est specialiter in domo illa, quam specialiter decet sanctitudo. *Ps. 92.*

Item, est sicut templum Deo consecratum: in tali autem non debet inveniri (3) aliquod vestigium idololatriae diabolicae, quod est peccatum; sed solum imagines sanctorum, quae sunt virtutes. Ideo legitur quod sanctus Bonifacius, eliminata omni spurcitia daemonum

---

(1) Cod. Vien.: sic enim facientes novalia diligenter purgant, quia.... — (2) Cod. Vien.: equinum. — (3) Codd. Tol. et Grat.: remanere.

a templo Pantheon, beatae Virgini et omnibus Sanctis illud consecravit. In hujus autem figuram dixit Balaam, *Num. 23:* Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israël: Dominus autem ejus cum eo, quia scilicet ea quae Dei sunt solum, et non ea quae sunt diaboli, debent inveniri in viris (1) Israëlitis.

Quia igitur tot inconvenientia sequuntur, cum sustinentur aliqua mala in religione, etiam aliis correctis, bene dicit vir sanctus ut illud quod dixit observandum circa fixionem oculi, pertinens (2) ad incontinentiam, servetur in omnibus aliis peccatis: ut non solum contra unum genus peccati, sed contra omnia peccata ad ipsa extirpanda zelus sanctus accendatur.

Circa secundum notandum quod circa invenienda peccata dedit mandatum, ibi: « Cum (3) ergo simul estis », etc.; circa prohibenda per admonitionem fraternam, ibi: « Et si hanc de qua loquor », etc.; circa indicanda, ibi: « Si autem et post admonitionem ». etc.; circa convincenda, ibi: « Prius tamen, est alteri, vel tertio ». etc.; circa judicanda, ibi: « Convictus vero », etc.

Et vide quam sufficienter mandat quidquid potest fieri contra peccata praedicta! Quid enim amplius potest excogitari, nisi ut apponatur diligentia ad invenienda; si autem inveniuntur, ut statim corrigantur; quod si correctio fraterna non prodest, indicentur; si autem indicata negantur, quod probentur; si autem probata fuerint, per judicium juste puniantur?

Item, nota quod per hujusmodi recapitulationem in quinque praedictis, quam rationabiliter et ordinate procedit in omnibus Augustinus. Quis enim, nisi ipse recapitulasset, adverteret mandata praedicta versari circa ista quinque praecise? Quod claret evidenter ex recapitulatione. Proinde est argumentum quod etiam in aliis rationabiliter et ordinate procedit, quamvis per hujusmodi recapitulationem, vel verbis aliis, hoc non declaret expresse.

CVII. Quanto zelo sunt persequendi.

Circa tertium notandum quod illud dicitur fieri « diligenter », quod fit cum vehementi animi (4) applica-

(1) Codd. Sp. et Tol.: veris. — (2) Cod. Sp.: pertinentem; - Codd. Grat. et Vien.: pertinere — (3) Cod. Vien.: quando. — (4) Cod. Sp.: diligentissimi animi...

sequenda peccata in religione.

tione ; « fideliter » vero quod fit vitium appositione. (1) Cum ergo mandat Augustinus quod circa omnia peccata invenienda, prohibenda, indicanda, convincenda, judicandaque usque ad expulsionem etiam delinquentis, diligentia et fidelitas observetur, patet quantum zelum vult haberi contra peccata omnia in religione.

Porro ad hoc incitare debet exemplum divinum, quia Deus peccatum spirituale superbiae in coelo commissum, carnale vero gulae in paradiso perpetratum, saeculare vero de negotiatione in templo inventum tanto zelo punivit, ut illos qui deliquerant in talibus locis de illis expelleret, praeter alias poenas quibus punivit eosdem. Cum ergo religio sit quasi quoddam coelum, in quo habitant viri spirituales (2) sicut in coelo spiritus, et quidam paradisus in terra, et spirituale Domini templum, quanto zelo persequenda sunt in ipso peccata sive spiritualia, sive carnalia, sive saecularia?

Item, tria sunt, propter quae solent res aliquae cum diligentia majori purgari. Unum est pretiositas, sicut vas aureum, vel argenteum, si contrahat aliquam rubiginem: ita viros religiosos quanto meliores sunt, tanto convenit magis purgari. Et ideo, *Malach. 3,* dicitur de filiis Levi, qui debebant esse meliores quam alii: Et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum. Colatura vero hujusmodi est efficacissima ad purgandum.

Aliud est sanctitas: nimis enim male sedent sordes in re sancta. Et ideo dicitur, 1. *Mach. 4.:* Et mundaverunt sancta.

Aliud est utilitas: sicut purgantur arbores hortenses, ut fructificent melius. Et sic de homine, *Joan. 15.:* Et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.

Cum ergo religio sit status pretiosissimus, status sanctissimus, hortus Domini spiritualis, habens arbores diversas ad fructus optimos producendos, cum quanta cura sunt rubigines, sordes et excrescentiae malae ab ea purgandae!

Item, religiosi succedunt in haereditate (3) viris sanctis: et ideo

---

(1) Cod. Grat.: applicatione. — (2) Codd. Sp. et Vien: viri sancti spirituales. — (3) Cod. Vien : succedunt haereditate.

valde grave est si in eorum haereditate, in qua ipsi tam nobiliter quoad virtutes vixerunt, rusticitates peccatorum committunt. Ideo dicitur, *Is. 26.*: In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei. Ipsi etiam vivunt de bonis Domini, habentes continue ab eo bona stipendia: quanta ergo est proditio, (1) si tales faciunt aliquid contra eum? Ideo dicitur contra tales, *Ps. 54.*: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero, qui simul mecum dulces capiebas cibos, etc. Et *post:* Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes. Ipsi etiam ad hoc electi sunt et sequestrati a mundo ut sint sancti, sicut pars pecudis sequestrata Domino erat sancta. *Lev. 20.:* Sancti eritis mihi, quoniam ego sanctus sum, et separavi vos a caeteris gentibus, ut essetis mei. Quanta ergo est ingratitudo, cum illi quibus tanta gratia facta est a Domino in tali electione, vivunt profane?

Quantum ergo persequenda sunt peccata talium, qui tantum tenentur ad contrarium, et ratione successionis sanctorum, et ratione stipendiorum divinorum, et ratione electionis divinae?

Item, tria sunt quae solent multum excusare a peccato.

Primum est ignorantia; sed istam non habent religiosi, quia habent Scripturas, habent doctrinas, habent sapientes, a quibus semper possunt certificari de dubiis: et ideo dicuntur viri Israëlitae, id est cognoscentes Deum, quia magnam habent notitiam divinorum.

Secundum est mala societas, quae frequenter impellit ad malum; sed et istam non habent: immo e contrario bonam trahentem ad bonum; et ideo sicut pervertitur homo cum perversis, et ipsi cum sanctis deberent esse sancti. *Ps. 17.*

Tertium est negotiatio mundi, quae frequenter dat occasionem peccati, ut onus domus regendae avaritiae, negotiationes mendaciis, discursus malus concupiscentiis eorum quae videntur, et similia. Propter quod dicitur 1. *Joan. 5.*: Totus mundus in maligno positus est, id est in malo igne, id est in occasionibus inflammantibus ad malum. Religiosi vero, et maxime claustrales, non habent hujusmodi occasiones, cum non habeant vacare nisi soli Deo. Cum ergo pec-

(1) Cod. Sp.: perditio.

cata eorum non habeant excusationes, sicut peccata multorum aliorum, plus sunt merito (1) persequenda.

Item, peccata in religione perdunt animas eorum qui propter salutem suam religionem intraverunt. Perdunt etiam famam: sicut enim stercora non possunt diu esse in loco quantumcunque ornato (2) quin foeteant, ita nec peccata. Perdunt etiam temporalia: quia perdita fama, devotio hominum, quae temporalia conferebat, citius aufert quam conferat. Si ergo abbas dissipator temporalium tam odibilis est omnibus, quantum sunt odienda peccata in religione, quae et haec et plura multo meliora dissipant?

Item, cum peccata in religione non extirpantur, multiplicantur; sicut herbae malae in horto vel in agro. *Prov.* 24.: Per agrum pigri hominis transivi. Et *post*: Et ecce totum repleverant urticae. Et hoc quia piger non extirpaverat statim orientes. Non solum autem augentur; sed indurantur, ita ut fiant quasi incorrigibilia. Augustinus: Dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Non solum autem fiunt incorrigibilia; sed, quod malorum est extremum, non reputantur peccata. (3) Augustinus: Jacob quatuor objiciuntur uxores; quod quando mos erat, peccatum non erat, id est non reputabatur, secundum unam expositionem. Cum ergo ex tolerantia peccatorum tanta inconvenientia sequantur, (4) non sunt, ut dicit beatus Benedictus in regula sua, aliquatenus dissimulanda; sed statim, ut orta fuerunt, radicitus amputanda.

Patet ergo ex praedictis quod si consideratur religionis locus et status, peccatorum quoque religiosorum gravitas et inexcusabilitas, damna quae inferunt et incorrectorum pericula, animandi sunt omnes religiosi ad zelandum ferventer contra peccata.

CVIII. De dilectione hominum et odio vitiorum servandis in correctione.

Circa quartum notandum est quod virorum bonorum est a peccato declinare. *Ps.* 36.: Declina a malo, et fac bonum; non solum hoc est eorum, sed quod melius est, fugere peccatum, *Eccli.* 21.: Quasi a facie colubri fuge peccatum; immo quod optimum est, odire pec-

(1) Cod. Vien., ex correct. marg.: non immerito. — (2) Codd. Tol. et Grat.: occulto. — (3) Cod. Vien.: mala. — (4) Cod. Grat.: subsequantur.

catum, *Rom. 12.*: Odientes malum. Et vere odiendum est a bonis peccatum: Deus enim noster nihil odit nisi peccatum, et ipsum summe odit; et ideo amici ejus summe debent odire peccatum. *Ps. 96.*: Qui diligitis Dominum, odite malum; sicut scilicet ipse odit.

Praeterea, naturale est odire rem nocivam, sicut ovis odit lupum naturaliter. Et ideo dictum est: Odio habebis inimicum tuum, *Matth. 5.* Non quod Scriptura hoc alicubi (1) praecipiat, sed nimis adhaerentes naturae hoc dixerunt. Peccatum autem summe nocet. Sicut ergo, cum lupus nocivus gregi comparet, (2) et pastores, et canes, et totus grex commovetur, tamquam in rem odiosam; ita quandocumque alicubi apparet peccatum, debent omnes in istud tamquam in rem odiosam insurgere. (3)

Praeterea, nuntius, qui semper nuntiat odiosa, solet multum haberi odio; de peccato vero nunquam auditur bona cantio; sed semper mala praenosticat omnis Scriptura loquens de eo. Si ergo Achab odiebat Michaeam, quia non nuntiabat ei nisi malum, sicut dicitur 3. *Reg. 22,* quantum odiendum est malum omnibus, quod innumerabilia mala et praenosticat et adducit?

Sed sciendum quod aliqui quoad aliquos male moti sub specie persequendi peccatum, homines persequuntur interdum. Isti sunt sicut Scribae et Pharisaei, qui non ex charitate, sed propter invidiam et odium quod habebant ad Christum, accusabant eum, modo de sabbati violatione, modo quod se Filium Dei vocabat, et de similibus. Sunt iterum sicut rex Babylonis, qui sub specie potus dedit Sedeciae potionem laxativam, de quo confusus est, ventre coram omnibus laxato, sicut dicitur in historiis. Ita et isti sub specie charitativae correctionis homines confundere intendunt. (4) Sunt etiam sicut principes et satrapae Babylonii, qui non quaerebant accusare Danielem, ut cessaret a malo; sed quaerebant malum, ut invenirent occasionem contra eum. *Dan. 6.* Scrutati sunt iniquitates. *Ps. 63.*

Sunt et alii qui, licet non ex proposito in correctionibus homines persequantur, tamen ex defectu verae dilectionis, sic incaute

---

(1) Cod. Vien.: alicui. — (2) Cod. Vien.: sicut ergo est lupus nocivus gregi cum apparet. — (3) Cod. Grat.: exsurgere. — (4) Cod. Vien.: nituntur.

agunt interdum, calamum quassatum confringentes, et linum fumigans extinguentes, quod correctio, quae deberet correctis esse ad vitam, cedit eis plerumque ad mortem. Sed dilectio, quam quis habet ad vas vitreum suum, docet eum quod lavando ipsum, sic caute tractet quod non confringat.

Item, dilectio quam habet mater ad filium suum parvulum, docet eam quod abstergendo sordes a naso sic leniter faciat ne sanguinem eliciat. Dilectio, quam habet quis ad lumen lucernae, docet eum ut sic discrete emungat ne lumen extinguat, et foetorem educat. Cum ergo quis alium in corrigendo sic incaute confricat, quod confringat, juxta illud, *Ps. 88:* Destruxisti eum ab emundatione; sic emungit fortiter nasum ejus quod eliciat sanguinem ejus, prout dicitur, *Prov. 30;* sic lucernam emundat sine arte emungendi, propter quam (1) praecepit Dominus fieri emunctoria, *Exod. 25,* quod totam extinguat: patet quod est ex defectu dilectionis et charitatis, quae docet de omnibus faciendis.

Quia ergo vitia summe sunt odienda, et quando propter malum motum, vel praeter dilectionem corriguntur, sequuntur inde mala praedicta tam in corrigente quam in correcto, bene dicit vir sanctus, quod fiat correctio « cum dilectione hominum, (2) et odio vitiorum. »

Sequitur: **Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum ut occulte litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, si hoc ultro confitetur, parcatur illi et oretur pro eo. Si autem deprehenditur et convincitur, secundum arbitrium presbyteri vel praepositi gravius emendetur.**

Tradita sunt mandata circa correctionem vitiorum, quae comprehenduntur ab illo loco: « Quando ergo simul estis », usque huc. Hic autem tradit circa illa quae gratis recognoscuntur. Sicut autem supra mandata posuit circa particularem materiam primo, postea in genere: ita hic ponit materiam particularem. Et quia de similibus simile debet esse judicium, intelligendum est quod idem observatur

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: quod. — (2) Cod. Sp.: hujusmodi.

in omnibus aliis, sicut dicit supra in aliis, quamvis hoc hic expresse non dicat. Quia vero quae pertinent ad inhonestatem impudicitiae quasi nunquam inveniuntur, nisi deprehendantur; quae vero pertinent ad tractatum alicujus rei temporalis indebitae facilius recognoscuntur, quia non habent ad recipiendum tantam verecundiam; supra in deprehendendis descendit ad illam materiam, hic vero ad istam.

CIX. Quantum malum sit accipere aliquid, sine licentia, et precipue munuscula a mulieribus.

Notandum autem quod extendere manum ad recipiendum litteras homini cujus voluntas est in alterius potestate; vel quodlibet munus aliud, quantumcunque modicum, illi qui nihil potest habere, est culpa non modica, licet quidam non multum ponderent. In vitiis enim spiritualibus, cum effunduntur usque ad manus, reputantur (1) esse in summo gradu, sicut patet in ira. Gravis enim est, cum est in corde; est gravior, cum in verbis effunditur: gravissima, cum usque ad manus percutiendo prorumpit. Similiter in carnalibus gravis est impudicitia in mente, sed gravior est in verbis, sed gravissima cum usque ad tactum impudicum procedit. Eadem ratione in temporalibus (2) grave est delictum rem quam non licet habere concupiscere; gravius, cum verbis procuratur: sed gravissimum, cum actu perpetratur.

Praeterea, inter membra humana quaedam sunt quae rebellant spiritui omnino, ut genitalia; quaedam, si (3) omnino non rebellent, tamen difficile obediunt, ut pedes: sed manus valde obediens est et mobilis, modo huc, modo illuc in omnem partem. Et ideo tanto inexcusabilior est spiritus, si aliquid mali perpetrat (4) in accipiendo illicitum, quanto est eidem obedientior manus.

Praeterea, quidam sunt sensus quorum organa, velit nolit homo, patiuntur ab objecto, ut aures et nares, quia non habent a natura operculum defendens; quidam vero quorum organa a natura habent defensivum, ut oculi palpebras: et ideo, quia possunt se defendere cum vult spiritus per opercula hujusmodi, non patiuntur nisi cum vult spiritus. Sensus vero tactus, cujus speciale organum manus est,

---

(1) Cod. Sp.... usque ad manum, reputatur.... — (2) Cop. Grat.: saecuribus. — (3) Cod. Grat.: quae etsi. — (4) Cod. Vien.: pertractat.

non egreditur in actum tangendo, etiam si velit homo, nisi cum labore quodam et difficultate, eo quod oportet ipsam manum appropinquare ad rem distantem, quia tactus non est per medium sicut visus, sed est rei immediate. Cum ergo delictum quod habet majorem difficultatem ad sui perpetrationem hoc ipso sit gravius, non est sine grandi malo, cum manus extenditur ad aliquid illicitum accipiendum, tum quia malitia in tali facto effunditur usque ad manum, tum quia manus super omnia alia membra obediens est spiritui, tum quia tardior est ad actum suum, eo quod non nisi cum difficultate a spiritu ad illum trahatur. Et ideo signanter dicit vir sanctus: « in tantum progressus fuerit malum », innuens quod est non leve malum, sed magnum valde religioso accipere aliquid illicite, id est sine licentia: quod vocat « occulte » fieri, quia fit sine licentia praelati.

Quamvis autem hoc semper sit tamquam malum cavendum, tamen specialius caveant viri sancti a litteris et munusculis recipiendis a mulieribus. Et ideo dicit Hieronymus: Dulces litteras et crebra munuscula sanctus amor non habet. Hujusmodi enim sunt amantium stulto amore, et ideo sunt species mali, a qua cavendum est, secundum Apostolum 1. *Thes.* 5: Ab omni specie mala abstinete vos.

Item, per haec inspecta reducitur mulier ad memoriam, per quod solet sanctos diabolus infestare.

Item, per haec nutritur et augetur affectus circa mulieres, (1) quod est valde periculosum, quia de facili degenerat in malum.

Item, per haec familiaritas mulieribus (2) acquiritur, quae quantum sit reprehensibilis patet ex dictis.

Item, hujusmodi munera sunt quasi inutilia et recipienti et aliis: et ideo tamquam a superfluis cavent (3) qui non curant nisi de necessariis in hoc mundo.

Item, notandum quod quidam sunt qui ratione antiquitatis, vel ratione alicujus excellentiae (4) qualiscumque, solent aliquando plus

---

(1) Cod. Vien.: affectus mulierum. — (2) Cod. Vien.: mulieris. — (3) Cod. Sp.: caveant. — (4) Cod. Vien.: dignitatis.

excedere in hujusmodi receptione, reputantes quod verecundum sit eis vel indecens licentiam assidue petere pro hujusmodi minutis recipiendis. Et praelati quidam, qui in minoribus fratribus ista rigide corrigunt, majores non (1) audent corrigere. Praelati isti sunt sicut myrmicholeon, (2) qui dicitur leo formicarum, qui (3) in formicas desaevit: ita et isti in minores. E contra vero David faciebat qui pugnavit cum leonibus, 1. *Reg. 17*: quod quidem est probitatis; primum vero ignaviae.

CX. Quod vitia majorum magis sunt corrigenda quam minorum.

Et attende quod tale delictum, sive aliud quodcumque, magis est corrigendum in majoribus. Ipsi enim sunt exemplar minorum: exemplar vero, unde alia transcribuntur, primo et diligentius debet (4) corrigi.

Item, ipsi sunt caput minorum. Sapienti vero medico major est cura de infirmo per totum corpus patiente de curatione capitis, eo quod inde fluunt bona et mala ad alia membra.

Item, ipsi sunt fons, (5) unde fluunt rivuli exemplorum. Non possunt autem rivuli esse clari, fonte turbato: et ideo primo purgandus est fons, ut puri sint rivuli. Hinc est quod in purgatione Israëlitici populi a mulieribus alienigenis primo incoeptum est a majoribus, scilicet a filiis Josedec et fratribus ejus, sicut habetur 3. *Esdr. 9.* (6) Hinc est etiam quod ipse Dominus plus increpabat majores inter Judaeos, scilicet Scribas et Pharisaeos, quam minores, licet omnes essent reprehensibiles. Hinc est iterum quod in die Coenae prius lavatur majus altare quam minora, quia ad purgationem et correctionem majorum primo et principalius est intendendum. Et ideo dicitur, *Ezech. 9,* viris deferentibus vasa interitus: A sanctuario meo incipite. Incoeperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante faciem domus.

Cum ergo tot rationes ostendant quod majores magis sint corrigendi, quanto magis absque acceptione personae, cum sub eodem

---

(1) Cod. Sp.: majores vero non. — (2) Ex graeco μύρμηξ-λέων; gallice: fourmi-lion. De cujus moribus cf. Milne - Edwards, *Hist. nat.* — (3) Cod. Vien.: quia. — (4) Cod. Vien.: solet. — (5) Cod. Vien.: fontes. — (6) Vide p. 199, in nota 3.

voto vivant, sunt sicut alii corrigendi! Et ideo dicit vir sanctus: « Quicumque »; quasi dicat: quicumque ille sit, absque acceptione personae.

CXI. Quod delicta confessa levius punienda sunt quam probata et quare.

Iterum attendendum est quod ille qui gratis recognoscit culpam, videtur magis poenitens quam ille qui non recognoscit nisi convictus. Et ideo dignus est majori misericordia. *Luc. 17.*: Si poenitentiam egerit, dimitte illi.

Praeterea quanto benignius agitur cum illo qui gratis culpam suam recognoscit, tanto magis (1) videntes haec animantur ad similia, sicut ad Dominum Jesum audacius appropinquabant peccatores propter benignitatem quam eis exhibebat, sicut patet *Luc. 15.*

Praeterea reus quanto plus fatigat actorem et judicem, tanto, si finaliter invenitur in culpa, dignior est poena majore; et quanto minus fatigat, tanto dignior est gratia. Qui autem non recognoscit culpam nisi convictus, multum laborem praestat in sua iniquitate accusanti et judici; qui autem gratis recognoscit, quasi nullum laborem praestat eis.

Ex his ergo patet quod recognoscens culpam suam gratis multo minus est puniendus quam convictus, et ratione sui, quia poenitens videtur; et ratione assistentium, quia ad bonum ex hoc provocantur; et ratione contra eum agentium, quos minus fatigat. Et propter hoc bene dicit: « parcatur illi », quod intelligendum est, non quoad totum, sed quoad tantum; « et oretur pro eo », ut sicut benigne agitur cum eo ab homine, ita et Deus etiam pie agat cum eo.

Sic igitur circa praedictum mandatum declarata sunt tria: unum est quod non leve est malum religioso aliquid, quantumcunque modicum, sine licentia accipere; quod innuit Augustinus cum dicit: « in tantum progressus fuerit malum », etc.; aliud est quod illud corrigendum est in omnibus absque acceptione personae, quod innuit, cum dicit: « Quicumque autem », etc.; aliud est quod levius est istud puniendum in confesso quam in convicto, quod tangit cum

(1) Codd. Sp. et Il.: quo benignius.... eo magis....

dicit: « si haec ultro », etc.: quod est intelligendum similiter faciendum in omnibus aliis culpis gratis confessis. (1)

Sequitur: **Vestes vestras in unum habeatis, sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne a tinea laedantur.**

CXII. De vestitu. Hic est quartum capitulum regulae, in quo agitur de his quae pertinent ad religiosos in quantum sunt in statu necessitatum multarum.

Primo autem tradit mandata circa hujusmodi necessitates; secundo circa officiales qui circa haec sunt necessarii, ibi: « Sive autem qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus praeponuntur ». Licet autem sint variae necessitates religiosorum, tamen duae sunt majores, circa quas solent fieri frequentius defectus, scilicet indigentia vestium et infirmitas. Et ideo circa hoc specialiter tradit mandata: circa secundum, ibi: « Lavacrum etiam corpori », etc.; circa primum hic.

Et notandum quod interdum offenditur in religione in negligentia custodiendi vestes, et ideo tradit mandatum circa custodiam vestium dicens: « Vestes vestras », etc., et hoc est primum; interdum circa carentiam, et ideo tradit mandatum circa provisionem dicens: « Et sicut pascimini », etc., et hoc est secundum; quandoque circa distributionem, et ideo tradit circa hoc mandatum dicens: « Si fieri potest », etc., et hoc est tertium; quandoque circa operationem, et ideo tradit circa hoc mandatum dicens: « Tamen si vestra toleratur infirmitas », etc., et hoc est quartum; quandoque circa receptionem vestium collatarum, et ideo tradit mandatum circa hoc dicens: « Consequens ergo est », etc., et hoc est quintum; quandoque circa lotionem, et ideo tradit mandatum circa hoc dicens: « Indumenta vestra », etc., et hoc est sextum.

Circa primum attendendum est quod aliqui, licet custodiant vestes a latronibus, et igne, et hujusmodi magnis laesionibus, tamen non a

---

(1) Hic in Codd. Tol. Grat. et Vien., legitur in titulum: Incipit quartum caput regulae, de Vestitu.

modicis laesionibus, sicut est a corrosione vermium, et similibus. (1) Alii vero (2) ita sunt solliciti custodire vestes suas, quod reponunt eas in arcis suis, et non in loco communi. Aliquando vero, cum ponuntur in loco communi, sunt tot vestes et tam pauci custodes communes, quod non sufficiunt; et ideo in isto mandato, quod est circa custodiam vestium, tria tanguntur (3) contra ista tria. Contra primum: « ne a tinea laedantur »; contra secundum: « in unum habeatis »; contra tertium: « sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere possunt », etc.

CXIII. Quod res communes monasterii sunt servandae diligenter.

Est autem argumentum ex hoc manifestum quod res communes monasterii sive ad vestitum, sive ad victum, sive ad alia quaecumque pertinentes, sunt cum magna diligentia conservandae, quantumcunque sint modicae. Hinc est quod, sicut supra dictum est, legitur in *Libro Collationum* quod, cum quidam frater in sua hebdomada lavaret legumina, et tria grana lenticulae per ejus negligentiam cecidissent in terram collapsa de manu (4) ejus, quidam alius transiens, et videns hoc, denuntiavit abbati: et judicatus quasi sacri peculii neglector, suspensus est ab oratione, nec aliter remissus est, nisi eum prius publica poenitentia diluisset. Hinc est etiam quod dicit Dominus, *Joan. 6.:* Colligite fragmenta, ne pereant. Hinc est iterum quod dives evangelicus, *Luc. 16.,* propter micas mensae suae male custoditas, cum canes illas comederent, et Lazarus non posset de eis habere, punitus est in inferno gutta aquae negata. Gregorius: Guttam petiit qui micam negavit.

Porro, multiplex est ratio quare a religiosis, et maxime cum sint pauperes, hujusmodi, licet modica, diligenter servanda sunt. Si enim divites saeculi hujus male custodiunt, non oportet eos alios gravare quaerendo, (5) cum adhuc abundent: pauperes vero religiosos, his perditis, oportet quaerere ab aliis; et quanto plus quaerunt, tanto plus eos gravant. Paulus ne gravaret subditos qui ei tenebantur ad

---

(1) Cod. Vien.: sicut est corrosio vermium, et similia. — (2) Cod. Grat.: alii vero qui sunt solliciti.... reponunt. — (3) Cod. Grat.: dicuntur. — (4) Cod. Vien.: manibus. — (5) Cod. Vien.: alia quaerendo.

stipendia, laborabat manibus suis, sicut dicitur 1. *Thess.* 2. Quanto magis tales elaborata ab aliis debent custodire, ne iterum gravent eos!

Item, apud saeculares ut frequenter veteres vestes, et residua bonorum aliorum male expenduntur: apud religiosos vero expenduntur in pauperes. Si ergo secundum verbum Apostoli operandum est manibus propriis, ut habeat quis unde tribuat necessitatem patienti, *Eph.* 4., quanto magis isti debent servare diligenter quae sunt futura pauperum!

Item, frequenter ea quae habent isti religiosi sunt de necessitatibus pauperum, quae sibi subtrahendo largiuntur eisdem: cum qua ergo conscientia possunt haec negligenter custodiri a servis Dei, quae propter eos vitae suae pauperes subtraxerunt? Quale fuisset si Elias panem parvulum, quem sibi dedit pauper vidua de suae vitae necessitate, dimisisset perire? Non sic fecit; sed ipse, et ipsa, et domus ejus comedit, et meritis ejus divina virtute in viduae usus farinula et lecythus olei non defecit, 3. *Reg.* 17.

Item, hujusmodi, quae dantur religiosis pauperibus, dantur pro peccatis, et ideo sunt pretium animarum. Quale autem est de pretio animarum non curare qualiter tractetur? 2. *Reg.* 23., dicitur de David quod noluit bibere periculum animarum de aqua cisternae de Bethleem sibi apportata. Quanto magis cavendum est Dei servis, ne pretium animarum inutilius pereat apud eos?

Item, sicut personae religiosae sunt Domino consecratae, ita et bona quae eis dantur Domino consecrantur: res autem sacrae solent diligentius custodiri. Ideo dicitur in *Libro Collationum* de antiquis patribus: Omnia quae sua sunt credunt Domino consecrata: propter quod, si aliquid fuerit in monasterio illatum, ut sacrosanctum cum omni reverentia debere tractari. Certum est autem quod illud quod sic tractatur, diligenter custoditur.

Item, sunt quidam domini qui non exigunt districtam rationem a suis ministris de bonis manibus eorum commissis, et ideo ministri eorum solent negligentius bona eorum custodire: Dominus autem non est talis; immo adeo requirit rationem districtam, quod ponit in carcere ministros suos, donec reddant novissimum minutum, sicut dicitur *Luc.* 12. Cum ergo religiosi sint non domini, sed bonorum

ejus ministri, cum quanta sollicitudine debent illa custodire, de quibus exigetur ratio tam districta!

Attendant ergo religiosi pauperes quod ea quae habet monasterium data sunt eis tamquam pauperibus, et quod eis superfluit est in pauperes expendendum, ipsi quoque qui largiuntur interdum sunt pauperes, et quae eis data sunt animarum pretia sunt, (1) quod sunt etiam Deo consecrata, et quod de eis oportebit districtam reddere rationem; et ne pereant, aut inutiliter consumantur, vel ex aliqua negligentia deteriorentur, vel in aliquo laedantur, custodiant diligenter.

Sequitur: **Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario.**

CXIV. De providendo fratribus de vestibus.

Hoc est mandatum secundum quod tradit circa vestium provisionem. (2) Et tanguntur hic tria, scilicet substantia mandati, cum dicitur: « induamini »; modus implendi, cum dicitur: « ex uno vestiario »; ratio mandati a simili tracta, cum dicitur: « sicut pascimini ex uno cellario ».

Circa primum notandum quod multa mala solent sequi ex negligentia providendi competenter religiosis in vestibus.

Sequuntur enim ex hoc frequenter infirmitates corporum, quae facile ex frigore contrahuntur, quas et interdum mors sequitur. (3) Hinc est quod ille summus Abbas, postquam primi parentes facti sunt passibiles et mortales, fecit eis, sicut dicitur *Gen. 3.*, tunicas pelliceas, quae valent contra frigus, relinquens in hoc exemplum aliis abbatibus, ut suis subditis competenter provideant in vestibus contra morbos et mortem. (4)

Item, vitia (5) animorum, scilicet contentiones et murmura, cum conqueritur aliquis se deterius accepisse quam prius habuerat, et « indignum se esse quod non ita (6) vestiatur sicut alius frater vestiebatur », sicut dicit infra Augustinus.

---

(1) Cod. Grat.: pretium. — (2) Cod. Vien.: provisiones. — (3) Cod. Vien.: mortes sequuntur. — (4) Cod. Grat.: mortes. — (5) Cod. Grat.: vitium. — (6) Edita plerumque habent: « quod ita vestiatur. » Nos tamen supradictam

Item, contemptus apud imperitos, qui videntes pauperem in sordido habitu, non honorant eum sicut vestitum decenter; sed contemnentes dicunt ei: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, sicut dicitur *Jac. 2.* Et ex hoc contingit quod minus decenter vestiti, apud homines mundi non habentes accessum, non possunt apud eos proficere, sicut expediret, eorum saluti.

Item, horror religionis. Horrent enim multi vestimentum despectum. (1) Et ideo hoc videntes in religiosis aliquibus, fugiunt eorum religionem, qui propter hoc possunt dicere illud *Ps. 30.*: Qui videbant me, foras fugerunt a me.

Item, infamatio ejusdem. Exemplum. Cum quidam diceret coram quodam philosopho de duobus, quorum unus erat pauper, alter dives, quod essent amici, dixit philosophus: Cur (2) ergo unus pauper est, alter dives: amicus non est, qui fortunae particeps non est.

Item, possunt dicere multi videntes istum bene vestitum, alterum male: Quae est ista fraternitas quae est apud istos, qui sic dissimiliter sunt vestiti?

Item, charitas sic male providentium in vestibus suis subditis superatur a natura, cui summa cura est de bene vestiendo omnia quae sunt sub cura sua. Non solum enim gressibilibus dedit pelles, et volatilibus plumas, et natatilibus coria; sed etiam terrae nascentibus pulchrum colorem. Ideo Dominus, *Matth. 6.*, docet hoc considerare dicens: Considerate lilia agri; dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Quid potest paterna cura ad hoc dicere, considerata naturae (3) diligentia erga suos?

Propter haec ergo praedicta mala cavenda, valde curandum est rectoribus religionum quod fratribus provideatur in vestibus diligenter.

---

admittimus lectionem quà longe verosimiliorem, et in Codice Liturgiae nostrae primigenio codd. passim admissam. — (1) Cod. Vien.: vestium despectum. - Hic nonnulla stulta in editis leguntur, a quibus referendis abstinemus. — (2) Codd. Vien. et Sp.: quomodo. — (3) Codd. Vien. et Sp.: naturae campi diligentia.

CXV. De bono et malo providendi in vestibus.

Circa secundum notandum quod in quibusdam religionibus, maxime possessiones habentibus, providetur canonicis hoc modo, videlicet quod datur cuilibet certa summa pecuniae quolibet anno, de qua providet sibi in vestibus prout vult. Sed hoc est expresse contra regulam, quae dicit supra: « Distribuatur victus et tegumentum (vel vestimentum) non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes ». Per hujusmodi enim modum aequaliter omnibus providetur plus et minus indigenti.

Praeterea vel hoc est proprietas, vel saltem proprietatis species manifesta: quorum utrumque cavendum est.

Item, per hoc datur interdum occasio religioso expendendi quod pro vestibus datur in usus alios praeter domini voluntatem, quod furtum reputatur, et adhuc remanet eadem indigentia vestium.

Propter hoc alii haec inconvenientia declinare volentes, faciunt aliter, ordinantes quod illud quod datur pro vestibus fratri, sive deintus, sive deforis, sive in panno, sive in pecunia, servetur eidem sub communi (1) custodia: ita tamen quod alii nunquam datur. Sed hoc iterum est contra regulam, quae vult omnia esse communia; et infra dicit expresse de hujusmodi quod « in locum communem redactum, cui necesse fuerit praebeatur ».

Praeterea per hoc aufertur viris sanctis illa confidentia de Deo quae dicit eis non esse cogitandum de crastino, cum ipsis per hoc provideatur usque ad annum, vel magnum tempus, certitudinaliter de vestibus per hujusmodi ordinationem, contra illud *Matth. 6.*: Et de vestimento quid solliciti estis?

Item, hoc non caret specie proprietatis: ita enim proprietarius est ille qui facit sibi aliquid ab alio (2) illicitè conservari, sicut ille qui conservat apud se.

Propter hoc alii reprobantes hos modos, tenent alium modum, praecipue in pauperibus religionibus, dantes licentiam singulis quod quilibet sibi provideat tempore necessitatis, quaerendo ab amicis, vel familiaribus. Sed hoc iterum reprobandum videtur, quia sequitur ex

(1) Cod. Vien.: servatur idem in communi. — (2) Cod. Vien.: aliquo.

hoc multa inaequalitas, cum videlicet unus habet a quo requirat, (1) alter non; unus cum facilitate multa potest acquirere, alter non sine multa difficultate; unus invenit aliquem qui dat ei bonas vestes, alter non nisi viles. Si autem apud saeculares tantum curatur de aequalitate, quod abundantia divitum debet supplere indigentias pauperum, secundum Apostolum, 2. *Cor. 8.*, ut fiat aequalitas, quanto magis viris ejusdem professionis curandum est de hujusmodi aequalitate!

Praeterea, ex hujusmodi ordinatione coguntur homines resumere curam sui quam deposuerant, contra illud Bernardi: Qui nobis semel curam vestri commisistis, quid iterum de vobis vos intromittitis?

Item, ex tali ordinatione minuitur meritum charitatis, quae communia propriis anteponens magis proficit, sicut dicitur infra: hic autem relictis pertinentibus ad commune, propriis intenditur. Propter hoc, istis tribus modis reprobatis, ordinandum est apud pauperes quod ita pro communi quaeratur quicquid quaeritur pro vestibus, quod etiam in communi ponatur quicquid datur, quicquid pro vestibus habetur, et ex uno vestiario provideatur omnibus, sicut dicit vir sanctus. Nec est diffidendum quin sanctis viris (2) modum istum magis sanctum servantibus provideat ille qui quaerentibus justitiam promittit, *Matth. 6.*, non solum victum, sed etiam vestitum.

CXVI. Contra illos qui singulariter melius procurantur quam alii.

Circa tertium notandum quod victus et vestitus habent simile aliquid, quia utrumque est necessitatis humanae; propter quod Paulus conjungit ea dicens, 1. *Tim. 6.*: Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Et eadem de causa Dominus jungit eadem in Evangelio dicens, *Matth. 6.*: Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Et ideo bene adducit Augustinus unum ad probandum alterum, dicens: « sicut pascimini », etc.

Sed cum probans debet esse certius probato, relinquitur ex hoc pro certo quod magis servanda est communitas in victu quam in vestitu, cum hanc ostendit per illam. Quam reprehensibile est ergo

---

(1) Cod. Vien.: acquirat. — (2) Codd. Vien. et Sp.: sanctis viris bonis; cod. Grat.: viris bonis.

in religione, cum aliqui procurant sibi singulares comestiones in pictantiis, et vinis, et hujusmodi in hospitiis, in infirmitorio, quae communiter alii non habent! Hoc est vitium per quod provisio conventus negligitur. Exemplum. Fuit quaedam abbatia in qua de consuetudine reservabatur quoddam bonum vinum pro conventu, usque ad tempus quo solebant vina corrumpi. Semel autem, appropinquante tempore illo, venit cellerarius et alii officiales ad abbatem, qui vir sanctus reputabatur, et dicunt ei: Domine abbas, habemus grave debitum; nec videmus unde possumus solvere, nisi vendamus vinum istud. Quod audiens abbas, et compatiens conventui, dixit eis: Pro Deo! videte diligenter si habemus lanam, vel caseos, vel bladum, vel aliquid aliud quod posset vendi, quia nimis grave erit conventui subtrahere, qui multum sustinet laborem, recreationem quam solet habere de vino isto. At illi dixerunt: Satis deliberavimus et cogitavimus circa hoc; sed non invenimus aliud consilium. Tunc abbas dixit: Venite cras ad capitulum, et ordinabimus de hoc aliquid. Ipsis ergo et aliis praesentibus, dicit abbas conventui necessitatem quam habebant de vendendo vinum illud. Et inducens eos ad patientiam multis modis, inter alia subjunxit: Propter hoc magis sustinete patienter, quia promitto vobis bona fide quod per totum tempus istud ego non bibam aliud vinum nisi quod vos bibetis; et praecipio in virtute sanctae obedientiae cellerario, et omnibus aliis officialibus, quod nullus in domo vel extra bibat aliud, nisi illud quod bibit conventus. Soluto ergo capitulo, cum aliquot dies bibissent cellerarius et alii officiales malum vinum conventus, coeperunt conferre ad invicem si possent aliud invenire unde debitum solveretur. Et invenientes regressi ad abbatem, dixerunt: Domine abbas, invenimus tale et tale consilium, per quod possumus solvere debitum sine venditione vini istius. Quod audiens abbas, dixit: Deo gratias! Bonum est consilium! Fiat ita! (1) Quis autem dubitet quod ex hoc negligitur provisio conventus, quia majores habentes suas recreationes

(1) Qui abusus olim frequentius inolevit apud monachos, unde cantilenae de his passim recitabuntur: « Bonum vinum cum sapore, | Bibit abbas cum priore: | Sed conventus de pejore | Semper solet bibere. »

singulares extra conventum, nec exemplo Domini moventur, ut sint solliciti de turba conventus quid comedat, vel bibat?

Item, per hoc non solum negligitur provisio conventus: immo, quod pejus est, subtrahitur ei quod suum erat futurum. Frequenter enim personae devotae, quae hujusmodi singularia conferunt personis singulis, conferrent haec vel alia communitati: sed non sufficit (1) communi molendino ministrare aquam quae est ad proprium jam attracta; et sic perit charitas, quae « communia propriis anteponit. »

Item, refectorium relinquitur sicut domus deserta, quae est maledictio praedicta a Domino super Judaeos, *Matth. 23.* Propter hujusmodi enim singulares et bonas refectiones quae habentur extra refectorium, fugiunt multi refectorii duritiam vitae communis: (2) propter quod viri sancti, amatores religionis, dant operam omnem ut etiam melius habeatur in refectorio quam extra, ut per hoc attrahantur omnes, etiam imperfecti, plus ad sequendum vitam communem: quia hoc sine dubio plus inducit multos ad hoc quam possint inducere monitiones, vel mandata quaecumque. Exemplum. Dicitur quod cuidam nobili abbatiae quidam dives reliquit quamdam optimam vineam, hoc pacto quod de vino illius non posset aliquis bibere extra refectorium. Singulis autem annis, cum illud vinum bibebatur in refectorio, illi, qui frequenter toto anno erant extra refectorium, tunc temporis veniebant ad refectorium, sive senes, sive debiles, sive etiam contracti cum potenciis. (3) Sic nimirum volatilia et animalia cuncta libentius ad bona pascua congregantur, sicut tangitur *Apoc. 19.*

Item, per hoc in loco communitatis magna inaequalitas consurgit, cum alius esurit, alius ebrius est. Cujus contrarium faciendum ostendit Dominus in deserto, cum manna de coelo veniens aequaliter dedit minoribus et majoribus. 1. *Cor. 10.*: Omnes eamdem escam spiritalem manducantes, (4) scilicet manna, tam Moyses et alii majores, quam alii minores.

---

(1) Cod. Vien. sufficiunt. — (2) Cod. Sp.: et vitae communis. — (3) Gallice: « potences, béquilles. » - Cod. Vien.: cum potentibus. — (4) Cod. Grat.: manducaverunt.

Item, ex hoc scandalizantur infirmi, cum scilicet vident majores, et qui deberent in dando exemplum durioris vitae alios praecedere, sequi magis vitam delicatam. Contra quod dicit Apostolus, 1. *Cor. 8.:* Si esca mea scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum.

Item, ex hoc accidit quod homines carnales, qui scilicet dati sunt ventri, spiritualibus praeponuntur in domo Dei; cum illi delicate, isti dure tractentur. Quod est contra justitiam, cum illi indigni sint pane, secundum Augustinum; isti vero digni sint angelorum cibo. Plus ergo debetur istis quam illis: omnibus autem sunt debita reddenda, secundum Apostolum, *Rom. 13.*

Propter haec ergo mala non sunt tolerandae hujusmodi procurationes singulares in claustris; sed de uno communi cellario procurandi sunt omnes multo fortius, quam de uno communi vestiario vestiendi.

Sequitur: **Si fieri potest, ad vos non pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur; utrum hoc recipiat unusquisque quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur.**

Hic tertio loco incipit tradere mandata circa distributionem vestium, circa quam solent accidere duo ex parte recipientium: unum est imperfectionis, alterum justae reprehensionis. Primum est quando quis non solum quaerit recipere (1) quod est necessitatis, sed quaerit varietatem secundum temporum congruentiam; vel contendit recipere quod deposuerat, tamquam jus magis habens in illo; et circa hoc traditur (2) hic mandatum. Secundum est cum contentiones et murmura occasione recipiendarum vestium oriuntur; et circa hoc traditur sequens mandatum ibi: « Si autem hinc inter vos », etc.

Et notandum circa primum mandatum quod non est prudentis facere mandata circa illa quae commode servari non possunt, propter

---

(1) Cod. Vien.: non solum recipit. - Cod. Sp.: non solum quaerit quod.... — (2) Cod. Vien.: tradit.... tradit.

infirmitatem humanam; pauci autem sunt illius fortitudinis et perfectae virtutis, qui non habent libenter alias vestes in frigore, alias in calore, sicut concedit etiam beatus Benedictus in sua regula monachis; et pauci sunt etiam qui non refugiunt alienas vestes propter alienas immunditias, quas magis abominatur natura quam proprias. Ideo non dicit simpliciter in isto mandato: « ad vos non pertineat », sed praemittit: « si fieri potest »; quasi diceret: Si humana fragilitas hoc permittit, « ad vos non pertineat », id est ita vos habeatis quasi ad vos non pertineret « quod vobis », etc., dummodo « unicuique » etc.; quasi dicat: Non sit vobis curae de his, dummodo quod opus est vobis conferatur.

CXVII. Quod ad perfectum subditum pertinet magis abjectas vestes diligere, quam nimiam curam per se habere de iis.

Hoc autem est perfectorum, qui in domo Domini non solum non curant de his: immo quandoque etiam abjectiores vestes affectant. Ipsorum enim est nihil superfluum quaerere, sed solum necessariis, vel minus quam necessariis esse contentos. Et ideo dicitur, 1. *Tim. 6.*: Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.

Item, ipsorum est non solum patienter ferre paupertatem, sed et ipsam amare: propter quod dicuntur pauperes spiritu, *Matth. 5*, id est animo, qui ducuntur ab amore, (1) et ideo diligunt vestium paupertatem.

Ipsorum etiam est propter humilitatis, quam habent, perfectionem, non quaerere honorem in domo Dei, sed abjectionem. *Ps. 83.*: Elegi abjectus esse in domo Dei. Hujusmodi autem abjectio maxime consistit in vestium humilitate.

Item, ipsorum est propter mala quae de se sentiunt, indignos se reputare et victu et vestitu, exemplo Jacob qui dicit Domino, *Gen. 32.*: Minor sum cunctis miserationibus tuis. Et ideo cum gratiarum actione recipiunt, quantumcumque modicum sit, quod eis confertur.

Item, ipsorum est esse quasi continuo in luctu in mundo isto, juxta illud quod praedictum est eis a Domino, *Joan. 16.*: Plorabitis

(1) Minus scilicet ducuntur a spiritu seu fortitudine quam ab amore.

et flebitis vos Et ideo libenter habent vestes pauperes, quae luctui sunt aptae; exemplo Esther, de qua dicitur, *Esth. 14.*: Fletui et luctui vestimenta apta (1) suscepit.

Item, Christus ab initio ingressus sui in mundum pannis vilibus fuit indutus; et beatus Martinus diabolo sibi apparenti in habitu purpureo, et simulanti se Christum esse, dixit: Christum purpuratum non novi. Propter hoc ipsi respicientes ad exemplar suum, et nolentes esse majores Domino suo, secundum verbum illius, *Joan. 15*, pauperes vestes diligunt et abjectas.

Item, primus sanctus novi Testamenti, scilicet Joannes Baptista, fuit indutus vilibus, *Matth. 3.*, quia de pilis camelorum. Similiter et ultimi, scilicet Enoch et Elias, erunt induti vilibus, scilicet saccis, (2) sicut dicitur *Apoc. 11.* Ut medium ergo non exeat (3) ab extremis, et sint rectae semitae Dei nostri, decet ut viri sancti et perfecti medii similiter sint induti.

Licet ergo patres monasteriorum debeant habere curam diligentem de providendo fratribus competenter de vestitu, tamen ad perfectum subditum pertinet magis abjectas vestes diligere, quam nimiam curam de his habere pro se.

Sequitur: **Si autem hinc inter vos contentiones et murmura oriuntur, et conqueritur aliquis se deterius accepisse quam prius habuerat, et indignum se esse quod non (4) ita vestiatur sicut alius frater vestiebatur, hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.**

Hoc est secundum mandatum quod pertinet ad reprehensibilem circa vestium distributionem.

Et nota primo quod contentiones et murmura differunt, quia murmur, ut frequenter, est circa majores: contentio vero potest esse et ad majores, et ad pares, et ad minores.

---

(1) Cod. Grat.: fletibus et luctui apta indumenta. — (2) Cod. Grat.: quia saccis. — (3) Cod. Vien.: ut ergo medium exeat ab.... — (4) Cf. supra pag. 359, in nota 6.

Item, murmur potest esse contra absentem: contentio vero solum cum praesente.

Item, murmur inducit contentionem, quasi sit ejus origo: contentio vero est effectus.

Item, nota secundo quod duo (1) solent esse causae hujusmodi vitiorum ratione vestium: unum, quando deterius providetur eidem uno tempore quam alio; aliud, cum deterius providetur uni quam alii; quae duo notantur, cum dicitur: « Si conqueritur aliquis », etc.; et cum iterum dicitur: « et indignum se esse », etc.

Item, notandum tertio quod hujusmodi vitia non prohibet, quia sufficit quod sunt lege Dei prohibita; sed mandat ut per haec, si (2) oriuntur, veniat quis ad sui intrinsecam cognitionem, dicens: « hinc vos probate », etc.

CXVIII. Contra vitium murmuris.

Circa primum, dimisso vitio contentionis, quod pertinet ad litem, de qua dicetur infra ubi dicitur: « Lites aut nullas habeatis », etc., dicendum est aliquid de vitio murmuris, quod facile solet oriri in claustris contra facta vel dicta majorum.

Ad hujus igitur detestationem sciendum est quod istud vitium specialiter reputatur esse contra Deum. Cum enim omnis potestas sit a Deo, sicut qui resistit (3) potestati, Dei ordinationi resistit, secundum Apostolum, *Rom. 13.*: ita qui murmurat contra eam, contra Deum dicitur murmurare. Gregorius: Qui contra superpositam sibi potestatem murmurat, liquet quod eum redarguit qui eamdem potestatem homini dedit. Et ideo dicunt Moyses et Aaron, *Exod. 16.*: Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

Item, hoc peccatum filios Israël transeuntes per desertum excludit a terra promissionis, licet promissa eis multoties. *Num. 14.*: Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis in terram super quam levavi manum meam, ut habitare illic vos facerem. Sic etiam nunc excludit a regno coelorum. Gregorius: Regnum coelorum nullus qui murmurat, accipit.

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: duae. — (2) Cod. Grat.: cum. — (3) Cod. Vien.:.... a Deo, qui resistit....

Item, hoc est peccatum quod non solum in futuro, sed etiam in praesenti Deus horribiliter punit: propter hoc enim Maria soror Moysis percussa est lepra, *Num. 12;* propter hoc ignis divinitus accensus devoravit extremam castrorum partem, *Num. 11;* propter hoc Dathan et Abiron absorti sunt a terra viventes, *Num. 16;* propter hoc ignis egressus a Domino combussit ducentos quinquaginta viros de Corithis, *in eodem*; propter hoc misit Dominus serpentes ignitos in populum, qui eos subito occidebant, *Num. 21.*

Item, adulatio, mendacium et multa similia non sunt sui diffusiva; murmur vero valde sui diffusivum est, quia sicut porco grunniente, alii idem incipiunt: ita murmur unius facile facit alios murmurare. Ideo dicitur, *Num. 13 et 14.,* de illis qui regressi de terra promissionis detraxerunt, quod murmurantes reversi murmurare fecerunt contra Moysen omnem multitudinem.

Item, dicitur quod cum quidam, volens ingredi religionem, quaereret a quodam viro sancto quid esset ei faciendum, dixit ei: Tu et asinus unum estote. Asinus enim quando non habet quid (1) comedat, vel quando ei imponitur hoc vel illud onus, nihil reclamat vel murmurat: ita et religiosus debet facere. *Ps. 72.:* Ut jumentum factus sum apud te. Per murmur ergo ponitur religiosus extra statum suum; ideo dixit abbas Pastor in *Vitis Patrum:* Qui querulosus est monachus non est. Ex quo patet quod murmur facit de monacho non monachum.

Item, dicit auctoritas (2) quod hoc fuit proprium vitium Judaeorum in deserto, in quo graviter et frequenter offenderunt Deum, scilicet murmurando contra Moysen et Aaron. Hoc ergo vitium in deserto religionis illos qui deberent esse perfectissimi christiani transfert ad statum Judaeorum infelicium. (3)

Patet ex his quam detestabile sit vitium murmuris in claustris, (4) cum hoc sit specialis (5) Dei offensa, a qua summe debent cavere; exclusio a regno, ad quod summe debent suspirare; occasio gravis et

---

(1) Cod. Vien.: quod. — (2) Cf. *Gloss. Interl.* in Num. 14. — (3) Codd. Il. Sp. et Vien.: ad statum infidelium. — (4) Codd. Tol. et Vien.: claustralibus. — (5) Codd. Sp. et Grat.: spiritualis.

subitae vindictae, quam etiam omnes valde debent timere; corruptio sociorum, quae valde periculosa est in congregatione; mutatio status religiosi in statum alium, quod est valde horribile; imitatio Judaeorum, qui sunt a Domino (1) reprobati, quod est mirae insipientiae. Ideo dicit Bernardus: Nihil sic horrendum ut murmur in congregatione.

Circa secundum notandum quod Dominus melius facit alicui creaturae suae tempore uno quam alio, et in eadem specie melius interdum uni ejusdem speciei quam alii.

Item, natura quandoque plura producit uno tempore quam alio, et in rebus ejusdem generis plus interdum confert uni quam alii. Una enim arbor plus habet fructus uno anno quam alio interdum, et plus una quam alia ejusdem generis; et sic de aliis.

Item, domini mundi sic etiam faciunt suis. Interdum enim tempore caristiae strictius provident quam tempore abundantiae, et etiam strictius aliis quam aliis. Quanta ergo abusio est quod religiosus requirat quod ita fiat sibi semper, sicut aliquando secum factum est, vel sicut fit alii; et nisi hoc fiat, murmurat et contendit: cum tamen nec Deus, nec natura, nec etiam homines mundi hoc faciant illis quibus habent providere? Numquid non licet interdum patrifamilias facere quod vult? *Matth. 20.* Ubi est apud istos illa scientia apostolica, *Phil. 4.*, qua sciunt abundare et penuriam pati pro tempore? Numquid est contra viscera pietatis quod mater ostendat interdum plus dilectionis uni filiorum quam alii; et plus eidem uno tempore quam alio, causis variis emergentibus? Non est ergo rationabile quod contendat aliquis vel murmuret si deterius accipit interdum uno tempore quam alio, vel si deterius unus quam alius: sed est defectus virtutis, ad quod cognoscendum inducit vir sanctus cum (2) dicit: « hinc vos probate », etc.

CXIX. De cognoscendis propriis defectibus.

Circa hoc quod est tertium, (3) notandum quod sunt aliqui qui sunt magis curiosi de exterioribus, et majorem interdum dant operam ad sciendum defectum solis et lunae, quam ad cognoscendum defectus animarum suarum. Au-

---

(1) Cod. Vien.: a Deo. — (2) Cod. Sp.: inducit Augustinus, vir sanctus in Regula, in verbo proposito, cum dicit. — (3) Codd. passim: quod est quartum.

gustinus: Per impiam superbiam recedentes a te, et a tanto lumine tuo deficientes, defectum solis multo tempore ante praevident, et defectum suum in praesenti positum non vident. Non autem sic faciunt viri sancti, sed cura est eis multa ad cognoscendum defectum suum. (1) Unde rogat David dicens, *Ps. 38.*: Ut sciam quid desit mihi. Et hoc utile est valde. Pater enim familias, cum nescit quid desit in domo sua, sive vinum, sive bladum, non cogitat de habendo: cum autem scit, est sollicitus de procurando. Porro intrinseca hominis perpenduntur per extrinseca: haec enim sunt quae annuntiant de homine. *Eccli. 19.* Murmur (2) ergo et contentio exterior indicant vacuitatem intrinsecam, sicut resonatio (3) dolii.

Item, defectum unctionis intrinsecae, sicut rota carri murmurantis. Propter quod dicitur e contrario de martyribus: Non murmur resonat, non querimonia; (4) et hoc quia fuerunt pleni gratia, et uncti Spiritu Sancto. Hujusmodi vero gratiae spirituales, quae large loquendo, quaecumque sint, vocantur virtutes, dicuntur habitus interior animae triplici de causa. Cooperiunt enim turpitudinem peccatorum, sicut vestis cooperit turpia hominis. *Ps. 31.*: Et quorum tecta sunt peccata; scilicet per virtutes infusas cum remissione peccatorum.

Item, ornant sicut vestis. Gregorius: Ornamenta coelorum sunt virtutes praedicantium.

Item, calefaciunt sicut vestis. *Job. 37.*: Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro? Murmurans ergo et contendens de habitu corporis potest ex hoc perpendere defectum interioris habitus se habere, quia nunquam sic murmuraret, nisi defectum virtutum interiorem haberet. Dicitur, *Is. 53.*, de Christo propter patientiam ejus, quod sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum; cum videlicet auferentes ei vestes suas spoliaverunt eum. Cujusmodi ergo patientiam habet qui non ex eo quod auferuntur, sed ex eo quod non sibi pro sua voluntate dantur, murmurat?

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: de recognoscendo defectus suos. — (2) Cod. Sp.: murmuratio. — (3) Codd. Sp. et Vien: sicut in resonatione doliit. — (4) *Brev. O. P., Offic. de plur. mart.*

Item, Dominus voluit adeo suos deponere curam carnis, quod noluit eos esse sollicitos etiam de vestibus. *Matth. 6.*: Et de vestimento quid solliciti estis? Quomodo ergo, obsecro, carent hujusmodi sollicitudine, qui non cavent pro vestibus murmurare?

Item, secundum Bernardum, verus humilis non vult humilis praedicari, sed vilis reputari. Quomodo ergo habent veram humilitatem qui vestium refugiunt vilitatem, et pro bonis vestibus contendunt? Et hoc idem patet in multis aliis virtutibus. Constat ergo quod murmur praedictum indicium est manifestum defectus virtutum. Et ideo bene dicit: « hinc vos probate », id est ex tali murmure, « quantum vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis », id est in virtutibus intrinsecis, « qui pro habitu corporis litigatis ».

Sequitur: **Tamen si vestra toleratur infirmitas ut hoc recipiatis quod posueritis, in uno tamen loco sub communibus custodibus habete quod ponitis: ita sane quod nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant, majori studio et frequentiori alacritate quam si vobis singulis propria faceretis. Charitas enim, de qua scriptum est quod non quaerit quae sua sunt, sic intelligitur quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto amplius rem communem quam propria vestra curaveritis, tanto vos amplius proficere noveritis, ut in omnibus quibus utitur transitoria necessitas, superemineat quae permanet charitas.**

Hic quarto loco tradit (1) mandatum circa vestium operationem. Quia vero posset credi quod sicut toleratur interdum quod aliquis recipiat vestes proprias quas deposuit, et non quas alius deposuit, ita proprium locum posset quis habere in quo reponeret eas, vel faceret reponi, quod nequaquam est faciendum, ideo dicit primo quod si hoc toleratur, illud tamen non est tolerandum: sed in uno tantum (2) loco sunt vestes omnium reponendae, et in communi omnia operanda;

(1) Cod. Vien : traditur. — (2) Cod. Vien.: tamen.

secundo dicit quomodo (1) sunt hujusmodi opera communia facienda, ibi: « majori studio », etc.; tertio reddit causam istius modi, probans illum modum per auctoritatem, ibi: « Charitas enim », et per rationem, ibi: « Et ideo », etc. Et sic patet quod in hoc mandato tria tanguntur, scilicet substantia mandati, et modus exequendi, et causa illius modi.

CXX. Quod infirmitas fratrum est toleranda.

Notandum autem quod ex hoc quod dicit: « si vestra toleratur infirmitas », elicitur argumentum quod infirmitas fratrum est toleranda, sive ipsi (2) propter infirmitatem in aliquibus.

Hinc est quod Apostolus dicit, *Rom. 15.:* Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere; sicut scilicet columnae fortiores supportant caetera infirma domus. Hinc est etiam quod dicit Bernardus: Tu, qui in congregatione vivis, bene vivis, si vivis socialiter; (3) et *post:* Socialiter, ut discas non solum patienter, sed et libenter infirmitates aliorum portare, tam morum quam corporum.

Hinc est iterum quod dicit Dominus de seipso, *Os. 11.:* Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis. Sicut enim nutrix parvulum, qui facit ei multa taedia et gravamina, non projicit; sed sustinet omnia ejus amore devicta: ita facit Dominus de nobis, et suo exemplo docet nos ita de infirmis aliis faciendum. Quid possunt ad haec respondere illi qui fratres onerosos propter infirmitates vel mores aliquos graves non cessant ventilare, procurando crudeliter expulsionem eorum de domo in domum? Isti sunt de quibus dicitur *Ezech. 34.:* Cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora. Isti, qui sic onus fratrum (4) projiciunt, quomodo, obsecro, implent legem Christi, de qua scriptum est, *Gal. 6.:* Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi?

Item, si pes unus infirmatur, nonne alius portat eum? Si (5) etiam quodcumque membrum propter infirmitatem grave est aliis, numquid propter hoc projiciunt illud alia membra, et non magis juvant et supportant? Si autem in membris constituentibus unum

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: qualiter. — (2) Scil. ipsi fratres sunt tolerandi. — (3) Cod. Tol.: socialiter. — (4) Cod. Vien.: fraternum. — (5) Cod. Sp.: sic.

corpus per naturam hoc fit, quanto magis debet fieri in membris constituentibus unum corpus per gratiam? Exemplum. Fuit Parisius quidam civis dives, qui tenebat secum capellanum quemdam propter Deum. Cum autem esset gravis moribus omnibus de domo, semel uxor cum filiis et alia tota familia convenerunt, et rogabant dominum ut expelleret eum de domo. Et cum quaereret quare (1) hoc peterent, dixerunt: Domine, adeo gravis est homo iste quod nullus potest eum portare. Tunc ille dixit: Si ita est, ergo si expellerem eum, moreretur fame, quia nullum inveniret qui portaret eum; et ideo volo eum sustinere ne moriatur fame. Si autem sic fecit homo saecularis de tolerando extraneo, quid faciendum est viro spirituali de fratre proprio? Exemplum. Quidam prior provincialis in ordine fratrum Praedicatorum, vir totius sanctitatis et perfectionis, quando inveniebat fratrem aliquem valde onerosum in aliquo conventu, et ex causis aliquibus expediebat ipsum transferri ad alium conventum, recogitabat quos priores conventuales habebat qui essent viri multum spirituales et charitativi, et ad aliquem eorum mittebat eum, innuens ei quod talem fratrem mittebat ei cum quo multum haberet lucrum (2) exercendo suam charitatem et patientiam, et alias multas virtutes circa eum: unde tamquam speciali (3) amico mittebat eum sibi pro magno exenio, et (4) multum super hoc deberet gaudere, et ei multas gratias agere. (5)

Item, (6) vidi ego priorem quemdam conventualem, qui nunquam rogavit priorem provincialem, vel aliquos majores suos pro removendo aliquem fratrem onerosum de domo sua, licet multos haberet tales. Immo, cum aliquando ad fratrum suorum instantiam vellet provincialis aliquem fratrem talem removere de suo conventu, compatiens illi fratri, dedit operam ut dimitteret eum, (7) aestimans quod ipse, qui jam eum plenius noverat, melius sciret ipsum portare quam alii multi.

---

(1) Cod. Grat.: cum autem quaereret causam quare peterent. — (2) Cod. Grat.: multum posset lucrari. — (3) Codd. Sp., Tol. et Il.: spirituali. — (4) Codd. Sp. et Grat.: ut. — (5) Codd. Tol. Grat. et Vien.: reddere. — (6) τὸ « Item » ex cod. Sp. — (7) h. e. dimitteret eum remanere in suo conventu.

Item, legitur in *Vitis Patrum* quod cum quis haberet fratrem infirmum, aut injuriosum, aut pusillanimem, et vellet eum pellere, abbas Isaias dicebat ei: Adducite eum ad me. Apprehendensque eum cum patientia sanabat animam fratris illius.

Proinde colligitur (1) quod bonorum virorum est supportare invicem infirmitates mutuas. Quod, licet fiat, tamen peccata, vel ea quae sunt in damnum religionis, nunquam sunt sustinenda. Unde, *Apoc. 2,* dicitur in laudem angeli Ephesi: Non potes sustinere malos. Non dicit onerosos, quia etsi sint onera mutua sustinenda, tamen malitiae (2) nunquam. Et ideo dicit bene vir sanctus: « si vestra toleratur infirmitas ut hoc recipiatis quod posueritis », quod scilicet est humanae fragilitatis: tamen non est tolerandum quod sequestratim vestes deponantur, vel singulariter sibi quisque circa hoc faciat aliquid operari, quia hujusmodi singularitas nimis derogare facit bono charitatis, in quo maxime consistit religio; et hoc est quod dicit: « in uno tamen loco », etc.

CXXI. Contra illos qui pro se et non pro communitate laborant.

Et nota circa hoc quod reperiuntur interdum aliqui religiosi qui ad opera communia modo sunt impotentes, modo negligentes, modo querulosi et tristes: ad propria vero fortes, diligentes et laeti. Hoc est quod in loco communitatis singularitatem inducit: singularitatis enim est talia sectari. Bernardus: Singularis ad omnia sua est strenuus, ad communia piger.

Hoc est quod servos Dei praeparat ad periculosa tempora Antichristi, de quibus dicitur, 2. *Tim. 3.:* In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes. Ex hujusmodi enim amore privato procedunt ista. Hoc est quod charitatem, de qua summe curandum est, destruit. Amor enim reciprocus (3) non est charitatis. Gregorius: Nemo proprie ad se charitatem habere dicitur; sed dilectio semper in alterum tendit, ut esse charitas possit.

Hoc est iterum quod naturae contrariatur: ipsa enim producit omnia ad utilitatem communem. Tullius, *De offic.:* Praeclare scriptum

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: patet. — (2) Cod. Vien.: malitia. — (3) Id est amor in seipsum; qui apud Graecos ἀντιστρόφος audit. Cf. Joan. Jan., *Cathol.*

est a Platone: Non nobis solis nati sumus; et *post:* In hoc deberemus naturam sequi ducem, et communes utilitates in medium proferre.

Item, hoc est quod philosophicae sententiae adversatur Senecae: Non potest quispiam (1) bene vivere, qui se intuitur, qui omnia ad suas utilitates convertit: alteri vivas oportet, si tibi vis vivere.

Irem, hoc doctrinae sanctorum repugnat, quod sic patet. Dicit Gregorius in quodam libro: (2) Nemo nostrum, (3) neglecta utilitate communi, suo lucro prospiciat. Et Ambrosius: Qui perfecte sapit nescit sua spectare commoda; sed ad illud quod honestum est toto affectu intendit, quaerens non quod sibi utile est, sed quod omnibus. Et Bernardus: Dominus communi disciplina, communi vita, communibus studiis delectatur: usquequo, miser, diverticula captas?

Item, hoc est contra mandata apostolica: immo contra mandata principum Apostolorum. Dicit enim Paulus, *Philip. 2.:* Non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum. 1. *Petr. 4.,* dicitur: Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.

Item, hoc est quod facit a Christi vestigiis deviare; propter quod (4) e contrario dicit Chrysostomus: Imitatores fieri Christi est ad communem utilitatem omnia negotiantes, et non quae sunt nostra quaerentes.

Item, hoc est quod ipsum hominem reddit sibi inutilem. Ambrosius: Nihil judicandum utile, nisi quod in commune prosit. Et *post*: Mihi crede, non videtur qui inutilis est omnibus quod sibi utilis esse possit.

Item, hoc est quod religionem destruit. Quantae enim abbatiae sunt et temporaliter et spiritualiter destructae, quia relictis communibus bonis vacaverunt multi suis propriis commodis? Et ideo bene dicitur in *Ps. 79:* Singularis ferus depastus est eam; id est vineam Domini, quia hujusmodi singularitates religionem destruunt. Propterea ex adverso (5) dicit Tullius: Praeceptum est Platonis ut qui

---

(1) Cod. Vien.: quisquam. — (2) Cod. Vien., ex correct.: in Registro. — (3) Cod. Vien.: vestrum. — (4) Cod. Vien.: hoc. — (5) Cod. Vien.: propter quod e diverso.

reipublicae prodesse volunt, utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum.

Quia ergo tot mala sequuntur in religione, cum relictis communibus singuli vacant propriis, bene dicit vir sanctus ut omnia in unum fiant studiosius et alacrius quam propria, quia hoc requirit charitas, et cedit ad profectum majorem. Si enim multum meretur charitas uni serviens, quanto magis qui servit multitudini magnae?

Sequitur: **Consequens ergo est ut etiam cum quis filiis suis, ant aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate praepositi, ut in rem communem redactum cui necesse fuerit praebeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.**

Secundum distinctionem supra positam, tradit hic quinto loco mandatum circa collatarum vestium receptionem. Et notandum quod sicut omnia opera circa vestes debent fieri in communi, ita et vestes collatae debent poni in communi. Et ideo infert a simili dicens: « Consequens ergo est », etc. Et haec est ratio mandati quae primo ponitur.

Secundo ponitur ipsum mandatum tria continens: scilicet quid cavendum in recipiendo, scilicet occultatio, et ideo dicit: « non occulte », etc.; quid faciendum de recepto, scilicet quia ponendum in praepositi potestate, et ideo dicit: « sed sit », etc.; quare sic (1) faciendum, et ideo dicit: « ut in rem communem redactum ».

Tertio ponitur poena transgressionis hujus mandati, cum dicitur: « Quod si aliquis » etc.

Porro utilitas mandati consistit in tribus: unum est quod quidquid religioso alicui (2) obvenit in communi ponatur; aliud est quod

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: sit. — (2) Cod. Vien.: aliter.

positum in communi non cuique, sed cui necesse fuerit, praebeatur; tertium est quod celantes sibi collata sunt ut fures puniendi. (1)

CXXII. Quod res datae ponendae sunt in communi.

Circa primum notandum quod illud requirit fraternitas spiritualis. Augustinus: Melior est fraternitas Christi quam fraternitas (2) sanguinis: illa enim inter se communia dividit cum aemulatione; haec autem sua communicat cum gratulatione.

Item, hoc requirunt jura (3), quae volunt quod quidquid acquirit religiosus, quidquid ei datur, quidquid ei debetur, vel alio modo quocumque obvenit ei, totum cedat in jus communitatis.

Item, hoc natura monstrat in quibusdam animalibus viventibus in communi, ut sunt formicae, quae quidquid elaborant in granis colligendis, totum ponunt in communi.

Item, ad hoc faciendum confortat nos Chrysostomus in *sermone* dicens: Omne quod nostrum est tunc nostrum magis erit si sit nobis commune cum fratribus.

Item, dicit Ambrosius *super Lucam:* Volatilibus coeli idcirco sine labore pabuli usus exuberat, quod fructus ad communem escam speciali sibi quodam nesciunt vendicare dominatu. Quod si sic est de victu, eadem ratione est simile de vestitu, cum de utroque illo (4) Evangelium loquatur similiter. Ex quo patet quod ex hujusmodi communitate (5) sequitur etiam temporalis abundantia.

Item, dicit Seneca: In hoc gaudeo addiscere aliquid, ut doceam: nec me res ulla delectabit, licet sit eximia et salutaris, quam mihi (6) uni sciturus sum. Eadem ratione et laudabilius videtur in philosopho rem quamcumque communicare, quam sibi retinere, sicut scientiam: quanto magis in religioso?

CXXIII. Quod de bonis communibus magis est indigentibus ministrandum.

Circa secundum est notandum quod sunt quidam, qui dispensando bona communia, non attendunt interdum indigentias fratrum, sed personas, dum conferunt illis qui non indigent, et indigentes relinquunt inanes, con-

---

(1) Cod. Tol.: celantes quae sibi collata sunt ut fures puniendi sunt. — (2) Cod. Grat.: melior... fraternitate sanguinis. — (3) Cap. VI. *De Statu Monach.* — (4) Cod. Vien.: eadem ratione de vestitu similiter, cum de utroque illorum... — (5) Cod. Tol.: communione. — (6) Cod. Vien.: nisi.

tra illam dispensationem divinam de qua dicitur, *Luc. 1.*: Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

Isti sunt, sicut hortulanus qui terram aquosam rigat, et aridam dimittit. Quo contra dicitur, *Is. 35.*: Et erit arida in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.

Isti sunt iterum sicut medicus qui valentibus confert medicinam, (1) et relinquit male habentes. Contra quod dicitur, *Ezech. 34.*: Quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo.

Sunt etiam isti sicut ille qui super faciem poneret vestem, quae non indiget, et posteriora quae indigent nuda dimitteret. Contra quod dicitur, 1. *Cor. 12.*: Quae putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. Non est illud opus misericordiae, quae miseriam (2) respicit; et ideo dicitur misericordia quasi miseris dans. Et ideo in disceptatione de operibus misericordiae non dicitur: Saturatus fui, et non dedistis mihi manducare; vestitus fui, et non coperuistis me, et sic de aliis; sed dicitur: Esurivi, et non dedistis mihi manducare; nudus fui, et non cooperuistis me; et sic de aliis. *Matth. 25.*

Item, non est hoc officium charitatis: ipsius enim est currere (3) ad necessitates fraternas. Unde, 1. *Joan. 3.*: Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

Item, non est illud fidelitatis: quomodo enim esset fidelis dispensator hospitalis, qui neglectis egenis bona hospitalis ipsius in suis familiaribus large expenderet? Sic faciebat Judas, *Joan. 12,* qui bona egenorum asportabat, et expendebat in suos usus. (4) Cum ergo religio sit hospitale Dei, quomodo ab infidelitate possent se excusare qui similia faciunt in ea? Bernardus: Ubi nec necessitas, nec utilitas est, nec fidelis dispensatio est.

---

(1) Cod. Tol.: medicinalia — (2) Scil. praedictum opus non est misericordiae, quia ista miseriam respicit. - Cod. Grat.: quae miserias respicit. - Cod. Vien.: quae miseriam non respicit. - Lege forsan: non est illud opus misericordiae quod miseriam non respicit. — (3) Codd. Sp., Tol. et Grat.: curare. — (4) Codd. Tol. et Grat.: in suos.

CXXIV. De poena celantis rem collatam.

Circa tertium notandum quod res collata dicitur celari tribus modis. Uno modo, quando ponitur in aliquo loco occulto, animo occultandi: qui autem sic faciunt sunt sicut corvus, qui ponit denarium vel alias res interdum in loco occulto ad celandum.

Alio modo, quando quaeritur res et non propalatur, sicut fecit Rachel, *Gen. 31.*, quae scrutanti patri suo Laban celavit idola sua.

Alio modo, quando tempore opportuno seu debito non ostenditur. Sicut enim dicitur fur non solum qui rem surripit, sed etiam qui furtum non manifestat tempore opportuno: ita non solum dicitur celare rem acceptam (1) qui ponit in occulto, vel non prodit quaerenti; sed etiam qui non revelat tempore scrutinii (2) in religione, vel morose detinet, non ostendens cui est ostendenda. Verum si aliquis religiosus rem collatam accipiat sine licentia, sed cum proposito ostendendi et petendi licentiam sine mora, quamvis non sit hoc sine culpa, tamen non est dicendum propter hoc solum celare rem collatam, nisi aliquid de tribus praedictis interveniat.

Porro religiosus qui rem collatam celat juste dicitur fur, quia rem non suam, sed communitatis, et invito domino, scilicet illo ad quem pertinet dispensatio, cum de ejus ratihabitione non praesumitur, pertractat occulte: quae tria constituere solent furtum proprie acceptum, et ideo sicut fur est puniendus.

Et sciendum quod triplici poena puniendus est fur, secundum Scripturam. Una est confusio, et hoc quoad animam, cujus est verecundia. *Eccli. 5.*: Super furem confusio.

Alia est redditio rei furatae, et hoc quoad res. *Exod. 22.*: Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino.

Alia punitio corporalis, et hoc quoad corpus. *Josue 7.*: Non ero vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est, scilicet furti.

Cum ergo celans rem sibi collatam fur reputatur, ut praedictum est, debet puniri confusione in proclamatione publica; rei restitutione, quae nunquam est ei amplius in hoc casu reddenda, etiamsi alias

(1) Cod. Grat.: receptam. — (2) Scil.: visitationis.

concedenda esset; corporali punitione per poenitentiam aliquam corporis afflictivam, et sic impletur in eo id quod dicitur, *Zach. 5.*: Omnis fur, sicut ibi scriptum est, scilicet in volumine Sacrae Scripturae, judicabitur, id est condemnabitur.

Sequitur: **Indumenta vestra secundum arbitrium praepositi laventur, sive a vobis, sive a fullonibus, ne interiores animae sordes contrahat mundae vestis nimius appetitus.**

Hoc est sextum et ultimum mandatum circa vestium necessitatem, scilicet de lotione earum, de qua, quia quidam sub specie sanctitatis inanis possent minus curare, tradit mandatum praesens, continens tria circa lotionem vestium. Unum est quod laventur, cum dicit: « Indumenta vestra » etc.; aliud a quo laventur, cum dicit: « sive a vobis, sive a fullonibus »; tertium est (1) quando laventur, cum dicit: « secundum arbitrium praepositi », et addit causam cum dicit: « ne interiores animae sordes contrahat mundae vestis nimius appetitus », quod scilicet fieret si quilibet quandocumque sibi placeret posset eas lavare.

CXXV. De quibusdam notabilibus pertinentibus ad vestium lotionem.

Circa primum notandum quod non solum spiritualis, sed etiam corporalis munditia placet Deo. Unde super illo verbo *Deut. 23:* Habebis locum extra castra ad quem egredieris ad requisita naturae, dicit *Glossa:* Corporalem munditiam diligit Deus. Hinc est forte quod olim, cum debebat populus adstare coram Domino, praeceptum fuit illis ut lavarent vestes suas. Unde, *Exod. 19.*, dicitur: Ipsi lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. In die enim tertio descendet Dominus coram plebe.

Item, homines quodammodo naturaliter horrent sordes in cohabitantibus secum; propter quod personarum acceptores pauperi introeunti ad se in sordido habitu dicunt: Sta illic, sicut dicitur *Jac. 2.*

Item, sicut nimius splendor in veste sapit vitium, ita et sordes.

---

(1) Cod. Vien.: aliud est....

Ideo Seneca, monens (1) ad ea quae sunt virtutis, dicit: Non splendeat toga, nec sordeat. Cum igitur religiosi frequenter habeant adstare coram Domino ministrando ei in divinis, et continue cum aliis conversari, et ad cavendum vitiosa debeant invigilare, curandum est eis de vestium munditia, et propter Deum, et propter proximum, et propter semetipsos, ne vitium incurrant: propter quod bene dicitur eis: « Indumenta vestra laventur ».

Sed quia sunt aliqui qui dedignantur hoc facere in propria persona, addidit: « sive a fullonibus », condescendendo infirmitati istorum; « a vobis » vero dicit, quia non semper hujusmodi lotio est facienda ab extraneis, sed potius ab ipsis fratribus est facienda semper, vel saltem frequenter. Et hoc tribus de causis, scilicet propter vitandum infirmorum scandalum. Interdum enim in vestibus, maxime in his quae carni adhaerent inmediate, inveniuntur immunditiae, quae etiam accidunt sanctis in somnis, quae quasi res pudendae celandae sunt saecularibus, et maxime et semper mulieribus, ne hac occasione scandalizentur in viros religiosos. Ipsorum enim est tanquam perfectorum cavere etiam a licitis, propter scandalum infirmorum. 1. *Cor. 8:* Videte ne licentia vestra, id est quod vobis licet, offendiculum fiat infirmis.

Item, propter majus praemium. Absque enim dubio plus merentur religiosi, sive sibi sive fratribus lavent vestes, quam si sibi ab aliis laventur. Immo in hoc merentur, in illo non, cum meritum surgat ex opere proprio, non ex alieno. Et ideo maiorem mercedem ex hoc accipiunt, quia unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, non alienum, sicut, 1. *Cor. 3,* dicitur.

Item, propter humilitatis exemplum, quia quanto sanctioris vitae sunt, tanto debent dare majus exemplum, secundum quod sanctus Martinus faciebat, serviens famulo suo. Humilitatis autem est in propria persona facere hujusmodi lotiones. Hinc est quod in religionibus approbatis propter istam causam non solum fiunt a fratribus lotiones vestium, sed etiam aliae lotiones quas vocant munditias, quia ipsimet lavant vasa et scutellas et hujusmodi suo tempore, (2) et ipsimet lavant

(1) Codd. Sp. et Tol.: movens. — (2) τὸ « lavant... tempore » ex cod. Tol.

pedes et capita, et radunt se invicem, (1) nec per aliquos extraneos permittunt ista fieri apud eos.

Hinc est etiam quod viri magnae sanctitatis etiam se humiliant ad abluendum sordes majores. Novi ego quemdam, qui in saeculo fuit magnae auctoritatis et vanitatis, qui factus frater, observata hora in qua alii fuerant in scholis vel alibi congregati, accepta aqua ibat per cameras, et sedes quas deturpatas invenit mundabat. Audivi etiam quod quidam frater et episcopus hoc idem fecit in conventu Romano. Quid autem mirum si hoc faciunt homines Deum timentes, cum ipse Deus et Dei Filius in propria persona laverit sordes pedum suorum discipulorum: qui utique solent esse valde foetentes et immundi? Non debent ergo aliqui indignari (2) in religione, si imponitur eis ut ipsimet lavent indumenta sua interdum. Et si aliquando per fullones ista fiant, tamen per mulieres et lotrices (3) non est faciendum, et ideo dicit: « sive a vobis sive a fullonibus », nihil addens de lotricibus.

Notandum vero est quod si lotio hujusmodi fieret secundum voluntatem uniuscujusque, minus mererentur religiosi quam quando faciunt secundum voluntatem praelati.

Item, quidam vellent suas vestes nunquam lavari, aut propter speciem religionis, aut propter segnitiem, aut aliis de causis. Horum vero qui vellent lavari, quidam vellent uno tempore, quidam alio, unde sequeretur major labor; quidam etiam vellent lavare in propria persona, quidam facerent sibi ab aliis lavari, quod esset inequalitas; quidam iterum nimis tarde, quidam nimis frequenter vellent lavari, quod esset vitiosum.

Ut ergo omnia ista inconvenientia vitentur, et praecipue vitium nimii appetitus hujusmodi munditiae, solet a praelato ordinari in locis religiosis quod fiat communis lotio certa die a certis personis, in qua omnia lavanda laventur, et hoc est lavare indumenta « secundum arbitrium praepositi, ne interiores animae sordes contrahat mundae vestis nimius appetitus. »

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: quia ipsimet lavant pedes, et capita radunt sibi invicem, — (2) Cod. Grat.: dedignari. — (3) Cod. Grat.: per lotrices et mulieres.

Et sciendum quod nimius appetitus mundae vestis in religioso non est sine culpa, et ratione excessus in appetitu, quia secundum Augustinum totum et solum malum hominis est nimius amor creaturae; et ratione sequelae, quae est deterioratio vestis ex nimia lotione: quod quando fit sine justa necessitate, non est sine culpa, quia est dissipatio quaedam; et ratione scandali: multi enim videntes nimium nitorem in vestibus religiosi viri, ex hoc offenduntur. Contra quod dicitur: « In habitu vestro nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum. »

Ex hujusmodi ergo munditiae appetitu nimio sequuntur vitia animae quae dicuntur sordes spirituales. *Thren. 1.*: Sordes ejus in pedibus ejus. *Glossa:* Sordes vitiorum.

CXXVI. Quod graves sordes sunt peccata seu vitia.

Porro hujusmodi sordes, scil. vitiorum, sunt valde graves. Etsi enim omnes sordes inquinent, tamen nihil sunt inquinationes aliarum sordium in comparatione ad istas. *Matth. 15:* Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. Et *post* exponit Christus hoc de peccatis.

Item, etsi omnes sordes in aliquo corrumpant subjectum suum, tamen istae magis, quia putrefaciunt. *Joel. 1:* Computruerunt jumenta in stercore suo. Quod exponit Gregorius de sordibus vitiorum.

Item, etsi omnes sordes diffundant foetorem, tamen istae longius, quia ad Deum et ad angelos suos in supernis, quia hae solae sordes foetent eis. *Ezech. 32:* Irrigabo terram foetore sanguinis tui, scil. peccati, super montes. Quod ideo dicitur quia non solum per plana mundi, sed usque ad alta coeli diffunditur iste foetor.

Item, istae sordes sunt non solum in loco communi, sed in camera regis, scil. corde, in quo rex glorie specialiter debet requiescere. *Ezech. 14:* Viri isti filii hominis posuerunt immunditias suas in cordibus suis: et ideo graviores.

Item, istae fortius adhaerent quam aliae, quia vix possunt mundari. *Ezech. 24:* Immunditia tua exsecrabilis est: mundare te volui et non es mundata a sordibus tuis. Fortis adhaesio sordis, quia (1) Deus vix potest abstergere.

---

(1) Cod. Vien.: quam.

Item, ab aliis sordibus potest homo cavere: istae vero, licet tam graves, sunt tamen (1) quasi (2) inevitabiles. *Job. 9:* Si lotus fuero aquis vivis, et fulserint quasi mundissimae manus meae, tamen sordibus intinges me. *Glossa:* Nec vita, nec lacrymae perfecte mundos reddunt, dum durat haec corruptio. Quod ideo dicitur quia semper renovantur istae sordes.

Cum ergo sordes istae sint tam graves, valde stultus est qui prae nimio appetitu munditiae in vestibus non necessario istas incurrit. Et ideo bene dicit ut « secundum arbitrium praepositi » temperate laventur vestes « ne interiores animae sordes contrahat mundae vestis nimius appetitus ».

Sequitur: **Lavacrum etiam etiam corpori, cum infirmimitatis necessitas cogit, minime denegetur.**

Traditis mandatis circa necessitatem vestium, tradit hic mandata circa necessitatem (3) infirmitatum. Sunt autem quatuor, quibus interdum indigent infirmi. Unum est balneum, circa quod tradit hic mandatum, continuans lavacrum corporis cum lavacro vestium; aliud est medicina, circa quod tradit secundo mandatum, ibi: « fiat sine murmure; » aliud est itineratio, quam oportet interdum ad balnea vel ad alia loca subire, occasione infirmitatis, (4) circa quod tradit tertio mandatum ibi: « Nec eant ad balnea »; aliud est provisor qui de iis curam gerat sollicitam, circa quod tradit quarto mandatum ibi: « aegrotantium cura, » etc.

CXXVII. De quibusdam notabilibus circa balneum.

Ad declarationem hujus primi mandati notandum est quod in Scripturis reperitur quoddam lavacrum quod potest dici figurale. Isto utebantur Judaei in multis lotionibus quas faciebant: sed praetendebatur aliud in figura. Hoc est lavacrum de quo dicitur *Marc. 7.:* Judaei a foro nisi baptizentur panes non comedunt; et alia multa quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum et urceorum, aeramentorum et lectorum.

---

(1) Codd. Sp., Vien. et Tol.: licet tam graves sint, tamen... — (2) Cod. Tol. velut. — (3) Codd. Vien. et Grat.: necessitates. — (4) Cod. Grat.: infirmitatum

Aliud est quod potest dici sacramentale quod confert gratiam, ut baptismus, de quo, *Ephes. 5*: Mundans Ecclesiam lavacro aquae in verbo vitae.

Aliud est quod potest dici materiale, quod nihil habet figurae vel gratiae, sed solum corporalem ablutionem. Hoc autem est duplex. Nam quoddam est quod exhibet religio christiana corporibus defunctorum, quae abluere consuevit, et est tractum a primitiva Ecclesia, in qua hoc fiebat. *Act. 9*: Factum est in diebus illis ut Dorcas infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt eam in coenaculo.

Aliud est quo utuntur viventes, scil. balneum. De quo sciendum est quod hujusmodi lavacrum foemineum reputatur. Filia enim Pharaonis descendit ut lavaretur in flumine. (1) *Exod. 2.* Bethsabee lavit se super solarium suum. 2. *Reg. 11.* Judith baptizavit se in valle Bethuliae, in fonte. *Judith. 12.* Susanna voluit lavari in pomoerio. *Dan. 13.* Cum sic legatur de foeminis, de viris non legitur hoc in Scripturis divinis.

Item, non potest fieri hujusmodi balneum sine denudatione. Pudicae vero mentes sic erubescunt hujusmodi nuditatem, quod non solum coram aliis, sed nec etiam solae possunt eam sustinere: propter quod religiosi semper jacent vestiti.

Item, per tale balneum abstergitur praecipue sudor ille de quo impositum est posteritati Adae quod in illo comedat panem suum: et ideo quidam religiosi nunquam utuntur balneis, pro quantacumque (2) necessitate, tum quia reputant hoc foemineum, tum quia reputant nimis verecundum, tum quia reputant hoc poenitentiae posteritati Adae impositae contrarium. Non est autem ista austeritas reprobanda, sed potius tanquam magna sanctitas veneranda, praecipue cum Hieronymus, *De illustr. viris,* in laudem magnam beati Jacobi episcopi Ierosolymitani dicat quod nunquam balneis fuit usus. Verum beatus Augustinus sicut beatus Benedictus humanius agens, non prohibet hujusmodi balnea, sed concedit: sed tamen cum multo temperamento.

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: in fluvium. — (2) Cod. Vien.: quacumque.

Sunt tamen quidam qui illis utuntur propter lasciviam, sicut pueri qui se balneant in fluminibus; quidam propter munditiam, ut illi qui propter aliud se non balneant, nisi ut abstergantur sudores et aliae immunditiae; quidam vero propter infirmitatem. Duo prima excludit, tertium concedit.

Item, non pro aliqua infirmitate, nisi sit cogens.

Item, nec tunc, (1) nisi cum quadam difficultate; (2) et ideo notanter (3) dicit: « cum infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur, » innuens quod non concedatur nisi pro sola infirmitate, et quae adeo sit gravis quod cogat, et quod usque ad petitionem, scilicet infirmi vel medici, potest differri.

Notandum tamen quod in Africa temporibus Augustini communiter utebantur homines balneis, propter terrae calorem: et ideo facilius hoc Augustinus concessit. Et ideo ubi non sunt eaedem causae, cum majori difficultate est concedendum hodie religiosis; et cum conceditur, cum tali cautela est faciendum quod non cedat extraneis ad offensam. Sicut autem illi qui non utuntur balneis habent Jacobum Apostolum pro se; ita et qui utuntur habent Johannem evangelistam pro se, de quo dicitur in *Eccles. Hist.* (4) quoad cum intrasset ad balnea, et vidisset quemdam ibi haereticum, dixit: Recedamus ne corruant balnea super nos.

Item, habent pro se virtutem quam posuit Deus in probatica piscina quae est in Jerusalem: in quam qui primus descendebat post motionem aquae factam ab angelo sanabatur. *Joh.* 5. Quomodo enim Deus tantam virtutem in illo balneo posuisset, si non liceret uti balneis?

Item, habent pro se Eliseum, qui praecepit Naaman ut lavaretur septies in Jordane. 4. *Reg.* 5. Quod nunquam fecisset tantus et tam sanctus propheta, si balneum esset res illicita. Et ideo cum bona conscientia possunt uti interdum balneis militantes sub regula beati Augustini, dummodo fiat hoc non leviter, sed cum temperamento quod posuit.

---

(1) Cod. Tol.: necessitate. — (2) Codd. Vien. et Sp.: Item necessaria; tunc cum quadam difficultate. — (3) Cod. Grat.: signanter. — (4) Scil. Petri Comestoris.

Sequitur: **Fiat sine murmure de consilio medicinae, ita ut etiam si nolit, jubentae praeposito, faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit et forte non expedit, suae cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiam si noceat prodesse creditur quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid sibi doleat sine dubitatione credatur: sed tamen utrum sanando illi dolori quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur.**

Hoc est secundum mandatum penes necessitates infirmitatum, quod tradit circa medicinalia, quod continet tria. Mandat enim quod provideatur infirmis de medicinalibus, scilicet quando ars medicinae hoc consulit, et hoc est quod dicit: « Fiat », scilicet infirmis, « de consilio », id est ad consilium, « medicinae », id est scientiae medicinae; » item qualiter, et ideo dicit: « sine murmure; » item, quomodo (1) diversimode circa diversos est habendum, et hoc est quod dicit: « ita ut, etiam si nolit, » etc.

CXXVIII. Quare medicinalia et qualiter ministranda sunt religiosis.

Circa primum notandum quod aliqui religiosi ex magno rigore sanctitatis non curant uti medicinalibus, reputantes hoc quamdam carnalitatem, et imitari volentes beatam Agatham, quae dixit: Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui. Sed non sunt ideo reprobandi qui utuntur. Isaias enim propheta sanctus usus est medicinalibus in Ezechia, qui fuit unus de sanctioribus regibus Judaeorum. *Is. 38:* Et jussit Isaias ut tolleret massam de ficis, et cataplasmaret super vulnus et sanaretur. *Glossa:* Quidam non ulcus sed apostema suspicati sunt, cui juxta artem medicorum siccioribus ficis et contusis subvenitur.

Item, Tobias junior de consilio angeli de felle piscis unxit oculos patris et sanavit eum. *Tob. 11.* Quod ipse angelus valere dixit ad medicinam. *Ejusd. 6.*

Item, Altissimus de terra creavit medicinam, sicut dicitur *Eccli. 38.* Cum ergo propheta sanctus medicinalibus sit usus, et angelus utendum consuluerit, et ipse Dominus, qui omnia fecit propter hominem,

---

(1) Cod. Tol.: qualiter.

ipsam creaverit, non est utique spernenda medicina. Et hoc dicit *Glossa* super praedictum locum *Is. 38.*

Sunt autem tria quae incitare debent ad subveniendum fratribus in medicinalibus. Primum est natura compassionis. Si enim sacerdos et levita reprehenduntur de incompassione, *Luc. 10,* eo quod vulnerati extranei quem viderunt in transitu non alligaverunt vulnera, quanta reprehensione digni sunt qui fratri proprio quem vident quotidie in languore non curant aliquod remedium exhibere, praecipue cum sint membra (1) corporis unius, et naturaliter si membrorum (2) unum patitur, compatiuntur ei caetera membra, sicut dicitur 2. *Cor. 11.*

Secundum est communis utilitas. Quod enim infirmum est inutile invenitur, sicut dicitur *Sap. 2;* et ideo subveniendum est fratri infirmo, ut recuperata sanitate possit in aliquo utilis esse communitati, quod non potest esse durante infirmitate.

Tertium est mercedis apud Deum expectatio. Si enim tantum placet ei servitium exhibitum infirmo, quod pro sola visitatione dicturus sit in die judicii visitanti infirmum: Infirmus fui et visitastis me, sicut dicitur *Matth. 25.,* quid potest expectare ille qui non solum visitat, sed procurat sollicite medicinalia, et omnia per quae possit citius relevari, praecipue cum ipse in figura hujus promittat, *Luc. 10,* dicens: Quidquid supererogaveris, scilicet circa vulneratum, ego cum rediero reddam tibi.

Circa secundum notandum est quod infirmitas est occasio humanae fragilitati facile murmurandi de ipsa infirmitate; et cum super infirmitatem additur defectus remediorum, facilius murmuratur. Et ideo boni praelati est libenter (3) providere infirmis subditis, etiamsi alia causa non esset, ut auferatur ab eis occasio murmurandi: exemplo Moysi qui rogavit Dominum ut daret aquam miraculose filiis Israel, ut vel sic cessarent a murmure. Aperi, inquit, thesaurum tuum fontem aquae vivae, ut satiati, cesset murmuratio eorum. *Num. 20.* Quod et factum est.

Item, sunt aliqui praelati qui etsi interdum hoc faciant, tamen

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: cum sit membrum. — (2) Codd. Vien. et Grat.: membrum. — (3) Cod. Tol.: liberaliter.

faciunt cum tanta difficultate et tristitia, et quasi murmurando, quod multum diminuunt de merito suo, quia hilarem datorem diligit Deus. 2 *Cor. 9.* Ideo et e converso (1) ut opus pietatis sit magis meritorium dicit apostolus, *Rom. 12:* Qui miseretur, in hilaritate. *Glossa:* Omnis misericordia cum gaudio fieri debet.

Item, alicubi inveniuntur aliqui qui, quando haec fiunt, murmurant de unguento effuso super Jesum, reputantes quod cura nimis superflua habeatur de medicinis (2) circa infirmos. Istud est murmur pharisaeorum, qui murmurabant de medico cum aegroto subveniebat, *Luc. 11.*

Erant appropinquantes ei publicani et peccatores (3) ut audirent illum, sicut scilicet infirmus libenter audit consilium medici, et murmurabant scribae et pharisaei dicentes quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. *Luc. 15.* Gregorius: Pharisaeus medicum Jesum reprehendit de subventione. Quia ergo omne murmur in religione est valde detestabile, ut supra demonstrantum est, sic liberaliter debent medicinalia pro tempore ministrari, ut infirmi occasionem murmurandi non habeant; sic hilariter, ut ministrantes cum murmure meritum suum non minuant; (4) sic sine murmure (5) quod fit debet ab omnibus acceptari, ut caritatem fraternam in se jugiter (6) ostendant; (7) et ideo vir sanctus, volens in hoc casu omne murmur excludi, dicit: « fiat sine murmure », scilicet sine murmure ministrantium, sine murmure aegrotantium, sine murmure adstantium. (8)

Circa tertium notandum quod aliqui reperiuntur qui propter fervorem (9) sanctitatis contemnunt medicinalia, aliqui qui nimis curant de illis, aliqui vero qui frequenter allegant se infirmos. Circa istos vero est diversimode agendum.

Primi enim sunt compellendi ad utendum medicinalibus cum expedit eis, et ideo dicit: « ita ut etiamsi nolit », etc.

---

(1) Cod. Tol.: e diverso. — (2) Codd. Tol. et Grat.: medicis. — (3) Cod. Tol.: publicani peccatores. — (4) Cod: Grat.: diminuant. — (5) Cod. Sp.: sed debet sine murmure, quod fit.... — (6) Cod. Tol.: in se habere ostendant. — (7) Cod. Vien.:.... fraternam jugiter ostendat. — (8) Cod. Tol.: sine murmure ministrantium, sine murmure assistentium. - Cod. Grat.: sine murmure aegrotantium, sine murmure assistentium. — (9) Cod. Vien.: prae fervore.

Secundi non sunt audiendi cum eis non expedit, et ideo dicit: « Si autem ipse velit, et forte non expedit », etc.

Tertiis in parte est credendum, scilicet de dolore; in parte non scilicet de medicinalibus: sed medicus est consulendus; et ideo dicit: « Denique si latens est dolor, » etc.

Et notandum quod ex hoc quod dicitur circa primos habetur argumentum quod quando aliqui prae fervore (1) religionis nolunt recipere recreationes, aut in hospitio, aut in infirmitorio, aut nimis volunt jejunare, aut vigilare, aut abstinere ab aliquibus, aut se aliter nimis affligere, non est eis acquiescendum: sed compellendi sunt ad ea quae alii communiter faciunt, et conferunt eis corporaliter, sicut hic dicit de medicinis, quod « etiamsi nolit, jubente praeposito faciat » quod salus requirit.

CXXIX. Quod compellendi sunt ad recreationes viri sancti qui eas recusant.

Hujus autem sunt causae multae. Prima est ne religiosus qui propriae voluntati abrenunciavit, in ea nutriatur, quia ex hoc solet confundi religio. *Prov. 29:* Puer qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam, scilicet religionem, in qua quilibet debet esse puer sub virga disciplinae.

Secunda est ne jumentum corporis sui, quod non solum est suo, (2) sed communitatis servitio deputatum, inutile vel minus utile reddatur. Quo contra dicit Psalmista, *Ps. 58:* Fortitudinem meam ad te custodiam.

Tertia est ne inducatur in religionem singularitas, (3) quae ipsam devastat. *Ps. 79:* Singularis ferus depastus est eam.

Quarta est ne cura corporis ei cui tradita est auferatur, cum vult religiosus corpus suum regere secundum suam voluntatem. Bernardus: Qui vestri curam semel nobis commisistis, quid rursus de vobis vos intromittitis?

Quinta est ut superbiae, quae ex iis oriri solet, ut patet in pharisaeo qui jejunans bis in sabbato reputabat se majorem, resistatur. Bernardus: Quae major est superbia, quam ut unus homo toti con-

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: per fervorem. — (2) Cod. Grat.: suum. — (3) Cod. Vien.: vitium singularitatis.

gregationi juditium suum praeferat, tanquam ipse solus spiritum Dei habeat?

Sexta quia hujusmodi sacrificium minus acceptum est Deo. Bernardus: Si in die jejunii invenitur voluntas vestra, non tale jejunium elegit sponsus ille, nec sapit illi jejunium quod non lilium obedientiae, sed vicium propriae voluntatis facit. Ego autem non solum de jejunio, sed de omni observatione monachi ubi invenitur voluntas sua, non magistri obedientia, idipsum sentio.

Septima, ne digniores tractentur indignius. Certum enim quod quanto magis hujusmodi recreationes fugiunt aliqui, tanto sunt sanctiores; quanto sunt sanctiores, tanto sunt digniores. Bernardus: Da mihi alterum Timotheum, et ego cibo eum auro et poto balsamo. Cum ergo illi qui non recusant recreationes eas habeant, si isti qui nolunt eas non compellerentur ad eas, tum digniores indignius tractarentur.

Octava, ne infirmi videntes meliores minus bene habere, ab eorum imitatione tepescant. Exemplum. Fuit quidam religiosus qui, secundum quod edoctus fuerat in novitiatu, proponebat nihil ordinare de se, vel procurare pro se. Cum autem sic fecisset aliquanto tempore, et videret quod multae consolationes carnales fierent aliis pro se procurantibus, sibi autem nullae fierent, mutato proposito secum dixit: Volo et ego pro me procurare aliquid sicut et alii faciunt, ex quo me non procurante nihil mihi fit consolationis.

Propter praedicta igitur bonorum praelatorum est sollicite considerare subditos suos, et quos viderint prae sanctitate recreationes carnales contemnere, tanto magis ad eas ipsos compellere, exemplo illius qui pauperes compulit intrare ad coenam. *Luc. 14.*

CXXX. Quod non est satisfaciendum subditis in carnalibus voluptatibus.

Item, ex hoc quod dicitur circa secundos notandum est quod non est satisfaciendum religiosis in his quae ad carnem pertinent, quantumcumque super his insistent, cum non expediunt. Non est enim pii patris filiis qui quandoque noxia cupiunt dare, nisi bona data, secundum Evangelium, *Luc. 11.* Non est enim prudentis medici infirmo dare quod petit, nisi expediat. Non est iterum equitis equo quem regit

laxare habenam (1) ad bibendum quantumcumque vult bibere in aqua qualibet. Cum ergo praelati sint patres, medici et rectores suorum subditorum, sicut patet per multas scripturas, non debent satisfacere eis in carnalibus cum non expediat. (2)

Praeterea prohibitum est homini ne curam carnis propriae faciat in desideriis. *Rom. 13.* Ergo cum debeat quilibet filium suum spiritualem diligere sicut seipsum, non debet hoc idem facere eidem.

Item, secundum Augustinum plus debet diligere quilibet animam proximi quam carnem. Sed carnalia desideria sunt contra animam, secundum illud *1. Petri 2:* Quae militant adversus animam. Ergo nullus debet in his alicui satisfacere, cum non expediat.

Item, quando filii Israel concupierunt concupiscentiam in deserto, et Dominus concessit eis quod petebant, fecit hoc ex ira. *Ps. 77.:* Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, etc. Sed in hiis quae sunt irae et vindictae non debemus eum imitari, quia sibi soli vult servari vindictam, *Rom. 12.* Et inde (3) ut prius.

Item, concupiscentia carnalis est quasi ignis, sicut dicitur *Eccli. 9;* et ideo quanto plus ministrantur ei concupita, tanto plus viget; sicut ignis quanto plus et plus ministrantur ligna, tanto plus ardescit. Cum ergo succensa domo proximi non soleant apportare ligna, sed potius subtrahere, quis audeat dicere quod concupiscentiae fratrum concupita sint concedenda?

Item, usus delectabilium carnalium enervat homines; unde scriptum est in Merlino: (4) Deliciae enervabant principes. Et ideo dicitur: Vae terrae cujus principes mane comedunt! *Eccle. 10.* Et e contra: Beata terra cujus principes vescuntur (5) in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam. *Ibid.* Ideo Lycurgus primus traditor legum praecepit ne filii divitum nutrirentur in civitatibus, sed magis a rusticis, ut durius nutriti potentiores essent ad laborem. Si ergo cavendum est nobilibus et divitibus a delectationibus ne vires eorum

---

(1) Cod. Grat.: habenas. — (2) Cod. Grat.: cum non expediant. — (3) Cod. Vien.: et vide — (4) Cf. Villemerqué: *Myrhdin, ou l'Enchanteur Merlin;* L. Gauthier, *Les Epopées Françaises.* — (5) Cod. Tol.: vocantur.

enerventur, quanto magis religiosis, quos oportet esse fortes ad omnem laborem propter nomen Christi sustinendum!

Ideo scriptum est de bona matre beati Bernardi quod nutrivit ipsum et fratres suos cibis grossioribus, tanquam ad eremum transmittendos. Et beata Sylvia mater beati Gregorii ipsum in penetralibus monasterii, jam etiam factum rectorem aliorum, crudis pascebat leguminibus. Si autem matres carnales sic fecerunt de filiis, et tantis filiis, quantum exigitur a patribus spiritualibus, ut contrarium non faciant circa filios suos!

Item, valde cavendum est praelatis ne dent subditis occasionem rebellandi. Qui vero delicate a pueritia nutrit servum suum postea inveniet eum contumacem, sicut dicitur *Prov. 29.* Et ideo cavendum est ne sic delicate nutriantur subditi quod, cum voluerit ordo eos avellere ex deliciis, non possit, quia secundum philosophum difficile est assueta relinquere. Bene ergo dicit quod si velit medicinalia aliqua, et non expediunt, quod similiter intelligendum est de omnibus carnalibus, « suae cupiditati non obediatur, » etiamsi eis videatur quod prosint. « Aliquando enim, » immo frequenter, « etiamsi noceat, prodesse creditur quod delectat. » Nonne credidit (1) Eva quod esus pomi quod vidit pulchrum et ad vescendum suave, sicut dicitur *Gen. 4,* prodesset sibi et viro, ut essent sicut dii, scientes bonum et malum? Et tamen omnes experimur quantum nocuerit. (2) Nonne credebat Esau quod edulium lentis, de quo habetur *Gen. 25,* sibi famelico multum prodesset? Et tamen tantum nocuit quod propter illud amisit primogenita, et non invenit locum poenitentiae, quamvis cum lacrymis inquisisset eam, sicut dicit apostolus *Hebr. 12.* Nonne putat leccator, quum intuetur vinum quando flavescit et splendet in vitro color ejus, et ingreditur blande, quod multum conferat sibi? Et tamen in fine mordet ut coluber, et quasi regulus venena diffundit, sicut dicitur *Prov. 23.* Nonne aestimat dives quod panis delicatissimus quem comedit, et fercula pretiosa multis empta divitiis, multum conferant ei cum eis utitur? Et tamen panis ejus in utero ejus vertetur in fel aspidum intrinsecus, et divitias quas devoravit evomet, et de ventre

---

(1) Cod. Grat.: Credidit Eva quod.... — (2) Cod. Grat.: noceat.

ejus extrahet illas Deus, sicut dicitur *Job. 20.* Piscis nonne putat (1) quod esca quam comedit in hamo multum sibi prodesse valeat? Et tamen cum ea capitur. Sic etiam accidit hominibus de voluptatibus. Ideo dicit Tullius, *De Senectute:* Plato divitias voluptates dixit esse escas malorum, quia eis capiuntur homines velut piscis in hamo. *Eccle. 9:* Sicut pisces capiuntur hamo, ita homines in tempore malo, id est in praesenti, quoniam (2) dies mali sunt. *Eph. 5.* Non ergo acquiescendum est talibus, etiamsi allegent sibi utilia, quia aliquando, immo frequenter, in hujusmodi decipiuntur.

Circa tertios notandum est quod aliqui reperiuntur interdum qui fingunt se infirmos esse, licet non sint, sicut trutanni, ut accipiant aliquam eleemosynam pro carne, dicentes modo praelato, modo infirmario: Miserere mei, quoniam infirmus sum. Verbi gratia, accidit in ordine Cartusiensium quod quidam clericus saecularis, qui serviebat in quadam domo illius ordinis in aliquibus officiis, interdum videns simplicitatem correrarii, (3) posuit se quodam die in lecto simulans se infirmum. Ad quem cum accessisset correrarius vir sanctus et simplex, et quaesisset quid haberet, respondit: Domine, eram in tali loco, et cecidi, et timeo ne habeam unam costam fractam. Ad quem ille: Et quid posset tibi fieri? Ille respondit: Domine, faciatis, si placet, unam patellatam de ovis, et ponam super costa pro emplastro. Quod cum factum fuisset, ille simulator recedente viro bono ab eo comedit ova.

Item, dictum est de quodam religioso quod fuit ita fictus, quod cum diceret se infirmum, et in (4) urina ostensa medico nullum signum infirmitatis appareret, miscuit aliquid pulveris alia vice in urina, ut vel sic appareret infirmus, et super hoc fuit deprehensus.

Isti et similes sunt qui Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, sicut dicitur *Rom. 16.* Non omni spiritui ideo credendum est

---

(1) Cod. Grat.: reputat. — (2) Cod. Grat.: quando. — (3) Hic docte me monet amicus meus P. Vinc. Laporte: « Chez les Chartreux, le procureur restait avec les convers à « la maison d'en bas », dite « correria; » pour que les moines, qui habitaient « la maison d'en haut, » ne fussent pas troublés par le bruit des travaux manuels. - Voyez Ducange, art. *Correrarius,* et surtout les *Annales* des Chartreux. » — (4) Cod. Grat.: et etiam.

de infirmitate, nisi sit talis qui se infirmum dicit quod indubitanter Dei servus credatur. Et ideo bene dicit: « famulo Dei, » id est servo Dei, « dicenti quid sibi doleat sine dubitatione credatur. »

Circa quod sciendum est quod sunt quidam qui ex his quae in eis videntur apparent veri (1) servi Dei, sicut dicitur de Simpliciano, quod apparebat Augustino bonus servus Dei, et lucebat in eo gratia divina. Sunt autem multa per quae sic apparent aliqui veri (2) servi Dei, si in eis inveniantur.

CXXXI. Per quae apparent aliqui vere servi Dei.

Sunt enim aliqui famuli saecularium dominorum qui non serviunt eis nisi vel de die vel de nocte: servi vero Dei continue, tam de die quam de nocte, serviunt. *Apoc. 7:* Serviunt ei die ac nocte. Qui autem sunt isti dicitur 22 *ejusd.:* Servi ejus, inquit, servient ei.

Item, multi reperiuntur qui faciunt servitia, sed coacta: non sic veri servi Dei, sed voluntaria servitia exhibent Deo suo. *Eph. 6:* Ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes.

Item, sunt aliqui qui, quando sunt cum dominis apud quos habent libertatem magnam, abutuntur ea in malitiam: (3) non sic isti. 1 *Petr. 2:* Quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei; qui scilicet non abutuntur libertate in malum.

Item, sunt aliqui quibus grave est audire verbum domini sui, eo quod imperat aliquid durum: non sic est in servo Dei vero, quia paratus est ad omnia mandata ejus, et ideo diligit eum audire. *Ps. 118:* Et servus tuus dilexit illud; scilicet eloquium tuum.

Item, sunt aliqui quibus etsi grave non sit audire mandata domini sui, tamen non multum desiderant ea cognoscere, non sic verus servus Dei, sed desiderat ea scire et cognoscere. *Ps. 118:* Servus tuus ego sum: da mihi intellectum ut sciam testimonia tua; id est praecepta quae testimonium perhibent de tua voluntate.

Item, sunt aliqui qui, etsi studeant in sciendo mandata domini,

---

(1) Cod. Sp.: vere. — (2) Cod. Sp.: vere. — (3) Codd. Sp. et Tol.: malitia.

tamen segnes sunt in operando. Non sic verus Dei servus. *Ps. 118:* Etenim servus tuus custodit ea.

Item, verus servus Dei non est sicut famuli potentum, qui ambulant in magnis: sed attendens humilitatem domini sui Christi, gerit se humiliter, (1) quia sicut dicitur *Joh. 13:* Non est servus major domino suo. Sic faciebat Paulus, de quo dicitur *Act. 20:* Vos scitis qualiter fuerim vobiscum per omne tempus, serviens Domino cum omni humilitate.

Item, non est gravis hominibus sicut multi famuli magnatum. 2 *Tim. 2:* Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, et docibilem, patientem, cum modestia corripientem.

Item, intendunt (2) lucro domini sui, sicut sancta Caecilia, quae sicut ovis (3) argumentosa Domino deserviebat. Unde, *Matth. 25,* dicit unus de bonis servis Domini: Domine quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum.

Item, propter mala supervenientia sibi in servitio Domini non relinquit suam bonitatem. *Job. 2:* Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam?

Item, cum omnia bona ista vel alia fecerit, non inde superbit. *Luc. 17:* Et cum omnia quae praecepta sunt vobis feceritis, dicite: Servi inutiles sumus.

Item, non est sicut servi fugitivi, sed inseparabiliter adhaeret Christo Domino suo. In hujus signum dicit Ethaï Getheus, 2 *Reg. 15,* domino suo David: Vivit Dominus, et vivit Dominus meus rex, quia in quocumque loco fueris, Domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.

Si ergo in aliquo apparuerint signa ista manifesta, (4) ut sit in fronte, id est aperte, signatus, secundum quod dicuntur servi Dei signati in frontibus eorum, *Apoc. 7.,* ei « dicenti quid sibi doleat sine

---

(1) Cod. Grat.: Item, veri servi Dei, non sunt... sed attendentes... gerunt. — — (2) Cod. Grat.: servus intendit. — (3) Ita codices Liturgiae vetustiores. - Codd. Sp. et Tol.: apis. Cf. Migne. *Patrol. Lat.* vol. LXXVIII, col. 816. — (4) Cod. Grat.: manifeste.

dubitatione credatur: « sed tamen utrum sanando illi dolori quod delectat expediat, si non est certum, » ei non credatur, quia hoc non est de pertinentibus ad Dei servitium, sed « medicus consulatur, » ad cujus artem pertinet.

In quo reprehenduntur qui de suo sensu faciunt medicinas, cum artem medicinae nesciant, vel aliis nescientibus artem acquiescunt: sed ipsos medicos contemnunt, cum ipsos solos Augustinus dicat esse consulendos.

Sequitur: **Nec eant ad balnea, sive quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus praepositus jusserit ire debet.**

Hoc est tertium mandatum quod tradit circa itinerantes, quod interdum requirunt aliquae infirmitates; et hujus occasione ampliat mandatum ad omnem itinerationem, quacumque necessitate fiat.

Sunt autem duo quae hic mandantur: primum est circa societatem in via habendam semper; secundum est circa modum habendi socium, ibi: « Et ille qui habet. »

CXXXII. De quibusdam circa balneationem.

Licet autem de primo multa sint supra (1) dicta circa hoc mandatum: « Quando proceditis simul ambulate, » tamen quantum ad ea quae hic expressius tanguntur, sciendum est quod sunt balnea quaedam in aliquibus nationibus sulphurea et naturalia, quae multum solent valere contra varias infirmitates. Haec autem multum fuerunt olim in usu, et adhuc sunt alicubi, ita ut magni viri, et honesti, et etiam religiosi, soleant ad ea de consilio medicorum declinare. Quia vero solent convenire illuc multae viles personae, et etiam mulieres, licet separata pro eis balnea habeantur, ideo specialiter tangit Augustinus quod si aliqui vadant illuc, bonam habeant societatem propter honestatem ibidem specialius observandam, quamvis videatur quibusdam quod non decet viros religiosos unquam ad balnea talia accedere.

Item, in hoc quod dicit: « sive quocumque ire necesse fuerit, »

---

(1) Cap. LXXXI.

notatur quod vir religiosus sine necessitate non debet egredi claustrum suum. Nec mirum, quia nec bestiae de facili egrediuntur latibula sua, nisi propter pastum, vel aliam necessitatem, propter securitatem majorem in qua sunt ibi. *Job. 22.:* Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur. Si autem hoc facit bestia, quanto magis homo rationalis, cum ipsi instet majus periculum (1) in levibus discursibus extra claustrum suum!

Item, notandum quod occasione ejus quod dicitur: « minus quam duo vel tres, » et non dicitur qui duo, vel qui tres, dicunt quidam de ordine beati Augustini quod sufficit eis habere unum secularem socium quemcumque in via. (2) Sed contra eos est quod supra dicitur: « Quando proceditis, simul ambulate, » etc. Constat enim quod ibi loquitur Augustinus sub regula sua militantibus, et solent mandata exponi in scripturis unum per aliud. Ex quo relinquitur quod illud quod hic dicitur: « minus quam duo vel tres » intelligitur de fratribus ejusdem professionis.

Sed numquid potest praelatus, in ordine scilicet Augustini, dispensare cum subdito suo in isto mandato, ut vadat solus interdum?

Respondeo: Dicunt quidam quod sic, ex causa rationabili, licet hoc raro, et non sine causa magna faciendum. Et adducunt ad hoc Decretalem Innocentii quae dicit quod abbas non possit dispensare in voto proprietatis abdicatae, sicut nec in voto continentiae, quia sunt de substantia ordinis. Ex hoc habetur argumentum a sensu contrario quod in his quae non sunt de substantia ordinis potest dispensare, et tale est illud.

CXXXIII. De discretione habenda in associatione.

Circa secundum notandum quod religiosus itinerans (3) non debet assumere socium propria voluntate, sed secundum arbitrium praepositi. Et hoc primo propter bonum obedientiae, ut in domo obedientiae omnia secundum obedientiam fiant.

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: magis instet periculum. — (2) Cod. Tol.: saeculare socium in via quacumque. — (3) Cod. Vien.: itinerarius. - Cod. Sp.: sub itinerario.

Item, propter discretionem, quia praelatus, qui noscere debet animas jumentorum suorum, scit de hoc melius ordinare.

Item, propter bonum commune. Talis enim posset assumi ab itineraturo de quo non expediret assumenti, vel assumpto, vel aliis remanentibus, quibus forte esset necessarius in aliquibus; vel alius forte haberet aliquam rationabilem causam eundi cum eo: quae omnia melius novit praepositus. Quod autem sic sit faciendum ut hic dicitur docent nos exempla sancta. Moyses enim descensurus in Ægyptum non assumpsit socium pro voluntate sua, sed Aaron a Domino sibi datum. *Exod. 4.*

Item, Mariae peregrinaturae cum puero provisum est de socio, scilicet Joseph, angelo jubente. *Matth. 2.*

Item, Timotheo evocato ad se providit Apostolus de socio. Marcum, inquit, assume, et adduc tecum. 2. *Tim. 4.*

Verum praelatus qui habet de socio providere, cum multa cautela debet hoc facere.

Si enim itineraturus est minus religiosus, nunquam debet ei assignare pro socio nisi virum sanctum, ut cum eo proficiat in sanctitate, ad quod nihil valet tantum ut bona societas. Seneca: Nihil ita animos honestos inducit ut bonorum societas.

Si vero sit minus prudens, assignandus est ei vir prudens, ut prudentiam cum eo addiscat, quia, sicut dicitur *Prov. 13,* qui cum sapiente graditur fit sapiens.

Si vero sit juvenis, et difficile (1) debet ei concedi quod egrediatur, et, si conceditur, non est ei assignandus nisi grandaevus, exemplo Jacob. Qui non nisi cum magna difficultate concessit quod Benjamin adolescens iret in Egyptum, et tunc non concessit nisi iret cum fratribus suis senioribus et multis. *Gen. 43.*

Si vero sit dyscolus tradendus est ei talis qui possit dicere: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, *Ps. 119,* ne forte discordent in via.

Si vero debilis, tradendus est ei talis qui fortis sit ad labores et

---

(1) Cod. Tol.: Si vero sit juvenis, difficile....

velit (1) vires suas (2) contemperare, ne contra mandatum Domini, *Deut. 22,* aretur simul in bove et asino, id est applicentur simul fortis et debilis ad idem.

Si vero aliquis sit facilis ad peccandum, tali nunquam est concedendum quod vadat cum alio vel alius cum eo. *Eccli. 8:* Cum audace, scilicet ad peccandum, ne eas in via, ne forte gravet mala sua in te.

Item, duo superbi non bene junguntur, quia unus nescit se alii humiliare, et ideo de facili se conturbant. *Prov. 13:* Inter superbos semper jurgia sunt. Nonne haec tentatio invasit discipulos, de quibus dicitur, *Marc. 9,* quod inter se disputaverunt in via quis eorum esset major. Quantum ergo timendum est aliis magis dispositis ad superbiam de simili?

Sicut ergo non jungitur equus cum bove ad jugum, nec consuitur pannus novus cum veteri, nec quilibet lapis aptatur cum quolibet in aedificio, sed cum convenienti sibi, ne inde sequantur inconvenientia, ita cavendum est praelato in subditorum associatione.

CXXXIV. Contra illos qui se reddunt onerosos in societate.

Sed inter haec advertendum est cum dolore quod sunt quidam qui adeo reddunt se omnibus onerosos, quod nec in via, nec in domo, nec alibi possunt cum aliis tolerari. Solent viri sancti venientes ad alios inducere eis gaudium de suo adventu, unde Hieronymus ad Paulinum: Obviis te manibus excipiam. Isti vero inducunt moerorem, quia triste est eis cum ad eos mittuntur.

Item, solent boni viri cum aliis dulciter conversari, exemplo illius de quo dicit Bernardus: O bone Jesu, quam dulciter cum hominibus conversatus es! Unde *Sap. 8:* Non habet amaritudinem conversatio illius, scilicet sapientiae; similiter nec sapientis. Isti vero amaricant continue cohabitatores suos, similes illis sociis Ægyptiacis, de quibus dicitur, *Exod. 1:* Ad amaritudinem perducebant vitam eorum, scilicet filiorum Israel.

Item, solet esse magnus dolor in divisione socii amabilis, (3)

---

(1) Codd. Sp., Vien. et Tol.: qui si fortis sit ad labores, velit... — (2) Codd. Vien. et Tol.: vires ei. — (3) Codd. Sp. et Vien.: amicabilis.

sicut patet 1 *Reg. 20,* in divisione David et Jonathae, ubi dicitur quod osculantes (1) alterutrum fleverunt pariter, cum scilicet ab invicem separaverunt se, (2) et, *Act. 20,* in recessu Pauli ab Ephesiis ubi dicitur: Maximus autem ab omnibus factus est fletus, et procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat quod faciem ejus non essent visuri amplius. Vae istis qui bonis viris in praedictis contrarii, in adventu suo inducunt tristitiam, in cohabitatione amaritudinem, in recessu gaudium! Et vere (3) miseri isti et miserandi! Nam homines sociales socios suos jucundant, juxta illud *Ps. 132:* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Isti vero socios cruciant, sicut Sodomitae sanctum Loth, de quo dicitur, 2 *Petr. 2:* Habitans inter illos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.

Item, sociales alleviant socios, juxta illud quod dicitur ab Augustino: Jucundus socius vehiculum est in via. Isti vero onerant eos quasi gravis sarcina. *Eccli. 22:* Arenam et salem et massam ferri est facilius ferre quam hominem imprudentem, scilicet corde, et fatuum, scilicet verbis, et impium, scilicet in operibus. Tales autem sunt isti.

Item, sociales alliciunt socios ad magnam amicitiam. *Prov. 18:* Vir amabilis ad societatem magis erit amicus quam frater. Isti vero reddunt se omnibus odiosos, quocumque iverint, similes Jasoni de quo scriptum est, 2 *Mach. 5:* Fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus; sic et isti in omni conventu ubi missi sunt. Quam miseri (4) et deplorandi qui solatium quod deberent facere fratribus suis vertunt in cruciatum, alleviationem in onus, amicitiam in odium!

Ad hoc boni viri sic solent bene conversari inter malos, 1 *Petr. 2:* Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, — quod habent gratiam apud eos. Sic Joseph apud Ægyptios invenit gratiam coram Pharaone tantam, quod constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae, sicut dicitur in *Ps. 104.* Sic Tobias

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: consolantes. — (2) Codd. Sp. et Tol.:.... pariter, scilicet ab invicem separantes se. — (3) Cod. Vien.: veri. — (4) Cod. Vien.: O veri miseri.

inter Ninivitas tantam gratiam invenit in conspectu regis Salmanazar, quod dedit ei potestatem faciendi quodcumque (1) vellet, sicut dicitur *Tob. 1.* Sic Daniel inter Babylonios in conspectu principis eunuchorum, sicut dicitur *Dan. 1;* et in conspectu regis Nabuchodonosor tantam invenit gratiam, quod constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, sicut dicitur *ejusd. 5.* Cum antem sic viri honi reddant se amabiles inter malos, quam miserabile est quod isti se reddunt odibiles inter bonos!

Item, de multis etiam malis hominibus invenitur (2) quod conversati sunt sine querela, sicut de Paulo, *Phil. 3:* Persequens Ecclesiam ac secundum justitiam quae in lege est conversatus sum sine querela. De istis vero ubique querelantur omnes: nam querelantur (3) majores eorum de eorum minori obedientia, minores de eorum duritia, socii de eorum molestiis, officiales de eorum importunitate, familiares de eorum rusticitate, extranei de eorum scandalis, et similia multa, ita ut possit cantari in die obitus sui: Ecce homo plenus querelis.

Item, dicitur *Eccli. 13:* Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili (4) sibi sociabitur. Quales ergo sunt homines isti qui quod naturale est homini, (5) et animalia naturaliter omnia faciunt, ut videlicet cunjungantur sibi invicem, ut gallina cum gallina et ovis cum ove, immo et lupus cum lupo, ipsi tamen nesciunt se cum fratribus similis professionis aptare, ad vivendum cum eis in pace? Quam (6) longe sunt isti a bonis viris qui etiam inter malos amicabiliter conversantur! Isti vero nec inter bonos hoc faciunt. Quam longe sunt etiam isti a quibusdam malis, de quibus nullus eorum cum quibus conversantur conqueritur! De istis vero omnes conqueruntur. Quam longe etiam sunt ab animalibus quae faciunt naturaliter illud ad quod isti nec natura nec ratione possunt duci!

Denique sciendum quod Dominus tanquam bonus carpentarius consuevit dolare servos (7) suos, removendo per correctiones et exhor-

---

(1) Cod. Vien.: quaecumque. — (2) Cod. Tol.: ponitur. — (3) Codd. Sp. et Vien.: ubique querulantur majores.... — (4) Cod. Grat.: simili suo. — (5) Cod. Grat.: quidquid naturaliter est hominum. — (6) Cod. Vien.: O quam. — (7) Cod. Tol.: sanctos.

tationes gibbos et ineptitudines, juxta illud *Os. 6:* Dolavi in prophetis. Isti vero habent tam duros nodos et ineptitudines tantas et tam fortes, quod nulla correptio vel exhortatio potest eas removere, et ideo inepti sunt ad ponendum in arca Noe quae est Ecclesia, quae fienda est de lignis levigatis, scilicet complanatis, sicut dicitur *Gen. 6,* ut possint cum aliis jungi. Et ideo timendum est eis ne sint lignum ineptum ad jungendum cum aliis, quod alias reprobatur ab artifice, et projicitur in ignem; et ita fiat de eis sicut solet fieri de sarmentis. *Ezech. 15:* Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, quia scilicet nihil valet ad aedificium; et respondit dicens: Ecce nihil valet ad aedificium: in ignem datum est.

Item, Dominus dicit discipulis suis, *Matth. 11:* Tollite jugum meum super vos. Ex quo relinquitur quod vult discipulos esse tales quod sciant se jungere in societate aliis, sicut junguntur boves in jugo. Hoc autem isti non faciunt, sed sicut dicitur *Ose. 7:* Reversi sunt, scilicet ad statum pristinum, ut essent absque jugo. Et ideo timendum est eis ne contingat eis sicut vaccae lascivienti, quae nescit jugum, quae pascitur in pratis, et impinguatur ad mortem; *Ose. 4:* Quasi vacca lasciviens declinavit Israel: nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine; vel sicut vaccae rufae, quae non traxit jugum, quae de mandato Domini educta de castris, immolanda erat in conspectu omnium, sicut dicitur *Num. 19.* Sic et de istis forte fiet in die judicii coram toto mundo.

Item, Dominus voluit suos discipulos esse sicut animalia mitia dicens eis, *Matth. 11:* Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Et ideo mittens eos dicit, *Luc. 10.:* Ecce ego mitto vos sicut oves, quae scilicet sunt animalia mitia. Isti vero sunt sicut animalia immitia, quae conturbant mitia. Contra quod dicitur, *Eccli. 4:* Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos. Quod isti faciunt; et ideo timendum est eis ne forte Dominus ejiciat eos de omni congregatione sanctorum, exaudiens preces Pauli qui dixit, *Gal. 5:* Utinam abscindantur qui vos conturbant! Si considerarent diligenter hujusmodi homines quomodo secundum praedicta sunt quasi ligna inepta in ignem projicienda, et quasi vaccae sine jugo morti destinatae, et quasi animalia ferocia de societate humana expellenda in

fine, mirum esset nisi darent operam ut essent inter alios laudabilis societatis.

Porro ad hoc quod aliquis sit socius amabilis solent valere sex.

Primum est amor ad alios. Seneca: Quaeris quomodo amicum facturus sis? Cito monstrabo tibi amatorium sine medicamento: Si vis amari, ama.

Secundum est desiderium habendi amorem aliorum. Qui enim hoc desiderat vere facit obsequia quibus hoc obtineat. Obsequium vero, sicut dicit Sapiens, amicos parit. Unde Apostolus, *Rom. 12:* Si esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres (1) super caput ejus, id est ignem amoris ad te accendes in corde ejus.

Tertium est mansuetudo. *Eccli. 3:* Fili, in mansuetudine opera tua fac, (2) et super gloriam hominum diligeris.

Quartum est affabilitas. *Eccli. 20:* Sapiens in verbis amabilem se facit.

Quintum et sextum est supportatio fraternae infirmitatis, secundum duas differentias, scilicet quoad infirmitates morum et corporum. Hoc est enim quod accendit David in amorem Dei, sicut declarat dicens, *Ps. 17:* Diligam te, Domine, fortitudo mea; et *post* subdit dicens: Dominus firmamentum meum, quoad corporalia, et refugium meum, quoad spiritualia. Si autem haec in Deo sunt causa ejus dilectionis, cur si inveniantur in homine eaedem causae, non accendetur homo ad ejus dilectionem eisdem de causis? Supportatio igitur praedicta facit hominem amabilem.

De his sex insimul dicit Bernardus: Tu qui in congregatione vivis, bene vivis, si vivis socialiter: socialiter, ut amare appetas et amari. Mitem te et affabilem exhibe, (3) ut discas non solum patienter, sed et libenter infirmitates aliorum supportare, tam morum quam corporum. Amare dicit quoad primum; amari, quoad secundum; mitem, quoad tertium; affabilem, quoad quartum; tam morum quam corporum, quoad quintum et sextum. Et vide quod duo prima sunt in

---

(1) Cod. Vien.: congregas. — (2) Codd. Tol. et Grat.: perfice. — (3) Cod. Sp.: appetas amare et amari, mitem te et affabilem exhibere.

interiori affectu secundum duas differentias ad amorem, scilicet activum et passivum; duo vero media sunt in exterioribus actionibus, secundum duo, scilicet facta et dicta; duo ultima sunt in patiendo, secundum duo genera infirmitatum praedicta, ut patet.

CXXXV. Contra illos qui nolunt socios nisi pro sua voluntate.

Post hoc notandum quod, sicut sunt aliqui inepti ad societatem aliorum, ita sunt aliqui qui laborant hoc vitio quod vix potest inveniri socius qui eis placeat. Isti sunt qui quandoque refutant aliquos qui solent esse fratrum custodes diligentes, et eorum defectus notare (1) et proclamare, timentes ne de eis faciant hoc idem. Isti sunt similes infirmis qui nolunt habere medicos qui eorum infirmitatem videant et remedium apponant. Contra hos dicit Bernardus ad Eugenium papam: Contubernales tales habeas qui vitae tuae custodes sint et testes. Si autem hoc faciendum est papae, quomodo minores, immo modici, audeant hoc renuere?

Quandoque vero refutant alios timore peccati: timent enim fragilitati suae, ne cum eis incurrat peccatum aliquod impatientiae, vel iracundiae et hujusmodi. Sed ipsi deberent confidere (2) quod propter bonum obedientiae Dominus custodiret eos, ne intrarent in tentationem, si forte eos invaderet. Exemplum in *Vitis Patrum*: Frater quidam quaesivit a sene dicens: Quid faciam, quia habeo mandatum ad talem locum, et imminet mihi ibi bellum? Et respondit senex: Sic faciebat Agathon: implebat mandatum, et vincebat bellum. Ideo dicitur signanter, *Prov. 21:* Vir obediens loquetur victorias; quia propter obedientiam datur homini virtus ad vincendum tentationes.

Item, quandoque refutant alios ratione majoritatis, volentes magis praeesse socio quam subesse: propterea nolunt associari majoribus se. Sed contra hoc est exemplum Regis gloriae, qui in hoc mundo nunquam voluit praeesse, immo fugit quando voluerunt eum rapere in regem, sicut dicitur *Joan. 6.* Subjectus tamen voluit esse parentibus. *Luc.* 2. Hoc idem etiam voluit observari a discipulis, *Matth. 20:* Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vestrum (3) minister.

---

(1) Codd. Vien. et Sp.: non tacere. — (2) Codd. Vien. et Sp.: considerare. — (3) Cod. Vien.: vester.

Item, quandoque ratione inflexibilitatis. Sunt enim aliqui qui abundantes in sua propria voluntate et sensu, non possunt trahi ad aliorum voluntatem. Isti autem nolunt socios nisi tales quos possunt ad suam ducere voluntatem. Sed contra, hoc est unum vicium propriae voluntatis, quod valde reprehensibile est in religioso. Propter quod in *Vitis Patrum* cum quidam senex reprehenderet quemdam fratrem de discursu per diversas cellas, et ipse responderet quod quaerebat aliquem senem juxta (1) cor suum cum quo remaneret, volens informare eum contra propriam voluntatem, subsannando respondit dicens: Quaeris ergo, inquit, aliquem qui tuam faciat voluntatem, non cujus tu voluntatem facias. Quo contra, *Ps. 72:* Ut jumentum factus sum apud te, quod scilicet ducitur ad voluntatem alterius, et non ducit alium ad suam.

Item, quandoque ratione delictorum. Sunt enim aliqui proni ad culpas aliquas committendas: et ideo timent aliqui eorum societatem, ne forte delinquant in aliquibus cum eis. Sed si haec ratio esset bona, tunc bonus angelus eadem de causa deberet dimittere peccatorem cui assignatus est, (2) quando non cessat peccare: quod tamen non facit. Sic boni viri non debent abhorrere malorum societatem, sed potius sicut medici debent eis assistere in spe meliorationis: et tanto magis quanto infirmi magis indigent medico quam sani. Seneca: Illos tecum admitte quos tu meliores facere possis.

Item, quandoque ratione religionis. Sunt enim aliqui qui viris valde religiosis nolunt adjungi, quia (3) tantam religionem quasi gravem sibi sustinere non possunt. Isti sunt sicut illi infelices, qui, *Sap. 2,* dixerunt de Christo: Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis (4) est aliis vita illius. Stulti isti et vecordes, qui cum indigeant, fugiunt locum abundantiae; cum e contrario faciendum ipsa necessitas, si tamen sentiatur, edoceat! Quis enim indigens eleemosyna non vadat potius ad abundantes domos quam ad vacuas; indigens fructibus, non potius vadat ad arbores plenas quam ad steriles, et sic de similibus?

---

(1) Cod. Vien. et Grat.: secundum. — (2) Ex quo non inferas angelum, juxta Humbertum, posse jam nunc peccare, sed socium debere a peccatis abstinere, ut angelus abstinet. — (3) Cod. Vien.: qui. — (4) Cod. Grat.: difficilis.

Ita et viris magnae religionis debemus nos diligenter adjungere, ut de plenitudine eorum accipiamus. Augustinus: Si paupertas angit, si luctus moestificat, si dolor corporis inquietat, si ulla calamitas instat, (1) adsint boni homines qui non solum gaudere cum gaudentibus, verum et flere cum flentibus norint, et salubriter alloqui et colloqui sciant: talibus illa aspera leniuntur, alleviantur gravia, superantur adversa.

Item, quandoque ratione insociabilitatis, de qua praedictum est. Non enim volunt ire cum aliquo cujus societas sit onerosa. Quo contra (2) hoc est quod hujusmodi onerosi sunt ad exercitium utile bonis, sicut Jebusaei filiis Israel, inter quos habitabant, *Jos. 15*. Exemplum. Dicitur de quadam reclusa sancta quod, cum haberet quamdam ancillam pacificam et patientissimam, quae ei per omnia serviebat ad nutum, attendens quod non mereretur (3) cum ea, mutavit eam in aliam impatientissimam et garrulam, quae ei verba maledica frequenter diceret, similis ancillae Sarae uxoris Tobiae, quae improperabat dominae suae de morte septem virorum suorum, *Tob. 3.*, ut plus eam sustinendo proficeret in virtutibus et meritis.

Item, dicitur in *Vitis Patrum* quod cum quidam senex visitasset alium, et audiisset circa cellam ejus pueros custodes animalium turpia et mala verba dicentes, ei dixit ille: Non audis quid dicunt illi? Respondit ille: Audio. — Et quare, inquit alius, non facis eos removeri? Ille respondit: Frequenter hoc cogitavi facere; sed postea continui me, dicens apud me: Si hoc modicum non potes sustinere, quomodo, si major tentatio superveniret, poteris sustinere? Et ideo sustineo hoc modicum, ut exercitem me ad majora si occurrerint sustinenda. Similis fuisse videtur sanctus David, qui Semei projicientem in eum et suos lapidem, (4) et maledicentem sibi, noluit prohibere, 2. *Reg. 16;* et sanctus Job frater fuit draconum et socius struthionum, sicut dicitur *Job. 30*. Et hoc ante tempus gratiae. In isto autem tempore gratiae debent homines esse tantae patientiae ad suos socios perversos, ut non respuant mitia animalia habitare cum quantumcum-

---

(1) Codd. Tol., Vien. et Sp.: inquietat. — (2) Cod. Vien.: Sed contra. — (3) Cod. Grat.: parum mereretur. — (4) Cod. Vien.: lapides.

que crudelibus. Habitabit, inquit Isaias, *Is. 11*, lupus cum agno et pardus cum hoedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, id est tempore gratiae. Quomodo, obsecro, sustinebunt illi societatem draconum, struthionum, pardorum et leonum, id est pessimorum et crudelium hominum, qui renuunt societatem unius fratris, propter mores aliquos qui quandoque non sunt peccata, licet aliquantum (1) graves sint? His exemplis et similibus multis, quae reperiuntur apud sanctos viros, debemus animari ad sustinendam societatem illorum qui mores habent onerosos, ut eorum exercitatio nobis prosit ad virtutem. Si enim, secundum Gregorium, Abel esse renuit quem Cain malitia non exercet, quomodo iterum erit Isaac qui fratris Ismaelis exercitationem et societatem recusat; vel Jacob, qui fratris Esau recusat exercitia; vel Joseph, qui perversorum fratrum exercitationem et societatem (2) repellit?

Praedictis igitur excusationibus tanquam frivolis omissis, pertinet ad fratrem Deum timentem libentius socium sibi assignatum a praelato suo acceptare, quam pro voluntate sua eligere, timendo ne si quid mali contigerit in via occasione socii, tunc sibi potius imputetur cum eligit (3) quam cum accipit assignatum.

Circa hoc igitur quod dicit Augustinus: « et ille qui habet aliquo eundi necessitatem cum quibus praepositus jusserit ire debet », ut illud efficacius et salubrius impleri possit, tria sunt dicta: videlicet, quod praelatus debet esse discretus in associando subditos, et quod omnes debent se socios amabiles exhibere, et quod nullus debet sibi assignatum socium refutare.

Sequitur: **Ægrotantium cura, sive post aegritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate etiam sine febribus laborantium, uni alicui debet injungi ut ipse de cellario petat quod cuique opus esse prospexerit.**

Hoc est mandatum quod quarto traditur circa necessitates in-

---

(1) Cod. Vien.: aliquantulum. — (2) Cod. Grat.: fratrum exercitantem societatem. — (3) Codd. Sp. et Tol.: elegit.

firmorum, quod versatur circa specialem curam quae est habenda de eis.

Sunt autem quinque quae in hoc mandato traduntur, scilicet de quibus infirmis est habenda cura, et per quem et ubi sumenda sunt quae pertinent ad hanc curam, et quae sumenda, et ad cujus arbitrium. Per quae excluduntur quinque reprehensibilia quae solent accidere circa curam infirmorum.

Unum est circa minus indigentes. Sunt enim aliqui qui, etsi curam habeant de infirmis aegrotantibus actu, tamen de recreandis post infirmitatem quando resurgunt, vel de imbecillitate aliquorum quae solet esse dispositio ad majorem infirmitatem parum curant. Ideo vir sanctus hoc reputans reprehensibile, dicit non solum aegrotantium, scilicet actu, sed addit: « sive post aegritudinem reficiendorum », quoad resurgentes; et iterum: « sive aliqua imbecillitate etiam sine febribus laborantium », quoad debiles. Et est melior littera: « Etiam sine febribus », quam: « sive (1) etiam febribus », quia febribus laborantes comprehenduntur sub aegrotantibus, de quibus praedixit.

Item, alicubi non assignatur specialis provisor infirmis, et ideo in multis negliguntur, quia communis provisor non sufficit. Et ideo contra hoc reprehensibile mandat quod alicui specialiter haec cura injungatur dicens: « uni alicui debet injungi ».

Item, cum non ministratur de communi infirmis competenter, datur occasio multis reservandi aliqua (2) pro infirmitatis necessitate, quod sapit proprietatem; si fiat etiam sine periculo proprietatis de licentia, tamen inducit magnam inaequalitatem, cum alii hoc faciant et possint quod alii vel non faciant vel facere non possint. Et ideo contra hoc dicit: « de cellario », quod est locus ubi reservantur in communi fratribus necessaria, « petat ».

Quia vero non debent inde sumi superflua vel nociva, ideo addit: « quod cuique opus esse », id est necessarium, non superfluum scilicet vel nocivum, « prospexerit ». Quia vero judicium de hujusmodi necessariis, superfluis et nocivis non expedit committi ipsis infirmis, quia causa eorum est, et frequenter, « etiam si noceat, prodesse cre-

(1) Cod. Sp.: sive et. — (2) Cod. Vien.: aliquid.

ditur quod delectat », ut supra dictum est, ideo addit: « prospexerit », « ipse » scilicet, non ipsi infirmi.

CXXXVI. De magna cura habenda de infirmis.

Porro ad habendum curam magnam de infirmis fratribus, sicut hic tangitur, multa sunt quae movere debent fratres, et maxime praelatos.

Primum est misericordia; quod patet sic. Inter omnes miserias ad quas solet se misericordia extendere, nulla est adeo afflictiva, sive fames, sive sitis, sive nuditas, sive carentia hospitii, sive carcer de se sive cum aliis aggravationibus, sicut infirmitas.

Item, nulla de praedictis facit ita impotentem hominem ad relevandam suam miseriam, sicut infirmitas. Famelicus enim et sitibundus, nudus et vagabundus possunt se juvare ad suae miseriae relevationem, et etiam incarceratus aliquando se liberat, quia omnibus istis remanent vires corporis: infirmi vero non possunt, vel parum possunt, quia infirmitas aufert vires.

Item, nulla de praedictis miseriis est quae facilius relevari non possit quam infirmitas. Facile est enim esurientem edere, sitientem potare, nudum vestire, extraneum hospitio recipere, incarceratum liberare, quia haec dependent a sola voluntate detinentis: infirmitas vero quandoque nec per medicos multos, nec per medicinas multimodas potest relevari, nisi a solo Deo, quia ipse est qui vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt, sicut dicitur *Job. 5.* Infirmitas ergo est miseria summe afflictiva, faciens summe impotentem, summe difficilis ad remedia.

Inde est quod David volens provocare Dominum ad misericordiam allegat istam miseriam magnam dicens, *Ps. 6:* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Quasi diceret: ideo miserere, quia sicut infirmus graviter sum afflictus, nec possum me juvare, nec aliunde expecto remedium. Cum ergo misericordia dicatur quasi miseris-cordans, (1) et ideo magis debet fluere ad majorem miseriam, si qua sunt viscera misericordiae in religiosis, debent illa effundere abundantius ad infirmos tanquam ad maximam miseriam, curam specialem habendo de eis.

(1) Cod. Vien.: in marg.: donans. Ita et Codd. Tol. et Grat.

Ad fortificationem vero hujus rationis multum facit quod religiosus propter Christum reliquit sua, de quibus poterat sibi subvenire in infirmitate; reliquit et suos, qui suis bonis deficientibus (1) defectibus poterant subvenire; reliquit et semetipsum, qui sibi poterat illis deficientibus aliqua procurare, quod modo non potest sine alterius voluntate. Quanta ergo impietas esset, si illi qui hoc fecit pro Christo vicarius Christi et servi Christi non adhiberent curam sollicitam in sua infirmitate!

Secundum est exemplum (2) Christi. Christus enim exemplar nostrum non legitur tantam curam habuisse de aliquibus miseriis sicut de infirmis. Non enim legitur vestiisse nudos, recepisse hospites, visitasse incarceratos: famelicos vero et sitibundos licet legatur recreasse, tamen raro, quia primum solum fecit in deserto, secundum vero solum in nuptiis. De infirmis vero legitur curam diligentem habuisse, modo confortando, dicendo: Confide, fili, confide filia; modo tangendo propria manu, etiam leprosum; modo erigendo; modo plene sanando, et similia multa quae ad curam istam pertinent quasi innumerabilia faciendo.

Item, Apostolus qui nos hortatur ad imitandum se dicens, 1 *Cor. 4:* Imitatores mei estote, sicut et ego Christi, tantam curam habuit de infirmis, ut non solum de praesentibus, sed etiam de absentibus; non solum de gravibus infirmis, sed etiam de leviter aegrotantibus sollicite curaret. Noli, inquit absenti discipulo, 2 *Tim. 5,* adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachi debilitatem. Quod non est de majoribus infirmitatibus. Quid, obsecro, fecisset de praesenti graviter aegrotante, qui tantam curam habuit de absente leviter patiente? Utique non solum curam de eis gerebat, sed in tantum compatiebatur ut non solum cum aliquibus, sed etiam cum omnibus aegrotantibus aegrotaret. Quis, inquit, infirmatur, et ego non infirmor? 2 *Cor. 11.* Exemplum de Epaphrodito, de quo dixit, *Philip. 2:* Infirmatus est usque ad mortem, sed Dominus misertus est ejus; non solum autem ejus, sed et mei, ne tristitiam super tristitiam habeam.

---

(1) Cod. Vien.: deficientibus sibi. — (2) Codd. Vien. et Grat.: exempalr.

Item, centurio pro servo suo secundum carnem aegrotante accessit ad Jesum, rogans eum pro illo alleviando ita devote quod miratus Dominus de eo dixit se non invenisse tantam fidem in Israel. *Matth. 8.* Si autem iste gentilis, et laicus, et miles tantam curam habuit de servo suo infirmo, quid faciendum est fideli, litterato, religioso, de filio et fratre suo in Christo? Ad habendam ergo curam sollicitam de infirmis moveat exemplum Christi; quod si hoc non moveat, moveat exemplum Apostoli; quod si hoc non moveat, saltem moveat exemplum viri gentilis.

Tertium est proprium officium: et hoc quantum ad praelatos. Ipsi enim sunt pastores, sicut dicitur *Ezech. 34.* Boni autem pastoris est curam gerere de ove aegrotante majorem quam de aliis. Ideo dicitur e contrario de quibusdam, *Ezech. eod.,* in reprehensionem eorum: Quod infirmum erat non consolidastis.

Sunt iterum medici. Propter quod dicitur, *Is. 3:* Non sum medicus, nolite me constituere principem populi; innuendo quod praelatus aliis deberet esse medicus. Medici autem est magis curare de infirmis quam de sanis, quia isti indigent, illi non. *Matth. 9:* Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Specialiter autem hoc convenit praelato religioso, qui curam tam corporum quam animarum fratrum suscepit et habet.

Item, sunt quasi matres. *Thren. 2:* Matribus dixerunt: Ubi est triticum? Hoc enim verbum est subditorum ad praelatos. Sed heu! praelati quidam sua duritia implent illud, *Thren. 4:* Manus mulierum immisericordium (1) coxerunt filios suos, quia cum deberent esse misericordes ad subditos, suis duris operibus nimis vexant eos, quasi carnes in lebete. Non est haec natura mulierum erga infirmos: immo ipsae sunt quae curam majorem habere solent de infirmis. Unde, *Eccli. 36:* Ubi non est mulier, ingemiscit aeger; vel egenus, secundum aliam litteram. Maxime autem matris est erga filium infirmum moveri misericordia. Unde, *Eccli. 4,* dicitur: Miserebitur tui magis quam mater, per quod innuitur magna (2) affectio pietatis matris ad filium.

---

(1) Codd. Vien. et Grat.: misericordium. — (2) Cod. Vien.: magis.

Attendant ergo (1) qui habent officium pastoris, medici et matris, quod si pastor debet magis curare de ove infirma quam de sana, et medicus magis de infirmis quam de sanis, et mater de infirmis filiis specialiter, ita et ipsi curam maximam debent habere de infirmis, et implere sollicite mandatum secundum (2) quod hic traditur de cura infirmorum.

Sequitur: **Sive autem qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus praeponuntur, sine murmure serviant fratribus suis.**

Sicut dictum est in initio hujus quarti capituli regulae, (3) hic incipit tradere mandata circa officiales fraternarum necessitatum.

Et est notandum quod officiales quandoque solent offendere in modo serviendi, scilicet quando servitium faciunt cum murmure quandoque in modo distribuendi res ad suum officium pertinentes. Contra primum traditur hic mandatum; contra secundum postea, quando dicitur: « Codices certa hora, etc.

Circa mandatum praesens notandum quod quaedam sunt necessitates circa spiritualia, ut libri circa studium; quaedam circa corporalia, (4) et haec circa duo praecipue, scilicet circa victum et circa vestitum.

Et secundum haec, scilicet tria, distinguit tria genera officialium dicens: « sive qui cellario », quoad victum; « sive qui vestibus », quoad vestitum; « sive qui codicibus », quoad studium.

Et idem intelligendum est de aliis (5) officialibus, scilicet quod serviant fratribus suis singuli de pertinentibus ad suum officium, et hoc sine murmure faciant.

Porro ex hoc mandato eliciuntur tria notanda. Primum est quod officiales sunt in monasterio constituendi circa diversa diversi, ex hoc quod dicit: « sive qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus praeponuntur »; secundum quod fratres debent sibi servire ad

---

(1) Codd. Vien. et Sp.: Attendant sibi qui... — (2) Cod. Vien.: sanctum. — (3) Vide Cap. CXII. — (4) Cod. Sp.: temporalia. — (5) Cod. Sp.: in aliis.

invicem, ex hoc quod dicit: « serviant fratribus suis »; tertium quod hoc devote fiat, ex hoc quod dicit: « sine murmure ».

CXXXVII. De officialibus constituendis.

Primum faciendum est a praelatis propter semetipsos, ut videlicet ipsi melius vacare possint spiritualibus, quae ad eos magis pertinent, cum circa necessitates subditorum alii pro eis occupantur. Exemplum autem sic faciendi reliquerunt Apostoli, qui constituerunt ministros qui vacarent mensis, ut dicitur, *Act. 6:* Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus; nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. Et vide laudabilem modum constituendi officiales hujusmodi! Non enim subito, sed cum deliberatione et consilio constituerunt eos. Considerate, inquiunt: quasi deliberate et habete consilium.

Item, non consilio extraneorum, sed sociorum; unde dicunt: Fratres. Vos scilicet, qui estis fratres nostri, deliberate.

Item, non constituerunt ad hoc sexum muliebrem, sicut permittitur alicubi quod vetulae vel cognatae serviant aliquibus, quod abominabile debet esse apud religiosos; ideo dicunt: viros.

Item, non extraneos, sicut fit in quibusdam monasteriis, in quibus saeculares constituuntur; et ideo dicunt: ex vobis.

Item, non quoscumque viros, sed famosos: boni, inquiunt, testimonii; sed sanctos in veritate, unde addunt: plenos Spiritu Sancto; sed sapientes, unde sequitur: et sapientia.

Officiales enim, quia habent cum multis conversari (1) propter alios, debent esse famosi; quia habent occasiones multas peccandi nisi sanctitas eos retrahat, debent esse sancti; quia vero habent dispensare multa, quae sine sapientia bene fieri non possunt, requiritur in eis sapientia.

Item, faciendum est hoc propter subditos, quia sic eis servitur sufficientius. Exemplum, *Exod. 18,* de Moyse qui ad consilium Jethro divisit onus suum in plures, ut melius servire populo sufficeret.

Item, faciendum est propter ipsius religionis exigentiam, in qua omnia debent fieri ordinate. Multum autem valet ad confusiones evi-

(1) Codd. Grat., Vien. et Tol.: facere.

tandas, quando diversi in diversis serviunt, et scit officium suum unusquisque; (1) sicut fuit in curia Salomonis de qua scriptum est, 3 *Reg.* 10, quod regina Sabba videns ordinem ministrantium, scilicet in curia ejus, non habuit ultra spiritum.

CXXXVIII. De mutuo servitio fratrum.

Ad secundum deberet movere multum exemplum angelorum, qui de omni ordine quantumcumque alto veniunt in mundum istum ad serviendum hominibus. Omnes, inquit, sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi. *Hebr.* 1. Plus autem exemplum Reginae Angelorum, quae licet puella tenera et praegnans, ascendit in montana, non lente sed festinanter, ad serviendum Elisabeth cognatae multo minori se. *Luc.* 1. Servivit ei tribus mensibus. Maxime autem exemplum Domini, qui cum in habitu regio non posset servire hominibus, accepit formam servi ut in ipsa nobis serviret, existens in medio nostri. *Philip.* 2. Ego autem, inquit, in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. *Luc.* 22.

Item, ad idem potest movere ratio multiplex.

Solet enim interdum ratione majoritatis alicui serviri, sicut servit servus domino suo. Debet autem quilibet de fratre suo quod sit major eo vere aestimare. *Philip.* 2: In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Augustinus in *Glossa:* Non hoc ita debemus arbitrari ut nos aestimare fingamus, sed vere aestimemus posse aliquid esse in aliquo quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrum quo illo videmur superiores esse non sit occultum.

Solet iterum serviri alicui propter sanctitatem. Unde in commedatione bonae viduae dicitur, 1 *Tim.* 5: Si sanctorum pedes lavit. Viri autem religiosi, significati per Nazaraeos, quod idem est quod sancti, debent omnes reputari sancti.

Iterum ratione dilectionis, sicut servit quis dilectis suis. Unde *Gal.* 5: Per charitatem servite invicem. Viri autem ejusdem professionis summa dilectione debent sibi conjungi, tanquam membra ejusdem corporis, quae se naturaliter multum diligunt. Si ergo in fratre quolibet ista inveniuntur tria, videlicet quod sit superior, quod sit sanctus, quod sit dilectus, et quodlibet istorum per se est ratio ser-

(1) Cod. Grat.: et sic officium suum unusquisque exsequitur.

viendi, quanto magis haec omnia congregata in singulis fratribus debent movere alios fratres ad serviendum sibi invicem!

Propter hoc viri religiosi serviunt sibi invicem; et quod plus est, non est apud eos consuetum quod saeculares personae eis praesentialiter serviant, aut discalciando, aut pedes lavando, aut sotulares detergendo, aut in mensa assistendo, aut similia faciendo, et hoc triplici de causa.

Prima est quia hoc sapit saecularitatem quamdam: saecularibus enim hujusmodi servitia exhibentur a suis famulis quasi innumerabilia, et frequenter sine necessitate.

Secunda est propter infirmitatem saecularium: ipsi enim cum sint infirmi possent videre multa, quamvis licita, apud viros sanctos, in quibus scandalizarentur, si eis adstarent in hujusmodi servitiis.

Tertia est propter periculum infamiae. Lingua enim saecularium multum lubrica est, et de facili apud extraneos deferret infirma aliqua quae viderent, et augerent (1) frequenter: bonorum autem virorum est non conformari saeculo, *Rom. 12,* et cavere a scandalo infirmorum, et suae famae diligenter providere. Et ideo sibi invicem servientes non recipiunt saeculares ad sua servitia, nisi interdum forte a longe, in coquina, in sutoria et similibus, quae in absentia eorum fiunt.

Ad confirmationem autem hujusmodi consuetudinis facit multum exemplum Domini et apostolorum, qui nusquam leguntur hujusmodi famulos habuisse.

CXXXIX. Quod sine murmure serviatur fratribus.

Circa tertium vero notandum est quod quidam interdum, licet serviant fratribus, tamen hoc faciunt cum murmure. Isti faciunt sicut daemones qui faciebant mandata Christi, sed cum clamore. *Luc. 4.* Exibant, ait Evangelista, daemonia clamantia.

Item, sunt sicut rota carri, quae faciendo servitium in portando onus, tamen murmur suum diffundendo alios inquietat. *Eccli. 33:* Praecordia fatui quasi rota carri. Et bene dicitur talis fatuus, quia et opus facit, et mercede se privat.

---

(1) Cod. Sp.: vident et augent.

Item, sunt sicut coquus qui in cibo quem parat ponit fel, juxta illud *Ps. 68:* Posuerunt in escam meam fel; sic isti amaritudinem murmuris in servitio exhibito. Quod facit servitium minus gratum et mandanti, et recipienti, et videnti, et assistenti. Proinde bene dicit vir sanctus: « sine murmure serviant fratribus suis » qui officiis (1) praeponuntur. Sine murmure, inquam, (2) in recipiendo officium, propter aliquos qui solent cum murmure recipere; sine murmure etiam in procedendo, (3) propter illos qui non possunt diu teneri in eis; sine murmure etiam in exsequendo, propter illos qui cum taedio et gravamine exsequuntur. Sine murmure, inquam, (4) ut sit gratus mandatibus, et recipientibus, et assistentibus, (5) immo et ipsi Deo, propter quem facienda (6) sunt omnia, qui coacta servitia non acceptat, sed laeta diligit, ad animum magis respiciens quam ad actum.

Postremo notandum quod vitium murmuris solet frequenter in claustris oriri, et ideo vir sanctus de ipso cavendo jam est frequenter locutus. Locutus est enim de ipso cavendo circa vestes, cum dixit: « Si autem hinc inter vos contentiones et murmura oriuntur »; et locutus est iterum de ipso cavendo circa medicinas, cum dixit: « fiat sine murmure de consilio medicinae »; locutus est iterum de ipso cavendo circa fraterna servitia, ut hic cum dicit: « sine murmure serviant fratribus suis. »

Sequitur: **Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit non accipiat.**

Sicut errant officiales serviendo cum murmure, ita errant interdum dispensando indebite. Et ideo, tradito mandato circa primum, tradit hic circa secundum.

In quo erratur dupliciter: videlicet aut quando datur quod dari non debet, aut quando non datur quod dari debet.

Circa primum traditur hic mandatum, in speciali tamen materia,

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: in officiis. — (2) Cod. Sp.: inquit. — (3) Cod. Grat.: in tenendo. — (4) Codd. Sp. et Tol.: inquit. — (5) Cod. Sp.: fienda. — (6) Cod. Vien.:... ut sic gratus sit mandantibus et recipientibus; et gratus assistentibus.

scilicet circa libros; circa secundum traditur ibi mandatum: « Vestimenta vero et calceamenta. »

Porro intentio hujus praesentis mandati est, quia amore studii in libris aliqui religosi interdum dimittunt orationes vel divinum officium, vel alia ad observantias regulares pertinentia, quod est reprehensibile, sic ordinare quod illud quod est laudabile fiat, scilicet quod studeatur, sed certis horis; propter quod dicit: « Codices certa hora singulis diebus petantur »; et illud quod est reprehensibile, scilicet quod dimittantur ea quae sunt religionis propter studium, non fiat; propter quod dicit: « extra horam qui petierit non accipiat », ne scilicet tunc studeat cum aliis est vacandum.

Attendendum vero est quod ex hoc mandato eliciuntur quinque in monasteriis singulis necessaria, videlicet quod libri procurentur: quomodo enim haberentur codices nisi procurarentur? quod habiti (1) diligenter custodiantur, ad quod pertinet specialis custodia illius a quo petuntur; quod custoditi in usum ponantur, quod fit cum singulis diebus certa hora in eis studetur; (2) quod religio propter studium non negligatur, quia propter hoc vetantur (3) dari petenti extra horam; et quod tales recipiendi sunt ad ordinem qui ad studium habeant aptitudinem competentem: aliter enim inutile esset ab eis peti libros quotidie ad legendum. Et haec sunt contra multos qui de libris habendis parum curant, vel habitos male custodiunt, vel custoditis non utuntur, vel interdum nimis se in illis occupant, vel tales in fratres recipiunt qui ad hoc penitus sunt inepti.

CXL. De libris divinis procurandis.

Circa primum notandum quod sapientia coelestis est sicut fons qui de coelo venit per canale librorum. *Eccli. 24:* Ego quasi aquaeductus exivi de paradiso; quae scilicet ad modum aquaeductus veni per scripturam librorum. Sed heu! sunt aliqui religiosi qui magnam sollicitudinem apponunt, et magnas expensas faciunt ad habendum aquaeductum per quem veniat fons aquae materialis in domum suam, ad purgandum sordes corporeas, ad irrigandum hortos, ad commoditates multas habendas

---

(1) Cod. Vien.: quod libri habiti. — (2) Cod. Tol.: prohibentur. — (3) Cod. Vien.: studeatur.

per singulas officinas: et de conductu sapientiae coelestis per quam sordes purgantur peccatorum, corda ad omne bonum proferendum irrigantur, et singulares utilitates innumerabiles proveniunt, libris scilicet, parum curant!

Non sic parum curabat de isto fonte sapientiae Salomon, qui non solum super omnia temporalia, sed super salutem et omnem pulchritudinem seu speciem corporis diligens et aestimans sapientiam, sicut dicitur *Sap. 7,* deprecatus est Dominum totis praecordiis dicens: Mitte illam de sede magnitudinis tuae, ut mecum sit. *Sap. 9.*

Item, super loco illo *Joh. 6,* ubi dicitur quod Dominus pavit turbam de quinque panibus, dicit *Glossa* quod quinque panes sunt quinque libri Moysis. Ex quo relinquitur quod omnes libri sacri eadem ratione continent cibum animae. Non est autem prudentiae, immo magnae insipientiae quod paterfamilias cum tota familia non apponat curam magnam de habendo semper cibo magno in domo sua; et ideo tam praelatus quam subditi in religione debent apponere magnam curam quod libri unde sumuntur alimenta animarum scribantur et habeantur in domo; et ad hoc opus ut melius fiat specialiter aliquos deputare, excitati consilio Joseph mystice intelligendo (1) qui *Gen. 41,* dicit Pharaoni: Nunc ergo provideat rex virum sapientem et industrium, et praeficiat eum terrae Ægypti, qui constituat (2) praepositos per singulas regiones, et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis qui jam nunc futuri sunt congreget in horrea, et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur. *Glossa:* Hoc tempore gratiae videtur (3) impletum, quia abundante doctrina apostolica septiformi Spiritu ministrata, divina dispensatione per singulas urbes episcopi et doctores ordinati sunt, qui abundantia doctrinae sibi divinitus collatae scripserunt libros sacros, quibus abundante fame verbi et deficientibus doctoribus, indigentiam nostram reficimus. Huic autem sensui concordat quod sequitur, *eodem:* In manipulos (4) redactae segetes congregatae sunt in horrea. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est: quid enim est seges in manipulis,

---

(1) Cod. Grat.: intellecto. — (2) Cod. Vien.: et constituat. — (3) Cod. Vien.: videmus. — (4) Cod. Vien.: in manipulis.

nisi doctrina in libris qui manu tenentur? Et quid est omnis abundantia frugum in singulis urbibus, nisi multitudo librorum in singulis?

Item, auctoritates quae sumuntur de libris sacris sunt quasi arma quibus defendimus nos et impugnamus inimicum, sicut dicitur, *Matth. 4,* fecisse Dominus, qui ad omnem tentationem inimici adducit auctoritates quibus sese defendit, et ipsum repulit, sicut dicitur *Cant. 4:* Mille clypei dependentex ea, omnis armatura fortium. Quod exponitur de Sacra Scriptura. Non decet autem domum regiam esse sine armis; et ideo cum religio sit domus Regis aeterni, ibi semper debet esse armamentarium in quo inveniantur hujusmodi arma, juxta illud 2 *Paral. 9:* Fecit Rex Salomon hastas aureas; et *post:* Trecenta scuta aurea; et *post:* Posuitque eas in armamentario. *Glossa:* Hastas, etc.; haec est (1) armatura Dei, qua resistimus contra insidias diaboli. Hanc habent praedicatores sancti. Constat ergo quod arma praedicatorum sunt auctoritates sumptae de libris, juxta illud *Eph. 6:* Et gladium spiritus quod est verbum Dei. Debent ergo viri sancti religiosi semper habere libros divinos ubique (2) sibi pernecessarios, ut per eos habeant abundantiam aquae sapientiae, tanquam per aquaeductum, et quia inde possunt habere alimenta animarum suarum, et quia inde possunt quandocumque volunt arma spiritualia sumere ad inimicorum impugnationem.

Et notandum quod haec tria sunt valde necessaria in castris obsessis, scilicet aqua: propter defectum enim ejus solent se de facili obsessi tradere hostibus, sicut facere volebant illi de Bethulia, *Judith 7;* et cibus, unde *ejusd. 4:* Congregaverunt frumenta in praeparationem pugnae; et arma, unde missi ab Antiocho posuerunt arma in civitate David, cum eam ceperunt, ad eam defendendam, 1 *Mach. 1.* Et ideo cum religio sit quasi castrum obsessum a daemonibus, ipsi dant operam quantum possunt ne ista sint (3) in religione. Inde est quod Holophernes fecit incidi aquaeductum qui influebat in Bethuliam. *Judith 7.* Inde est etiam quod Isaias, *Is. 3,* comminatur Jerusalem dicens: Auferet

---

(1) Cod. Vien.: hoc est. — (2) Cod. Vien.: utique. — (3) Cod. Vien.: desint.

Dominus omne robur panis a Jerusalem, id est permittet auferri; quod factum est in obsidione per quam ablata sunt eis victualia, adeo ut mulieres comederent suos parvulos, sicut dicitur *Thren. 4.* Inde est iterum quod Philistiim dicuntur, 1 *Reg. 13,* procurasse quod faber ferrarius non inveniretur in Israel, qui videlicet posset arma eis facere vel reparare. Constat autem quod Holophernes et Babylonii Jerusalem obsidentes et Philistiim daemones significant, qui faciunt spiritualiter quod illi fecerunt historialiter, quod tunc fit cum haec tria praepediendo praestant impedimentum ne libri habeantur cum quibus et aqua sapientiae, et refectio animarum, et arma spiritualia simul habentur.

Item, in ejusdem rei figuram Babylonii in captione Jerusalem libros legis Domini combusserunt, sicut dicit Magister in *Historiis;* et iterum missi ab Antiocho similiter libros eosdem combusserunt, et omnes apud quos eos invenerunt trucidabant, sicut dicitur 1 *Mach. 1;* et Herodes genealogiam Christi fecit comburi, sicut dicitur *Ecclesiasticae Historiae* libro 1: hoc nimirum diabolo instigante, qui multum odit libros sacros contrarios cultui suo, promotores cultus divini, et in quibus via verissima veniendi ad Christum invenitur. Proinde viri sancti, et praecipue illi quibus incumbit alios docere, debent e contrario niti sollicite ut illos semper habeant libros, per quos virtus diaboli enervatur, et Dei gloria exaltatur, et via recta docetur ad Christum.

Et nota quod reperiuntur multa monasteria antiqua, in quibus est mirabilis multitudo librorum antiquorum, ex quo apparet quam (1) solliciti fuerunt antiqui religiosi, qui etiam sibi solis vacabant, de libris habendis.

Item, dicitur, *Act. 19,* quod ad praedicationem et virtutes Pauli commoti sunt multi ex eis qui fuerant curiosa secuti; contulerunt libros et combusserunt omnes coram omnibus, et computatis pretiis eorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ex quo apparet quod illi (2) curiosi solliciti fuerant de illis libris curiosis habendis.

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: quod. — (2) Cod. Vien.: quomodo.

Item, dicit Magister in *Historiis* quod Ptolomaeus Philadelphus studiosus et librorum cupidus Demetrium bibliothecae suae praefecit; cumque inquisisset numerum librorum, respondit viginti millia adesse; sed paulo (1) post tempore usque ad quinquaginta millia posse pervenire. Hic est ille Ptolomaeus qui non contentus libris gentilium, audiens in Judaea libros esse legis divinae, fecit inde venire Septuaginta duos interpretes, scilicet de unaquaque tribu sex, ut de hebraeo in graecum transferrent sibi libros illos. Quod ut facilius obtineret, centum viginti millia Judaeorum, qui in regno suo erant servi, restituit libertati, dans pro capite dominis eorum centum viginti drachmas argenti. Proh pudor! Monachi sibi soli vacantes tam diligentes fuerunt olim de libris sacris habendis, curiosi tam diligentes de libris curiosis, rex gentilis tam diligens de habendis libris et curiosis et sacris : et quidam, licet habentes officium docendi, licet litterati et boni viri, multum plus curare videntur de lapidibus et lignis congregandis ad aedificia corporalia quam de libris pertinentibus ad officium animarum! Non fuit talis Plato qui tantus amator librorum fuit, quod, sicut Hieronymus dicit, scribens mortuus est. Non iterum talis Paulus, qui licet per revelationem scivisset doctrinam evangelicam, tamen tam sollicitus fuit de libris secum habendis, quod scribit, 2 *Tim.* 4, de penula, quae est secundum quosdam volumen hebraeum, (2) et libris et membranis ad se deferendis. Non etiam fuit talis Augustinus qui tot libros proprio labore composuit, et sic voluit a professoribus (3) suae regulae fieri, cum velit eos studere quotidie certa hora, et ad hoc libros petere: quod constat non posse fieri nisi habeantur.

CXLI. De custodia librorum.

Circa secundum nota quod apud quosdam qui valde diligenter (4) custodiunt caseos a muribus, poma et pira a putrefactione, (5) vestes a tineis, ita male sacri custodiuntur libri, quod modo per irreverentiam in eorum manibus viliter deturpantur, modo

---

(1) Codd. Sp.: Quod paulo. — (2) Ita et Baronius, *Ann.* ad an. 58. Quam interpretationem non adeò exhorreant archaeologi, siquidem textus syriacus et arabicus hic habent *vas librorum.* — (3) Scil. a profitentibus regulam suam. — (4) Codd. Sp., Vien. et Grat.: qui diligenter. — (5) Cod. Vien.: putrefactionibus.

per negligentiam amittuntur, modo per incuriam destruuntur: quod est valde reprehensibile. Hujusmodi enim libri sunt res sacra. (1) Quod sic patet: dicit Magister in *Historiis* quod cum Ptolomaeus praedictus vellet dare operam ut libri legis divinae sibi transferrentur, Demetrius librarius suus dixit ei quod hoc opus non poterat fieri nisi per cultores Dei, dicens quod Theopompus, cum *Historiis* suis quas scribebat voluisset eos inserere, versus est in amentiam per dies triginta. Theodotus quoque pro eadem causa caecus factus est. Ex quo patet magna sanctitas librorum legis divinae, propter quam sic punivit Deus indignos ad eos tractandos vel tenendos.

Item, *Deut. 31,* Moyses praecepit Deuteronomium in arca poni cum manna et virga, rebus miraculosis: quod nunquam fecisset, nisi esset res sacra.

Item, dicitur quod cum beatus Franciscus inveniebat aliquam cedulam in terra in qua erat scriptum nomen Jesu, elevabat illam cum magna reverentia, et in loco ponebat honesto. Reputabat eam sanctam propter sanctitatem nominis in ea scripti. Quanta ergo sanctitas aestimanda est esse in libris in quibus non semel, sed pluries est scriptum nomen illud: immo nomina innumerabilia ad Deum pertinentia et ad sanctos ejus! Proinde si reliquiae de ossibus alicujus sancti cum tanta reverentia custodiuntur ut involvantur sericis et includantur in auro et argento, quam reprehensibile est ut libri in quibus est tanta sanctitas tam viliter custodiantur!

Praererea sapientia thesaurus est. *Prov. 2.:* Si quasi thesauros effoderis illam. Iste autem thesaurus non est vilis, sed pretiosissimus. *Sap. 7:* Divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius.

Item, non est modicus, sed magnus. *Eodem:* Infinitus thesaurus est hominibus.

Item, non unicus vel in unico, sed multiplex, adeo quod totam domum replet habentis se, sicut dives habet in uno loco domus suae

(1) Codd. Sp. et Grat.: res sacrae.

talem thesaurum, in alio talem, et sic in multis locis. *Eccli. 1:* Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius, id est sapientiae. Porro iste talis et tantus thesaurus involvitur in pellibus librorum in quibus continetur. (1) Miseranda ergo negligentia, si pelles continentes istum thesaurum negligenter custodiantur a viris spiritualibus, cum homines mundi sarcinulas suas thesauros continentes cum magna custodiant diligentia!

Item, sermo divinus potestate plenus est, sicut dicitur *Eccle. 8.* Potest enim salvare animas, sicut dicitur *Jac. 1.* Sanat autem, sicut dicitur *Sap. 16,* et alia innumerabilia bona conferre potest. Est ergo sicut electuarium efficax ad multa. Libri vero sunt pyxides continentes illud. Quanta ergo est fatuitas quod homines cum magna (2) cautela custodiant pyxides continentes electuaria corporibus utilia, libros vero continentes verba divina in infinitum animabus ad plura utiliora (3) incaute custodiunt! Ex his ergo colligitur quod libri tanquam continentes rem sacram, reverenter; tanquam continentes thesaurum pretiosissimum, diligenter; tanquam continentes rem utilissimam, caute sunt custodiendi. Et ideo ut hoc melius fiat in religionibus ordinatis constituitur librarius, sicut habuit Ptolomaeus, qui specialem curam habeat (4) de libris. Assignatur iterum locus proprius pro libris, sicut apud Hebraeos et multos reges ponebantur in archivis. Determinantur etiam certa tempora in quibus omnes videantur utrum forte aliqui deperierint, et ut in eis emendetur si quid in eis fuerit depravatum.

Item, fiunt frequentes exhortationes ne male tractentur ab aliquo, (5) exemplo Domini qui tam diligenter tractavit librum Isaiae sibi traditum, quod cum legisset in eo, plicavit eum diligenter et tradidit ministro, sicut dicitur *Luc. 4.*

Vidi ego quemdam virum sanctum qui cum audiebat interdum fratres scripta aliqua, quae deferebant secum pro sermonibus faciendis, vocare rabacias, (6) miro zelo inflammatus non poterat se continere, sed

---

(1) Codd. Sp., Tol., Il. et Grat.: continentur. — (2) Cod. Vien.: ex correct. maxima. — (3) Cod. Grat.: verba divina ad plura utilia. — (4) Cod. Sp.: habent. — Cod. Vien.: habuit. — (5) Cod. Vien. addit: vel in aliquo. — (6) Hoc est res

dicebat cum magna increpatione: Quomodo, fratres, scripta in quibus verba sunt sancta audetis vocare rabacias? Si autem sic movebatur de vili vocatione librorum vir sanctus, quanta indignatione digni sunt qui modo maculant eos cum sepo vel incausto, vel dimittunt eos apertos, vel (1) non claudunt, vel claudendo complicant folia, et similia multa faciendo, eos male custodiunt et pertractant!

CXLII. De commendatione sacrae lectionis.

Circa tertium notandum quod sunt quidam qui licet habeant multos libros, et bene custoditos, vel apud se vel apud communitatem, et aptitudinem habent ad proficiendum, tamen raro vel quasi nunquam legunt in eis. Dicitur quod Rex Franciae Ludovicus, cum quidam religiosi ostenderent ei libros pulcherrimos, dixit eis: Bonum esset quod essent magis deturpati, notans quod parum legeretur in eis. Similes sunt isti avaro qui multas habet divitias de quibus nunquam comedit, sicut tangitur *Eccli. 6.* Contra istos sunt exempla multorum.

Regi (2) Israel praecipitur omnibus diebus vitae suae legere Deuteronomium. *Deut. 31.*

Assuerus rex vir gentilis adeo fuit lectionis amator, quod etiam de nocte faciebat legi coram se. *Esth. 6.*

Item, eunuchus Candacis reginae Æthiopum, potens super omnes gazas, fuit tam sedulus in legendo quod etiam in curru legebat revertens de Jerusalem. *Act. 8.*

Item, dicitur quod raro est aliquis inter cardinales, qui habent de omnibus mundi negotiis tractare assidue, quin in aliqua parte diei se det lectioni.

Item, dicitur de domino Frederico, qui multum fuit sollicitus de libris habendis, quod cum non poterat sibi vacare aliqua hora diei, cum comedebat volebat habere secum philosophum suum a quo tunc quaerebat de illis libris aliquid, et audiebat.

Item, hortatur Hieronymus Eustochium ad legendum quousque somnus obrepet, et sacra pagina faciem ejus cadentem recipiat.

---

nullius valoris, si a vocabulo italico « robaccia » educas; vel inutilis repetitio, si melius cum vocabulo gallico « rabachage » aequipares. Dictum illud, cujus significatum nobis incertum est, sane *vilis vocatio* audit. — (1) Codd. Sp. et Vien.: et. — (2) Cod. Grat.: Rex.

Item, pueri nonne compelluntur ad legendum per totam diem?

Item, ne laici qui nesciunt legere litteras excusent se a lectione, fecit Deus tales creaturas quod in ipsis possent legere. Gregorius: Quasi sit quaedam lectio mentis nostrae considerata species creaturae. Unde Antonius cuidam philosopho dicenti sibi quomodo sine libris posset vivere, dixit: Codices mei sunt creaturae, quae mihi quando legere (1) volo, adsunt semper.

Ad hoc etiam idem facit Ecclesia imagines. (2) Gregorius: Idcirco pictura ecclesiis adhibetur, ut ii qui litteras nesciunt saltem in parietibus videndo legant, qui legere in codicibus non valent.

Denique beatus Benedictus sic voluit monachos esse lectioni intentos quod ordinavit *regulae suae 48. cap.*, quod in ferialibus diebus propter opus manuum non dimitterent quin aliqua hora lectioni vacarent; in dominicis diebus omnes pariter officiales lectioni vacarent, et quod aliquis circuiret (3) hora lectionis ad videndum si aliquis aliis tunc vacaret, et quod talis corrigeretur sic quod alii timerent.

Quid, obsecro, dicerent ad haec homines de quorum professione est studium, qui in loco lectionis residere non possunt, qui nunquam vel rarissime legunt, sed (4) lectiones fugiunt, cum audiunt regem Israel, et tantum regem gentilem, potentem etiam et gentilem eunuchum, magnates Ecclesiae et magnates saeculi, mulieres et parvulos, monachos et laicos sic deditos lectioni, praecipue cum dicat Hieronymus: Scripturas Divinas saepius lege; immo lectio sacra nunquam de manu tua deponatur?

Sciendum est autem quod hujusmodi homines interdum retrahuntur a lectione propter occupationes vanas rumorum et verborum saecularium, in quibus libenter et diu detinentur. Sed si rumores gestorem mundi et verba saeculi eos delectant, quanto magis lectio in qua verba Dei et gesta gloriosissima continentur delectare deberet? Ambrosius: Non mediocre periculum est, cum habentur (5) tanta eloquia Dei et tanta opera quae fecit, in Genesi, in Exodo, in

---

(1) Codd. Sp., Tol. et Grat.:.... creaturae. Quando legere..... — (2) Cod. Grat.: Ad hoc etiam idem in ecclesia faciunt imagines. — (3) Codd. Sp., Grat. et Tol.: caveret. — (4) Cod. Vien.: vel. — (5) Cod. Vien.: habeas.

Levitico, in Numeris, in Deuteronomio, Jhesu Nave, Judicum, Regum atque Esdrae libris; quae etiam fecit in Evangelio et in Actibus apostolorum, si, illis praetermissis, loquaris quae saeculi sunt, audias quae saeculi sunt.

Interdum vero propter occupationes utiles, quibus se tantum impediunt (1) aliqui quod vacare Deo in lectione loquenti non possunt. Sed contra hos est illud de hospitio Jesu, in quo non solum fuit Martha ministrans, sed Maria verbis Dei vacans: quod tanto magis videtur placere Domino, quanto plus commendavit Mariam quam Martham dicens: Maria optimam partem elegit. *Luc.* 10.

Interdum propter infirmitatem corporis, credentes quod noceat eis lectio propter capitis debilitatem, aut aliis de causis. (2) Sed interdum istud est potius fictio quam veritas. Quidam religiosus fatuus, cum quaereretur ab eo quare non diceret horas de beata Virgine, respondit quod nocebat ei in capite: et sicut hoc fuit fictio fatuitatis suae, sic hic interdum. — Sed esto quod sit verum. Numquid bonorum virorum est propter aliquod gravamen corporis dimittere tantum bonum? Non sic fecit Gregorius de quo scriptum est quod quanquam quotidiano languore tabesceret, non dimittebat tamen propter hoc quin legeret, vel scriberet, aut dictaret. Non sic etiam fecit Hieronymus de quo legitur quod tanta fatigatione lassatus est in editione librorum (3) et Scripturarum, ut in strato suo jacens, funiculo ad trabem suspenso apprehenso, erigeretur ad officium monasterii peragendum.

Interdum vero propter fastidium mentis quae nullam dulcedinem invenit in Scripturis Sacris in quibusdam. Sed hoc est signum spiritualis infirmitatis. Augustinus: Palatum febricitantis habet cui mel coeli insipidum est. Et vocat mel coeli dulcedinem Scripturarum Sacrarum. Qui tales sunt non deberent propter hoc fugere lectionem, sicut aegrotus non dimittit omnino cibum insipidum; sed laborare (4) pro sanitate, et sic postmodum invenirent debitum saporem, quia antea

---

(1) Cod. Vien.: impendunt. — (2) Cod. Sp.: capitis debilitatem aut alias. — (3) Cod. Tol.: in meditatione librorum. — (4) Cod. Vien.: nec laborare. - Codd. Sp. et Tol.: sed laborent.

non possunt. Bernardus: Ante carnem disciplinae studiis edomitam et mancipatam spiritui, ante spretam et abjectam saeculi pompam et sarcinam, indigne ab impuris lectio sancta praesumitur. Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei.

Interdum propter desperationem proficiendi. Sunt enim quidam qui Scripturas non intelligentes, de intelligendi possibilitate non confidentes, refugiunt lectionem, quamvis innumerabiles matronae et mulieres Deo devotae non dimittant propter hoc legere psalterium quotidie, quia non intelligunt quae dicunt. Sed non est propter hoc dimittendum: credendum est enim quod verba sacra, etsi non intelligantur a legente, habent tamen virtutem contra spirituales nequitias, sicut verba incantantis contra serpentem, quamvis non intelligantur ab incantatore, sicut dicitur in *Vitis Patrum*. Chrysostomus: Si turpiloquium sordidat et daemones vocat, manifestum est quoniam spiritualis lectio sanctificat, et Spiritus affert gratiam. Divinae enim sunt incantationes Scripturae.

Interdum propter praesumptionem. Sunt enim quidam qui cum diu profecerunt in studio, reputantes se jam omnia scire, jam amplius non legunt in libris. Isti, licet christiani, tamen praesumptuosi sunt magis philosophis Socrate et Aristotele, quorum primus cum diu et diligentissime studuisset, in fine dixit: Hoc solum scio quod nescio; alter vero cum in extremis laboraret, requisitus a discipulis de quibusdam, dicitur respondisse: Intravi mundum istum anxiatus, vixi turbatus, ex ecce exeo inscius et ignarus. (1) Non fuit talis Augustinus qui dixit: Tanta est christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem si eas solas ab ineunte pueritia (2) usque ad decrepitam senectutem maximo otio, studio summo, meliore ingenio conarer addiscere.

Interdum propter inertiam. Sunt enim aliqui qui licet sciant quod possint proficere in Scripturis, tamen reputantes quod illud quod jam sciunt sufficiat eis ad vitam suam, nolunt amplius laborare. Contra quos Psalmista dicit, *Ps. 72*: Existimabam ut cognoscerem: hoc est labor ante me; scilicet cognoscere sive scire. Est labor ante me, quia nun-

---

(1) Codd. Sp, Tol. et Vien.: ignorans. — (2) Codd. Sp. et Vien.: aetate.

quam tantum poterat scire quin adhuc restaret labor ante eum ad discendum (1) plus, donec intraret in sanctuarium Dei, quando erit plena scientia, et quando non deperibit aliquid de scientia, sicut modo: propter quod oportet eam assidue reparari, sicut corpus alimento, propter deperditionem alterius.

Licet autem dictis de causis aliqui retrahantur a legendo, tamen viri Deo devotiores stant libenter juxta libros; et ideo nullo impedimento retracti ferunt fructum multum, sicut lignum non in arido, sed juxta aquas sapientiae quae per libros decurrunt plantati ferunt fructum multum, quia quandoque bonorum operum, quandoque praedicationis, quandoque doctrinae. *Ps. 1:* In lege Domini meditabitur die ac nocte, et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Item, cum verba divina sunt quasi ignis, sicut dicitur *Jer. 5*, constat libros qui pleni sunt verbis illis esse quasi calefactorium. Sicut ergo in hyeme dura monachi libenter vadunt ad calefactorium, ita viri sancti frigore hujus mundi durante, stant juxta libros, ut calefiant in amore coelesti. Gregorius: Stude, quaeso, et quotidie verba Creatoris tui (2) meditare, ut mens tua ad coelestia gaudia majoribus desideriis accendatur.

Item, in libris sacris narrantur gesta virorum fortium; et ideo sicut milites mundi audiunt et legunt libenter romancios in quibus inveniuntur probitates (3) antiquorum militum, ita et milites Christi legunt libenter in istis libris, ut ex gestis inventis in eis animentur. Gregorius: Scriptura narrat gesta sanctorum, et ad imitationem provocat corda infirmorum; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum praelia debilia nostra confirmat.

Item, libri sunt sicut alveus per quem fluit aqua in qua solent resultare imagines avium rapacium, et ideo viri sancti libenter vident in libris sanctis, ut intuentes in eis fallacias daemonum melius caveant. *Cant 5:* Oculi ejus, scilicet christiani, h. e. sancti, per quos respicit mundum, sicut columbae super rivos aquarum, quae resident

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: ad sciendum. — (2) Cod. Sp.: cantoris. — (3) Actus scil. fortitudinis, unde vox gallica « prouesse. »

super fluenta plenissima. *Glossa*: Solent columbae juxta fluenta residere, et volantium avium in aqua umbram videre, et sic ungues vitare. Sic sancti in Scripturis fraudes daemonum conspiciunt, et a deceptione quam attendunt quasi ex umbra hostem cognoscunt et fugiunt.

Item, Scripturae sunt quasi speculum in quo cognoscit quis semetipsum, et ideo sicut dominae magnae quotidie semetipsas respiciunt in speculis, sic et sancti in Scripturis. Gregorius: Scriptura Sacra oculis mentis quasi speculum quoddam opponitur, ut interior nostra facies in ipsa videatur: ibi et foeda nostra et pulchra nostra cognoscimus, ibi sentimus quantum proficimus, et a profectu quantum longe distamus. (1)

Item, sicut ad bonos pertinet libentius esse cum bonis quam cum minus bonis, et cum eis habere solatia sua ipsos audiendo et videndo: ita libentius sunt cum Deo, quanto melior est, quam cum hominibus. In lectione autem auditur Deus. Ambrosius: Ipsum audimus cum divina oracula legimus, et videtur quia videmus ipsum nunc, scilicet per speculum Scripturarum. 1 *Cor. 13*. Et ideo sancti viri libenter morantur juxta libros ubi sunt cum Deo.

Item, libri divini sunt quasi loca uberrima pascualia. *Ps. 22.*: In loco pascuae ibi me collocavit. *Glossa*: In intelligentia divini sermonis. Et ideo sancta animalia libenter ibi morantur, sicut animalia in bonis pascuis. Isidorus: Sancta Scripturarum altitudo montes pascuae sunt, ad quos dum quisque justorum conscenderit, pascuae indeficientis refectionem invenisse se gaudet.

Item, Scriptura Divina est sicut apotheca specierum salutarium et odoriferarum: et ideo sapientes libenter ad eam recurrunt pro salute et recreatione. Ambrosius: Sacra Scriptura salutem suggerit, vitae odorem fragrat, ut suavitatem legens capias, non praecipitium incurras.

Item, in libris sanctis sunt consolationes multae pro bonis. 1 *Mach. 12*: Habentes solatio libros sanctos in manibus vestris. Et ideo viri sancti cum frequentes tribulationes habeant in hoc mundo, recurrunt ad libros frequenter quasi ad solatium. Gregorius: Si ad

(1) Cod. Sp.: quantum distamus.

consolationem nostram Sacra Scriptura praeparata est, tanto magis debemus legere, quanto nos conspicimus sub tribulationum fasce lassari.

Item, anima quae non invenit plenitudinem in aliqua re, delectatur variis. Et ideo viri sancti utuntur varietate operum spiritualium, quae sunt cibus animae, sicut carnales varietate ferculorum. Unde supra dixit: « Orationibus instate horis et temporibus constitutis »; et nunc dicit: « Codices certa hora singulis diebus petantur. » Hieronymus: Orationi lectio, lectioni succedat oratio.

Item, libri aliarum scientiarum, licet illuminent intellectum, non tamen accendunt affectum: divini vero libri utrumque faciunt. Isidorus: Geminum confert donum lectio Sanctarum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, sive quia mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Et ideo viri sancti de utroque solliciti ad locum hujusmodi plenitudinis libenter accedunt, sicut qui indiget pluribus ad locum accedit in quo omnia illa possit invenire.

Item, peregrino necessarium est quod sciat sibi cavere a multis, et sciat viam suam tenere et prudenter se habere. Et ideo viri sancti reputantes se peregrinos super terram, libenter accedunt ad lectionem; quia haec omnia docet. Isidorus: Lectio docet quid caveas, lectio ostendit (1) quo tendas, lectione sensus augetur et intellectus.

Item, boni viri multum laborant ad amorem carnalium delitiarum repellendum, et ideo occupant se in Scripturarum Sacrarum lectione, ut per istum amorem ille retundatur, sicut clavus clavo, quod quidem ita fit. Hieronymus: Ama sacra litteras, et carnis delitias non amabis.

Sic igitur patet quod lectio sacra valet ad fructuum productionem, ad coelestis desiderii inflammationem, ad sanctam animationem, ad cavendum daemonum insidias, ad sui cognitionem, ad commorandum cum Deo, ad animae refectionem, ad salutaria remedia, ad consolationem in tribulatione, ad spiritualem delectationem, (2) ad vires animae replendas, ad necessaria in via, (3) ad carnalia desideria reprimenda. Et ideo propter has utilitates, non obstantibus praedictis frivolis

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: docet. — (2) Codd. Sp. et Tol.: dilectionem. — (3) Cod. Sp.: ad viam.

occasionibus, incitantibus praemissis exemplis, studendum est frequenter et diligenter in libris a professoribus regulae Augustini, ut impleatur quod dicitur: « Codices certa hora, » etc.

CXLIII. De utilitate studii in ordine Praedicatorum.

Notandum vero quod licet omnibus religiosis expediat libenter legere, tamen Fratribus Praedicatoribus magis incumbit, et hoc propter utilitatem multiplicem quam assecutus est ordo eorum ex studio.

Prima est praerogativa quaedam super alios ordines. Cum enim omnis religio sit bona, (1) et studium sacrum sit bonum, hoc illi additum facit magis (2) bonum, quia secundum Philosophum, in libro *De eligendis,* duo bona melius sunt quam unum. Sicut ergo Cherubim in quibus non solum quiescit Deus, sed splendet, quia interpretantur plenitudo scientiae, sunt super (3) Thronos in quibus quiescit; ita et ordo cum scientia non immerito praefertur illis in quibus est sola (4) sanctitas, quae est locus Dei. Et hanc praerogativam confert scientia per studium comparata. *Prov. 4:* Arripe (5) illam, scilicet scientiam, (6) et exaltabit te.

Alia est bonarum personarum acquisitio. Multae enim bonae et magnae personae numquam venissent ad ordinem, nisi esset ibi studium; et multae venientes tenues factae sunt per studium valde magnae. Istae autem personae sunt de quibus fit templum Dei gloriosum, sicut Salomon fecit templum de nobili materia, scilicet auro, argento, lignis Libani, et similibus. Et ideo multum curandum est volentibus construere bonam religionem de talibus, exemplo primitivae Ecclesiae, de qua (7) dicit Apostolus, *Eph. 4:* Et ipse quosdam quidem dedit apostolos, quosdam vero prophetas, alios vero evangelistas, alios vero pastores et doctores in aedificationem corporis Christi. Ecce qualis materia!

Alia est major devotio mundi, quia ad personas litteratas majorem devotionem solent habere, et exhibere eisdem honorem ampliorem

---

(1) Cod. Tol.: bonum. — (2) Cod. Tol.: majus. — (3) Cod. Vien.: sicut ergo cherubin.... est. — (4) Codd. Tol. et Grat.: solum. — (5) Cod. Tol.: accipe. — (6) Cod. Tol.: sapientiam. - Cod. Grat.: prudentiam. — (7) Cod. Vien.: constituere.

quam illitteratis. *Sap. 8:* Habebo propter hanc, scilicet scientiam, (1) claritatem ad turbas et honorem apud seniores.

Alia est fructus ad alios, qui major potest fieri per sapientes quam per simplices, licet sanctos. Hieronymus: Sancta rusticitas solum sibi prodest: non sic autem docta justitia; immo ad justitiam erudit plurimos. Propter quod dicit Apostolus, 1 *Tim. 4:* Attende lectioni et exhortationi; quia qui primo est conca in legendo, post potest esse canalis ad alios in exhortando.

Alia est debitum sustentationis, quod magis debetur seminanti spiritualia, quod fit per scientiam, quam quiescenti in domo. Apostolus, 1 *Cor. 9:* Si nos spiritualia vobis seminavimus, (2) non est magnum si nos carnalia vestra metamus. Et *post:* Ordinavit Dominus his qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere.

Alia est victoria tentationum. Plus enim valet sapientia ad vincendum quam vires: et ideo multi succumbunt in bello diaboli in multis generibus peccatorum propter defectum sapientiae, (3) ubi sapientes non cadunt. *Sap. 7:* Sapientiam non vincit malitia. (4)

Alia est informatio interioris hominis. Regulae enim et constituta tradita ab hominibus informant in religione exteriorem hominem in moribus, sed Scripturae Sacrae interiorem, quod melius est, in virtutibus interioribus. *Sap. 8:* Et si justitiam quis diligit, labores hujus, scilicet sapientiae, quos scilicet homo sustinet in studendo, magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus in vita nihil utilius est hominibus. Et, 2 *Tim. 3:* Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad erudiendum, ut sit homo Dei perfectus ad omne bonum.

Alia est evitatio errorum quos multi incurrunt, licet scienter peccare nolunt, propter defectum scientiae, ut in simoniis et aliis multis, in quibus errant multi. *Ps. 81:* Nescierunt, nec intellexerunt, et ideo in tenebris ambulant, nescientes quo vadant. Hoc non ac-

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: sapientiam. — (2) Cod. Vien.: seminamus. — (3) Codd. Sp., Tol. et Grat.: scientiae. — (4) Cod. Vien.: Sapientia vincit malitiam.

cidit scientibus Scripturas: immo sciunt vias suas. (1) *Ps. 118:* Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

Alia est sustentatio infirmitatis. Multi enim infirmi corruunt, quia non habent appodiamentum. Studium vero est ad sustentandum infirmitatem; unde Plato: Litteras infirmo animo, sicut baculum infirmo corpori, repertas constat.

Alia est fortificatio ad labores. Multi enim propter defectum cibi deficiunt in laboribus viarum. Sed sacrum studium per quod masticatur panis verbi Dei corroborat. *Ps. 103:* Et panis cor hominis confirmet.

Alia est occasio proficiendi in omni bono. Quantum enim proficit homo in charitate, tantum proficit in omni bono. Cognitio vero Dei quae plus et plus habetur (2) per studium, facit proficere in ejus dilectione; unde Augustinus: Quantum cognoscis tantum diligis. Et ideo studium sacrum dat occasionem totius perfectionis in bono.

Quis est qui noverit statum Fratrum Praedicatorum, qui nesciat has utilitates provenisse et provenire eisdem ex studio litterarum? Ideo ordinis illius amatores solent pro studio ibidem promovendo zelare non modicum.

CXLIV. De studio philosophiae.

Sed quaeritur interdum de libris philosophicis et studio in illis quid expediat apud fratres?

Respondeo: Quidam fratres sunt omnino inepti ad proficiendum in illis; quidam vero sunt apti ad proficiendum in illis in aliquo, sed non multum; quidam vero sunt ex quorum aptitudine magna ad ista speratur magnus profectus (3) et fructus circa Divinam Scripturam. Primis nullatenus est permittendum quod (4) studeant in talibus; secundis est concedendum aliquid, sed cum discretione (5) et raro; tertiis vero laxandae sunt habenae circa studium hujusmodi. Et sicut concedere passim omnibus istud studium malum est, ita negare simpliciter potest esse a spiritu malo; unde super illum locum 1 *Reg. 13:* Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra

---

(1) Cod. Vien.: viam suam. — (2) Codd. Sp., Tol. et Grat.: quae plus habetur. — (3) Cod. Vien.: effectus. — (4) Cod. Vien.: ut. — (5) Cod. Vien.: difficultate.

Israel; providerant enim Philistiim ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam, dicit *Glossa:* Diabolus per paganos, per haereticos, per falsos christianos studet prohibere ne sint doctores in Ecclesia, qui spiritualia arma faciant nobis ad pugnandum. Pagani vero (1) prohibuerunt ne christiani liberalibus imbuerentur artibus. Unde Julianus apostata contra Christianos legem dedit, ut legitur in *Historia Scholastica,* ne liberales artes audirent. Concedendum est ergo hujusmodi studium, et hoc propter multa utilia quae inde possunt evenire.

Unum est fidei defensio. Sicut enim haeretici et pagani impugnant fidem, ita et quidam (2) per philosophiam suam. Propter quod dicitur, *Col. 2:* Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam. Sicut autem non potest se defendere a fallaciis qui nihil novit de eis, ita nec a talibus philosophantibus qui nihil novit de philosophia.

Aliud est destructio errorum eorum. (3) Apud philosophos enim sunt errores multi et veritates multae, sicut in serpente venenum et thiriaca. Et sicut thiriaca est efficacior omnibus aliis contra venenum, ita et veritates eorum contra errores eorum quam veritates (4) fidei, quia istas (5) non recipiunt. Inde est quod Augustinus in libro *De Civitate Dei* ostendit quod Plato et Porphyrius quaedam dixerunt per quae error eorum de resurrectione corporum, quam non credebant, convincitur, dicens sic: Dicit Plato animas sine corporibus non posse esse in aeternum; dicit Porphyrius animam purgatissimam, cum redierit ad patrem, nunquam ad haec mala mundi redituram esse. Ponatur uterque (6) verum dicere, sequitur quod redibit ad corpus, sed non miserum: quod dicit de resurrectione fides.

Aliud est intelligentia Scripturarum. Innumerabilia enim sunt in textu, (7) et in glossis, et in originalibus (8) sanctorum, et in scripturis doctorum, quae impossibile est intelligere sine aliqua scientia philoso-

---

(1) Cod. Vien.: enim. — (2) Codd. Sp., Tol. et Grat.: ita et quidam defendunt per...,. — (3) Cod. Vien.: suorum. — (4) Codd. Sp., Vien. et Il.: veritas.... veritas. — (5) Codd. Sp., Vien. et Il.: ipsam. — (6) Cod. Vien.: utrumque. — (7) Scil. S. Scriptura. Cf. Danzas, *Etudes,* t. II, p. 82. — (8) Scil. *operibus completis,* non autem *compendiis, florilegiis, sylvis,* et hujusmodi.

phica: et ideo spoliis Ægyptiorum ditantur Hebraei, sicut dicitur *Exod. 12,* cum ea quae apud philosophos inveniunt fideles asportant ad Scripturarum expositionem.

Aliud est fidei corroboratio. Sunt enim multa apud eos ad fidei confirmationem multum (1) valentia. Unde in *Prooemio* (2) super librum *De Trinitate* Boetii dicitur quod fides nostra ex intimis philosophiae tracta est: quod enim notum est Dei manifestum est in illis. *Rom. 1.*

Aliud est acuitio ingenii ad scindendum parietem Sacrae Scripturae. *Prov. 27:* Ferrum ferro acuitur; ferrum scilicet ingenii naturalis cum ferro scripturae philosophicae, quae est ferrum in comparatione ad Sacram Scripturam, quae modo argentum, modo aurum vocatur.

Aliud est virtus motiva. Plus enim movent interdum aliquos philosophica quam theologica. Vidi ego quemdam fratrem magnum in philosophicis et theologicis qui dixit quod cum existens in saeculo studeret in astronomia, (3) invenit in libro Albumasar (4) quod antiqui astronomi invenerunt quod erat in coelo signum hujusmodi, scilicet: Virgo tenens filium in gremio, et juxta eam longaevus qui non tetigerat eam: quod interpretatur de gloriosa Virgine et Filio suo et Joseph. In quo (5) plus fuit motus, ut referebat, ad bonum quam ex aliquibus praedicationibus quas audisset. Idem (6) dicitur de Dionysio et de Magis, quia illum eclipsis solis quam per philosophiam scivit esse miraculosam, et istos stella novae phlosophiae (7) movit et duxit ad Christum.

Aliud est proprii ministerii (8) honorificatio, de quo erat Apostolus sollicitus. 2 *Cor. 6.* Multi enim religiosi a multis contemnuntur, et ordo suus in eis, (9) cum horum penitus sunt ignari; et e contrario hujusmodi scientia quandoque cedit ad honorem ordinis sui. Exemplum. Fr. Rolandus, vir magnus in philosophicis et theologia, cum semel

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: plurimum. — (2) Codd. male habent « in commento ». — (3) Cod. Vien.: studeret astronomiam. — (4) Apud hodiernos erit Abou-Maschar-Djafar-Ibn-Mohammed. (an. 776-885). — (5) Cod. Vien.: Ex quo. — (6) Cod. Vien.: Item. — (7) Cod. Sp.: prophetiae. - cod. Grat.: physicae. — (8) Cod. Sp.: monasterii. — (9) Codd. Tol. et Vien.: cum eis.

existens Cremonae, et a fratribus quibusdam venientibus de exercitu domini Frederici, quem tenebat tunc ante Brixiam, (1) audisset quod philosophus ejus (2) multum confudisset eos de sua philosophia de qua nescierant respondere, succensus zelo honoris ordinis, dixit: Statim (3) sternite mihi asinum. Erat enim podagricus, et pedes ire non poterat. Quod cum factum fuisset, intrans in exercitum super asinum cum quibusdam fratribus, incoepit quaerere ubi esset ille philosophus. Quod audientes multi magni qui eum noverant et honorabant, convenerunt, et convocato illo philosopho, dixit: Ut scias tu, magister Theodore, quod ordo Fratrum Praedicatorum habet philosophos, ecce do tibi coram istis optionem ut vel opponas de quacumque philosophia volueris, vel respondeas mihi. Qui cum elegisset opponere, in illa disputatione (4) sic de eo gloriose triumphavit quod ad magnam gloriam cessit ordinis et honorem, et habuit exinde eum philosophus ille in magno honore. Nonne Apostolus de tali honore videtur multum fuisse sollicitus, qui dixit: Quamdiu sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo? *Rom. 11.*

Aliud est philosophicae scientiae contemptus. Multi enim qui (5) non noverunt ea quae sunt apud philosophos, ea reputant majora quam sint; et postquam noverunt, non sapiunt eis aliquid in comparatione ad theologiam. Unde Augustinus quasi nihil reputans illas litteras in comparatione ad istas, dicit: Non habent illae paginae multum (6) pietatis, lacrymas confessionis, sacrificium tuum spiritum contribulatum, populi salutem, sponsam, charitatem, arrham, Spiritum Sanctum, poculum pretii; nemo ibi cantat: Nonne Deo subjecta erit anima mea? *Ps. 61.;* nemo audit ibi vocantem: Venite ad me omnes qui laboratis. *Matth. 11.*

Propter haec igitur et alia multa concedi potest studium philosophicum. Sed cavendum est ne cuilibet concedatur: sunt enim in illis libris quaedam bona, et quaedam mala, sicut in horto quaedam

---

(1) An. scil. 1238. — (2) Qui scil. astrologiam colebat. Cf. Danzas, *Etudes*, t. II, p. 250. — (3) Codd. Sp. et Grat.: dixit statim: Sternite... — (4) Cod. Vien.: inita disputatione. - Echard, t. I, p. 126, ex Salanhac, legit: unica disputatione. — (5) Cod. Vien.: quando. — (6) Cod. Vien.: vultum.

herbae bonae et quaedam malae. Bonum est quod dicit Augustinus se legisse in libris Platonis, licet non eisdem verbis, quod in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum; malum est quod legitur apud eos de revolutione circulari in anno magno, (1) et similia multa: et ideo non est tutum cuilibet illa legere, nisi sciat discernere hoc ab illo, ne forte colligat herbas malas pro bonis. Exemplum. In *Eccles. Historia* legitur de Dionysio episcopo quod ei reprehenso (2) a fratribus quod legebat libros haereticorum, apparuit visio dicens: Lege omnia quaecumque veniunt ad manus tuas, quia omnia probare et discernere potes. Ex quo relinquitur quod his qui nesciunt bene discernere non est securum mixta bonis et malis (3) legere, ne forte malum cum bono colligant. Ideo dicit Theophilus: Lector Origenis ita bonum (4) carpat ne spinam attingat.

CXLV. Contra illos qui negligunt religionem propter studium.

Circa quartum notandum quod sunt quidam qui propter inordinatum scientiae amorem dimittunt interdum ea quae sunt religionis, modo in scribendo, modo cum scriptoribus, modo legendo, modo audiendo, et in aliis hujusmodi ad studium pertinentibus se inseparabiliter occupando. Hi sunt qui cum vocat signum ad ecclesiam, vel capitulum, vel alibi, vel cum a praelatis vel officialibus vocatur ad aliquid, iis quae sunt studii sic adherent quod obedientiam postponunt. In hoc sunt similes primis parentibus qui instigatione diabolica propter appetitum scientiae inobedientiam incurrerunt. *Gen. 3.* Contra quod est illud celebre et praeclarum exemplum Marci monachi, qui ad vocem abbatis eum vocantis in auditu auris obediens reliquit imperfectam litteram quam scribebat. Pertinet ad viros sanctos pascere affectum suum in orationibus et devotionibus secretis, in missis celebrandis, in frequenti confessione, in laudibus divinis quibus intersunt libenter, et specialiter in officio beatae Virginis. (5) Sed isti, proh dolor! omnia ista

---

(1) Qui tum complendus dicebatur cum solis et lunae et quinque errantium ad eamdem inter se comparationem per octo ambitus facta esset conversio. — (2) Cod. Vien.: reprehenso. — (3) Codd. Sp. et Vien.: mixta bona malis. — (4) Cod. Vien.: botrum. — (5) Quod intellige, juxta aetatis illius documenta, vel de Psalterio *nobili,* quod Psalmis ad B. V. aliisve rarioribus constabat orationibus; vel de *vulgato,* Salutationibus Angelicis constituto....

dimittunt interdum propter studium, per quod solum videntur divina, non gustantur; et ideo similes sunt avaro qui multa habet ex quibus non habet nisi solum videre, cum nunquam de illis gustet. *Eccli. 5.:* Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Contra quod dicit Psalmista, *Ps. 33.:* Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, praeponens gustum visioni, quia magis est de illo curandum.

Item, pertinet ad veram religionem ut sicut specialiter dicuntur fratres religiosi, ita sibi exhibeant fraterna servitia mutuo diligenter in necessitatibus suis, et hoc « ante omnia. » Nec mirum si hoc apud tales fratres sit omnibus praeponendum, cum etiam omnibus hoc imponat Petrus, 1 *Petr. 4,* dicens: Ante omnia in vobismetipsis mutuam charitatem habentes. Sed isti pervertentes ordinem istum frequenter praeponunt studium isti charitati, volentes illud praemittere. Ista enim scientia non est scientia cui (1) supereemineat charitas, sed potius supereminens charitati, contra illud Apostoli, *Eph. 3:* Supereminentem scientiae charitatem. Cum igitur tota religio consistat vel in obedientia quoad majores qui sunt loco Dei, vel in sanctis affectionibus quoad proprium animum, vel in fraternis obsequiis quoad proximum, quae omnia hujusmodi inordinatus amor studii impedit, patet quod qui hujusmodi sunt religionem propter studium derelinquunt.

Et nota quod scientia venienti ad religionem facit videre mala praeterita multa quae non noverat; ostendit etiam mala imminentia in futuro ex tentationibus: sed non potest justificare de praeteritis, nec custodire a futuris, sine religiosis operibus.

Item, cum est sine religione scientia adducit tristitiam in praesenti, propter defectus multiplices quos ostendit inesse religione carenti, nec ad finem religionis qui est gaudium aeternum perducere potest. Religio vero omnia contraria confert. *Eccli. 1:* Religiositas justificabit et custodiet cor: ecce duo prima; jucunditatem, scilicet in praesenti, et gaudium, in futuro scilicet, dabit: ecce alia duo.

Cum ergo ingresso religionem summe sit necessaria justificatio de malis praeteritis, et custodia de futuris; consolatio spiritualis in praesenti de tristitia, et perventio ad gaudium futurum, quae omnia

---

(1) Cod. Grat.: Ista non est scientia cui....

confert religio, non scientia: quam stultum, quam damnosum est viro religioso propter studium negligere ea quae sunt religionis!

CXLVI. De praerogativa virtutis supra scientiam.

Hoc idem patet si videtur quantum praerogativae habeat virtus, ad quam est omnis religio, supra scientiam, ad quam est studium. Attendendum igitur est quod virtus est via ad salutem; unde, *Eccli. 30:* Salus animae in sanctitate justitiae; scientia vero non sic: alioquin nec daemones qui sciunt plus quam aliqui viventes, nec philosophi qui in scientiis adeo sublimes fuerunt, nec Salomon qui omnes praecellit in scientia, ad inferos descendissent; quod non solum de daemonibus et philosophis, sed etiam de Salomone asserunt multi. Praevalet ergo virtus super scientiam, quia illa ducit ad salutem, haec vero non. Augustinus: Surgunt indocti et rapiunt coelum, et nos cum litteris nostris in infernum demergimur.

Item, scientia parum aut nihil confert ad virtutem, ut dicit Philosophus in *Ethicis;* virtus vero multum confert ad sapientiam, ut dicitur *Eccli. 1:* Fili, inquit, concupiscens sapientiam, serva justitiam, et Deus praebebit eam tibi.

Item, virtus tanto laudabilior est quanto magis sequestrata est scientia, tam in simplice quam in sapiente. (1) Scientia vero sine virtute nec digna est nomine sapientiae. Tullius: Praeclarum est illud Platonis: Scientia, inquit, quae remota est a justitia, calliditas potius quam sapientia nominanda est.

Item, daemonum est vexare, sicut dicitur *Matth. 16.* Et isti qui habent scientiam absque virtute interdum plus omnibus aliis vexant totam abbatiam sua litteratura. Daemonum est dissolvere vincula, sicut dicitur *Marci 5:* et isti interdum plus aliis frangunt observantias regulares. Daemones iterum horrent orationes et jejunia, sicut probatur per illud: Hoc genus non ejicitur, nisi in jejunio et oratione, *Marci 9:* sic etiam multi istorum. Scientia ergo absque virtute facit homines daemoniacos, quod interpretatur scientes, (2) ut

---

(1) Quia scil. inde major supponitur in voluntate charitas Cf. S. Th. III. D. XXVII, q. 1, a. 4, 7^{m}; — Verit. Q. XIV, a. 5, 5^{m}. Quol. III, a. 19, fine. — (2) Siquidem δαίμων a δάω derivare censetur.

sicut conveniunt in nomine, conveniant in rei proprietate. E contra vero virtus facit homines angelicos. Unde etiam sanctus Urbanus vir magnarum virtutum in vultu angelico est demonstratus, sicut legitur in legenda beatae Caeciliae. Et de David dicitur, 2 *Reg. 14:* Sicut angelus Dei, sic est dominus meus rex. Et Judaei viderunt vultum beati Stephani tanquam vultum angeli. *Act. 6.*

Item, magister noster Christus, qui est Deus docens utilia, nunquam docuit scientias alias, nisi solum facere quae sunt virtutum. Discite, inquit, a me, non quadriviales vel triviales,(1) non naturales scientias, non primam philosophiam, non ethicam, non coelos fabricare, non mortuos suscitare, et similia: sed quia mitis sum et humilis corde. *Matth. 11.*

Item, de labore circa studium contingit interdum poenitere. *Eccli. 2:* Detestatus sum industriam qua sub sole studiosissime laboravi. De labore vero circa virtutes, cum recedit, semper sequitur gaudium. *Prov. 20:* Malum est! Malum est! dicit omnis emptor, scilicet regni coelestis ex labore virtutum: sed cum recesserit, labor ille scilicet, tunc gloriabitur.

Item, virtus efficit homines magnos. *Eccli. 44.* Homines virtus magnificat, scientia vero sine virtute annihilat. 1 *Cor. 12:* Et si habuero omnem prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, charitatem autem non habuero, quae est mater virtutum, nihil sum.

Si hoc diligenter attenderetur, videlicet quod (2) virtus est via ad salutem, non scientia; quod virtus multum confert ad scientiam, et e contrario scientia parum ad virtutem; (3) quod scientia sine virtute non est digna nomine scientiae; (4) quod scientia facit inter-

---

(1) Cod. Vien.:.... non triviales. - « Scias quod grammatica, dialectica et rhetorica dicuntur trivia (*vel trivium*) quadam similitudine, quasi triplex via ad idem, id est ad eloquentiam; aritmetica vero, musica, geometria et astronomia dicuntur quadrivium, quasi quatuor viae in idem, id est ad sapientiam tendentes. » Joan. Genuen., *Cathlicon,* voc. Trivium. — (2) In hoc toto loco, singulis incisis habet cod. Vien.: « quomodo »; - alii codd. promiscue vel « quomodo » vel « quod » vel « quoniam ». — (3) Cod. Grat.: salutem. — (4) Cod. Grat.: sapientiae.

dum daemoniacos, virtus vero angelicos; quod virtus facit imitatorem Christi, non scientia; quod scientiae labor reliquit poenitentiam, virtutis vero labor laetitiam; quod virtus magnificat, scientia vero annihilat, mirum esset si auderet (1) aliquis propter studium scientiae negligere virtutum religionem.

CXLVII. De malis quae facit scientia sine virtute.

Adhuc attendendum quod scientia non solum est inferior virtute, sed sine virtute multa mala facit occasionaliter pertinentia ad malum culpae.

Facit enim interdum de non peccato peccatum. Multa enim sunt quae non sunt peccatum nescienti, quae sunt peccatum scienti, cum non facit ea, et scit facienda. *Jac. 4:* Scienti bonum facere et non facienti peccatum est illi.

Item, aggravat vera peccata. Gregorius: Ubi majus est donum scientiae, trangressor majori subjacet culpae.

Item, conservat in peccato. Proprium enim est sapientum illud quod faciunt, licet malum, per scientiam suam defendere. Et ideo manent diutius in peccato suo. *Joh. 9.,* dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

Item, peccata multiplicat. *Is. 15*: Aquae Dibon, quod interpretatur abundanter intelligens, (2) repletae sunt sanguine peccatorum. Et bene dicitur: hujusmodi enim scientiae generant praesumptionem. *1 Cor. 8:* Scientia inflat.

Item, vanam gloriam. *Rom. 1:* Evanuerunt in cogitationibus suis; quod dicitur de philosophis.

Item, indignationem facit ad illos quos despicit. (3) *Eccle. 1:* In multa sapientia multa est indignatio.

Item, facit male occupari. *Eccle. 1:* Hanc occupationem pessimam Deus dedit filiis hominum; et loquitur de studio.

Item, interdum ducit ad haeresim: non enim simplices, sed studiosi haereses confinxerunt. *1 Tim. 6:* Quam, scilicet scientiam, quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

Item, interdum retrahit alios a bono. Sunt enim aliqui qui ex

---

(1) Codd. Tol. et Sp.: audiretur. — (2) Ex *di-mon,* quod est sufficiens repraesentatio. — (3) Cod. Tol.: indignationem ad alios quos despici facit.

scientia sua faciunt aliis conscientias per quas eos impediunt a bono concepto. Quibus dicitur, 1 *Luc. 11:* Vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae: ipsi non intrastis, et eos qui intrabant prohibuistis! Bene ergo aquae Dibon, scientiae scilicet abundanter intelligentes, dicuntur plenae sanguine, quia praesumptio, vana gloria, indignatio, occupatio mala, et haereses, impedimenta boni, et alia multa mala ex hujusmodi scientiis saltem occasionaliter oriuntur.

Item, hujusmodi scientia non solum generat mala, sed per abusum ipsamet vertitur in malum. Bernardus: Quidam volunt scire ut sciant, et est curiositas; et quidam ut sciantur, et est vanitas; et quidam ut ditentur, et est cupiditas.

Praeterea praeter ista mala quae pertinent ad malum culpae, facit alia mala multa quae pertinent ad malum poenae, et hoc tam in futuro quam in praesenti. In futuro accusabit coram Judice: hujusmodi enim scientes portabunt litteras mortis suae, sicut Urias, 2 *Reg. 11.,* quae manifeste ostendent eos inexcusabiles de ignorantia; sicut lex Moysis Judaeos accusat. De quo dicitur *Joh. 5:* Est Moyses qui vos accusat, id est lex Moysis; unde sequitur: De me enim ille scripsit.

Item, obligat ad rationem arctiorem reddendam, eo quod plus donatum (1) est illis; et crescentibus donis, crescunt et rationes donorum, sicut dicit Gregorius. *Luc. 12:* Homini cui multum est datum multum quaeretur ab eo.

Item, facit reum majoris poenae. *Luc. eod.:* Servus qui scit voluntatem domini sui et non facit, plagis vapulabit multis.

In praesenti vero decipit. Multi enim ex scientia quam habent innitentes prudentiae suae, existimantes se sapientes, stulti fiunt, et multas stultitias faciunt. *Is. 47:* Sapientia et scientia tua haec te decepit.

Item, cito quis potest bonus fieri: sed scientia etiam cum labore magno vix haberi potest. *Eccle. 8:* Quanto plus laboraverit homo ad quaerendum, tanto minus inveniet; et loquitur de scientia, et ideo dicit (2) quod praestet laborem scientia. *Eccle. 1:* Qui addit scientiam addit et laborem.

---

(1) Cod. Tol.: datum. — (2) Cod. Vien.: constat.

Item, multi ex amore scientiae senescunt in studio, et nihil boni inde faciunt in vita sua: et tales scientia corrumpit. *Ps. 13:* Corrupti sunt in studiis suis. Et sic patet quod in praesenti decipit, affligit et corrumpit hujusmodi scientia.

Habetur ergo ex praecedentibus quod scientia sine virtute multa mala facit, quod virtus praeferenda est scientiae, quod religio confert religioso necessaria quae scientia conferre non potest: et ideo non est aliquatenus religio, quae est ad virtutem, propter studium, quod est ad scientiam, negligendă.

Ut autem plura ad hanc materiam pertinentia et utilia cognoscantur, notandum (1) est quod quaedam sunt reprehensibilia circa studium religiosorum, quaedam circa libros eorum, quaedam circa auditores, quaedam circa lectores, quaedam circa scriptorum factores, quaedam circa disputatores: (2) quae omnia sunt annexa scientiae. Quae expedit cognoscere ut caveantur, quia non potest vitari malum nisi cognitum. Si autem scientia dimittenda est propter religionem, multo magis ista quae sunt reprehensibilia circa scientiam: et ideo quia non potest vitari malum nisi cognitum, non est inutile habere eorum notitiam.

CXLVIII. De reprehensibilibus circa studium.

Sciendum igitur circa primum quod quidam interdum volunt scrutari per studium ea quae nec per rationem philosophicam, nec per (3) Scripturam divinitus inspiratam sunt patefacta, quae potius sunt admiranda quam investiganda, secundum illud Apostoli, *Rom. 11:* O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Contra quos dicitur *Eccli. 3:* Altiora te ne quaesciris.

Alii sunt qui licet ista alta Deo dimittant, (4) tamen circa quaedam reprehensibilia magis subtilia quam utilia se enervant. Contra quos Seneca dicit: Quid te torques et maceras circa illam quaestionem, quam subtilius erat contempsisse quam solvere.

Alii sunt qui ascendere (5) volunt per studium ad quaedam quae

---

(1) Cod. Sp.: Sunt autem plura ad hanc materiam pertinentia et utilia Notandum.... — (2) Codd. Tol. et Sp.: dispensatores. — (3) Codd. Sp. et Vien.: vel. — (4) Codd. Sp. et Vien.: licet alta Deo committant. — (5) Cod. Sp.: conscendere; - cod. Vien.: contendere.

licet aliis comprehensibilia sint et plana, tamen eis non sic, quia non habent ingenium tam excellens quod sufficiat ad ea comprehendere. (1) Contra hos dicitur, *Prov. 23:* Ne erigas oculos ad opes quas non potes habere; quia facient sibi pennas quasi aquilae, et volabunt in coelum.

Alii sunt qui sollicite student circa multa quae potius sunt curiosa quam utilia. Contra quos dicitur *Eccli. 3:* In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus ejus operibus ne fueris curiosus.

Alii sunt qui prurientes auribus, dimissis usitatis, semper inhiant ad nova aliqua addiscenda, sicut Athenienses de quibus dicitur, *Act. 17:* Athenienses autem et omnes advenae ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere (2) aut audire aliquid novi. Et contra (3) hos est verbum Evangelii, *Luc. 5,* quod praefert vinum vetus novo, licet novum magis delectet lecatores, (4) quod exponitur de doctrina.

Alii sunt ita cupidi scientiae quod volunt scire omnia, modo studentes in jure, modo in philosophia, modo in medicina, modo in theologia, modo in mecanicis. Seneca: Quemadmodum caeterarum rerum, ita et litterarum intemperantia laboramus. Contra quos dicitur, *Rom. 12:* Non plus sapere quam oportet sapere, id est quantum (5) necesse sit, sed sapere ad sobrietatem.

Alii sunt qui in nulla re certa student; sed sicut qui vadunt spatiando per diversa loca, ita et ipsi per diversos libros vagantur. Contra quos dicit Seneca: Vide ne lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum aliquid vagum habeat et instabile.

Alii sunt qui legendo sic velociter transeunt omnia quod vix capiunt aliquid de sententiis, (6) et ideo nunquam proficiunt. Propter quod dicit Cato: (7) Legere et non intelligere est negligere.

Alii sunt qui etsi forte intelligant, tamen in mente non retinent, et ideo parum eis prosunt vel nihil, sicut cibus comestus non retentus in stomacho. Contra quod dicit Hieronymus: Divinae Scripturae jugiter in mente volvantur.

---

(1) τὸ « comprehendere » in cod. Vien.: deest. — (2) Cod. Vien.: discere. — (3) Cod. Vien.: Sed contra. — (4) H. e. gulosos; gall.: *lécheur.* — (5) Codd. Sp. et Tol.: in quantum. — (6) Cod. Vien.: sententia. — (7) Cod. Vien.: dicit sapiens.

Alii sic illaqueantur delectatione (1) quadam scientiae, quod omnia alia praetermittunt, licet meliora. Seneca: Hoc pessimum habent, scilicet quidam, scientiae dulcedinem quamdam sibi faciunt, et animum tenent et morantur, cum tanta rerum moles vocet.

Alii sunt qui licet crescant in scientia, tamen in opere parum aut nihil. Contra quod dicitur *Philip. 1:* Hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, quia quanto major est sensus et scientia in homine, tanto plus debet in operibus charitatis abundare. Exemplum. Dixit abbas quidam cuidam theologo Parisiensi: Magister, dicite mihi quid est melius hominem (2) facere bonum quod scit, aut addiscere bonum quod nescit? At ille: Melius est hominem (3) facere bonum quod scit. Et abbas: Quid ergo erit de vobis Parisiensibus theologis, qui tot et tanta bona scitis et tam parva facitis, et semper vacatis addiscendis bonis quae nescitis, semper discentes, semper in studio commorantes? — Dicitur iterum de quodam viro religioso quod cum venisset Parisius ad audiendam theologiam, et prima die qua ingressus est scholam fuisset lectio de illo mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc., regressus ad hospitium fecit parari equos ad redeundum ad terram suam. Cum autem super hoc admirantes socii quaererent causam quare tam cito recedere vellet, respondit: Propono cum Dei adjutorio dare operam ad faciendam istam lectionem, et sufficit mihi tantum scire de theologia omnibus diebus vitae meae.

Item, in *Vitis Patrum* legitur quod cum quidam frater requirens senem ut doceret eum aliquod bonum, et ipse dixisset ei: Dixi custodiam vias meas, et non delinquam in lingua mea, *Ps. 38.*, frater recedens et dans operam ad illud verbum implendum, post multa tempora rediit reddens opere lectionem. Ex quibus patet quod bonorum est ex parva scientia multa facere, non ex multa parum.

Alii sunt qui sic insipienter student quod non ponunt finem aliquem in studio. Contra quod dicit Jeremias, *Jer. 18:* Dirigite studia vestra, scilicet ad finem debitum, quod est vel ad gloriam Dei, juxta illud *Is. 24:* In doctrinis glorificate Deum; vel ad aedificationem proximi,

(1) Cod. Sp.: dulcedine. — (2) Cod. Vien.: homini. — (3) Cod. Vien.: homini.

1 *Cor. 14:* Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis, scilicet in scientia; vel ad utilitatem propriam, ut quod sciunt faciant, secundum illud *Ps. 118:* Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Studium ergo scientiae informandum est charitate vel ad Deum, vel ad proximum, vel ad seipsum: propter quod dicitur, *3 Reg. 6,* quod Cherubin, quod est plenitudo scientiae, fuit tectum auro, scilicet charitatis, quia scientia est tota charitate ordinanda.

Sic igitur patet quod studium est reprehensibile quia versatur vel circa nimis alta, vel circa nimis subtilia, vel circa vires excedentia, vel circa curiosa, vel circa nova, vel circa nimis multa, vel quia nimis vage, vel quia cursim legitur, vel quia nihil cordetenus retinetur, (1) vel nimis ibidem homo detinetur, (2) vel quia cum scientia non crescunt opera, vel quia non ordinatur studium ad finem debitum: quae viri religiosi tanto magis cavere debent quanto magis debent se in omnibus irreprehensibiles exhibere.

CXLIX. De reprehensibilibus circa libros.

Circa secundum notandum quod circa libros est reprehensibilis nimia pretiositas, et maxime in libris religiosorum, qui in omnibus maxime debent praetendere paupertatem. Hieronymus, in *Prol. sup. Job:* Habeant qui volunt veteres libros in membranis purpureis, auro argentoque descriptis, dummodo permittant mihi meisque pauperes habere cedulas.

Item, pulchritudo. Pulchritudo enim est puerile quid, quia pueri delectantur in litteris floridis et varie depictis, et hujusmodi pulchritudinem praeferentibus. Puerilitatem (3) multi senes retinent. Seneca: Plerumque non pueritia, sed, quod gravius est, puerilitas remanet in nobis. Contra hujusmodi pulchritudinem dicit iterum Hieronymus: Permittant mihi meisque non tam pulchros habere codices quam emendatos.

Item falsitas, quae multum impedit profectum in scientia. Propter quod dicit Augustinus, de *Doctr. Christ.:* Codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum qui Scripturas Divinas nos se desiderant.

---

(1) Codd. Sp., Grat. et Vien.: corde retinetur. — (2) Codd. Vien., Tol. et Sp.: retinetur. — (3) Cod. Tol.: Hujusmodi puerilitatem.

Item illegibilitas. Sunt enim aliqui qui faciunt fieri scripta de tali littera quod post modicum tempus, visu debilitato, vix est eis legibilis vel aliis. Contra quod est verbum Pythagorae dicentis: Debent homines viaticum senectuti litteras praeparare. Quomodo enim pascetur senectus in iis quae legere non poterit?

Item, curiositas, quae est in hoc quod non contenti quidam libris necessaria continentibus, cum magna aviditate quaerunt et procurant curiosa in philosophicis vel in aliis commentis. Contra quod dicitur *Act. 19:* Multi ex iis qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millia. Ita fortiter crescebat verbum Dei et confirmabatur! Mira res! Curiosi venientes ad fidem comburunt libros curiosos tot et tanti pretii: et religiosi quidam emunt eos care frequenter!

Item multitudo. Sunt enim quidam qui habentes libros sibi sufficientes omnibus diebus vitae suae, adhuc non cessant cumulare libros, et inutiliter (1) conservare, in quibus quandoque nunquam legunt. Contra hos est in *Vitis Patrum* verbum senis cujusdam, qui rogatus a fratre quodam ut diceret ei verbum dixit ei: Quid habeo tibi dicere, quia tulisti ea quae sunt viduarum et pauperum, et posuisti ea in fenestris? (2) Hoc autem dixit quia viderat fenestras ejus codicibus plenas. (3)

Item, reprehensibilis est nimia confidentia in libris, (4) propter quam quidam nihil sciunt aut parum, quia nihil ponunt in corde, confidentes quod in libris suis invenient omnia. Contra hos est verbum Pythagorae dicentis: Cave ne armarium (5) doctius habeas quam pectus.

Item, reprehensibilis est nimia affectio circa libros, propter quam multi multa mala incurrunt. Ex hoc enim accidit quod quando non

---

(1) Cod. Tol.: inutilia. — (2) Codd. Sp. et Vien.: in fenestra. - Intellige verosimilius vel loculos muro infossos, vel cancellos, quibus continebantur libri. — (3) Cod. Sp.: fenestram.... plenam. — (4) Cod. Vien.: in libros. — (5) « Frequenter nunc armarium specialiter dicimus librorum, » (Joan. Gen. *Cathol.*) scil. bibliotecam.

habent, sunt molesti super hoc praelatis suis; cum habent, nolunt aliis mutuare; cum ab aliis in aliquo maculantur, graviter perturbantur; cum auferuntur, ferunt impatienter; horum occasione cum scriptoribus litigant; pro iis acquirendis amicis et familiaribus importune instant, (1) et alia quaedam committunt quae nunquam fierent, nisi in eorum excederetur amore. Non reliquit nobis tale exemplum beatus Dominicus, qui adhuc saecularis et juvenis, et in scholis commorans, libris quos habebat necessarios non fuit sic amore ligatus quin eos venderet ad dandum pauperibus pretium eorumdem.

Legitur in *Vitis Patrum* quod abbas Theodorus interrogavit abbatem Macarium dicens: Ecce habeo tres codices, et proficio in lectione eorum; sed et fratres petunt eos ad legendum, et proficiunt ex eis. Dic ergo quid tibi videtur. Dixit ei abbas Macarius: Boni sunt codices, sed melius est nihil habere. Quo audito vendidit codices, et pretium eorum dedit indigentibus.

Item, alius frater habens evangelium vendidit illud, et dedit pretium pauperibus, dicens verbum dignum memoria: (2) Ipsum verbum, ait, quod jubet omnia vendi et dari pauperibus, vendidi et dedi pauperibus. Nunc, obsecro, illi (3) commiserunt illicita propter libros, qui libros propter perfectionis opera distraxerunt? Det Deus ut qui propter ipsum student in libris, amore librorum nihil faciant contra ipsum!

CL. De reprehensibilibus circa auditores.

Circa tertium notandum quod quaedam sunt reprehensibilia circa modum auditorum quorumdam, quaedam circa negligentiam audiendi, quaedam circa recusationem magistrorum aliquorum.

Porro circa auditorum modum, sciendum est quod aliqui sunt qui sunt tam tepidi circa lectiones quod propter modicum laborem retrahuntur: ut si longe oporteat eos ire, vel intemperiem aliquam sustinere et similia. Contra hos poterit in judicio surgere regina Austri, quae licet delicata et tam nobilis, tamen venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis. 3 *Reg.* 10.

Alii sunt qui licet aliquando audiant lectiones, tamen raro, quia

---

(1) Codd. Sp. et Grat.: fiunt amicis et familiaribus importuni. — (2) Cod. Vien.: dicens dignum memoriae. — (3) Cod. Vien.: Quando, obsecro, isti....

discontinuant eas facili occasione, et ideo non possunt proficere, quia lectiones sic dependent ab invicem una ex alia, quod una amissa omittitur intellectus alterius, et ex una intelligitur alia frequenter, sicut dicit Augustinus ; et ideo continuatio lectionum multum confert ad profectum. Sapiens: Instantia (1) est mater omnium artium ; et hoc est quod laudatur in auditore. *Prov. 8:* Beatus, ait Sapientia, qui vigilat ad fores meas tota die ; id est ad doctores meos, per quos venio et venitur ad me.

Alii sunt qui licet continuent lectiones, tamen ita tarde veniunt quod magnam partem lectionis amittunt. Contra quos dicitur *Jac. 1:* Sit omnis homo velox ad audiendum.

Alii sunt qui assistentes lectionibus ita dormitant, vel corde evagantur, quod non intelligunt ea quae leguntur, et ideo auditus eorum sine fructu est. Contra quod dicitur *Matth. 15:* Audite et intelligite.

Alii sic de facili prolixitatem fastidiunt quod finem lectionum nunquam (2) expectant. Contra hos est devotio Judaeorum ad lectionum Legis, de qua dicitur 3 *Esdr. 9:* Legebat Esdras a prima luce usque ad vesperam coram viris et mulieribus, et dederunt omnes sensum ad Legem. Ex quo patet quod in tanta multitudine in tam prolixa lectione nullus recessit.

Alii sunt qui quamvis de multis quae audiunt dubitent, vel etiam quandoque non intelligant, tamen ita parum est ei cordi scire quae audiunt quod nunquam aliquem (3) interrogant. Contra quod dicitur, *Luc. 2,* de Domino Jesu: Audientem illos et interrogantem. Quod constat eum fecisse ut nos doceret interrogare. Hieronymus: Melius docet dum prudenter interrogat; docens (4) scilicet ut nos idem faciamus.

Alii sunt qui de iis quae audiunt nihil retinent in corde, neque ut retineant repetunt, vel conferunt, vel scribunt. Contra quod dicitur *Prov. 7:* (5) Audi, fili, praecepta Domini, et ea in corde tuo quasi in libro scribe.

---

(1) Codd. Grat. et Tol.:.... ad profectum sapientiae. Instantia... — (2) Codd. Vien. et Tol.: vix unquam. — (3) Cod. Tol.: aliquid. — (4) Cod. Vien.: docet. — (5) Cod. Vien.: dicitur Ecclesia. - Caeteri plerumque habent « *Eccli.* Audi,

Alii sunt qui de lectionibus auditis, etsi repetant verba scientiae, tamen parum aut nihil faciunt de auditis. Isti sunt similes illis qui ascendentes arborem fructus optimos ferentem, tamen ibi nihil colligunt, nisi folia. Contra quod dicitur *Cant. 7:* Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus: fructus dicit, non folia.

Ex iis ergo patet quod reprehensibile sit circa auditores cum vel de facili occasione lectiones dimittunt, vel cum discontinuant, vel cum tarde veniunt, vel cum non diligenter audiunt, vel cum finem non expectant, vel cum nihil interrogant, vel in mente nihil retinent, vel in opere non proficiunt ex lectione.

Verum pejus est quod quidam, licet se reputent inter populum Dei, omnino negligunt ejus legem audire, secundum illud *Ps. 80:* Et non audivit populus meus legem meam. Sunt enim aliqui quibus magis sapiunt fabulosa verba quam divinae doctrinae sapientia. (1) Et ideo propter illa dimittunt istam. 2 *Tim. 4:* Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. E contrario autem dicitur de bona aure, *Eccli. 3*: Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam.

Alii sunt qui sperantes quod possunt (2) per se proficere in studio, propter lectionem privatam dimittunt lectiones scholarum, in quo est magna stultitia. Plura enim, et clarius, et modico magis tempore (3) intelliguntur a magistro quam sufficiat ingenium humanum per se capere. (4) Hieronymus tales reprehendens in *Epistola ad Paulinum* ostendit quod sicut aliae artes non possunt haberi sine doctore, (5) multo minus divina sapientia. Haec, inquit, a me praescripta sunt ut intelligeres te in (6) Scripturis Sacris sine praevio et ductore (7) et monstrante semitas ingredi non posse. Idèo dicitur *Eccli. 23:* Doctrinam oris audite, filii; scilicet quae egreditur (8) ab ore.

Alii sunt qui non audiunt propter quamdam desperationem quam

Israel. » Quia vero hujusmodi verba nobis hic non occurrunt, ad textum analogum in *Prov.* remittimus. — (1) Cod. Sp.: qui magis sapiunt.... quam.... sapientiam. — (2) Codd. Vien. et Grat.: possint. — (3) Cod. Vien.:... et clarius in modico. — (4) τὸ « humanum per se capere » ex uno cod. Vien. habetur. — (5) Cod. Tol.: doctrina. — (6) τὸ « te in » in cod. Vien. deest. — (7) Codd. Sp., Grat. et Vien.: doctore. — (8) Codd. Vien. et Sp.: ingreditur.

habent proficiendi in audiendo, quia nihil retinere possunt de auditis, nec intelligere quandoque. Quod est erroneum, quia verbum Domini nunquam est sine fructu. *Is. 55*: Verbum quod egreditur de ore meo non revertetur ad me vacuum. Quandoque enim, etsi non intelligatur plenarie, nihilominus pascitur ibi anima devota, quia omne verbum Dei panis est. *Matth. 4*. Quandoque etiam virtute verbi divini anima purificatur. Exemplum in *Vitis Patrum*. Cum quidam frater quaereret a quodam sene si prodesset ei verbum auditum, quia nihil poterat retinere, dixit senex: Sicut cophinus niger frequenter immersus in aqua nihil de aqua retineat, tamen semper plus et plus dealbatur: ita et anima audiendo verba divina, licet nihil retineat de auditis, tamen semper purificatur.

Alii sunt qui propter alias occupationes quibus se implicant lectionem dimittunt. Contra quos Hieronymus inducit *ad Paulinum* exempla multorum philosophorum, qui non solum occupationes, sed et patriam et sua et suos dimittentes, longe peregrinati sunt ad audiendum aliquos magistros. Sic Plato Ægyptum, sic Pythagoras Italiam, Apollonius Indiae regna penetravit ad discendum ab aliis, aliis omnibus intermissis.

Alii sunt qui quasi fatigati ex longo auditu dimittunt ex toto lectiones. Contra quod dicitur, *Prov. 19:* Non cesses, fili, audire doctrinam. Et bene dicit non cessandum: qui enim cessat non solum non proficit ad majora, sed de facili obliviscitur quod scivit.

Alii sunt qui non audiunt quia nolunt incipere quod diu non fecerunt. Contra quod dicit Seneca: Quid stultius quam quia non didicisti ideo non vis discere? (1)

Alii dimittunt propter superbiam. Reputant enim se esse ita sapientes quod in audiendo proficere non possint. Contra quos dicitur, *Prov. 1:* Audiens sapiens sapientior erit. Quis enim ita sapiens est qui audiendo in brevi tempore quod magister praevidit (2) in magno, vel ex aliquo quod audit accipiendo occasionem ad alia, (3) vel cum

---

(1) Cod. Vien.: quam quia non didiceris er ideo nolis discere. — (2) Cod. Vien.: providit. — (3) Cod. Vien.:.... in magno, quod ex aliquo quod audit in accipiendo occasionem ad alia....

quod sciebat altius imprimitur in ejus memoria, non proficiat in sapientia?

Alii sunt qui reputantes scientiam parum valere, negligunt audire. Contra quod dicitur, *Prov. 8:* Melior est sapientia cunctis operibus. Et ideo dicitur, *Prov. 2,* quod quasi pecunia quae est pretiosa sit quaerenda sapientia: immo quasi thesauri, quod est pretiosius, sit effodienda.

Quia igitur causae praedictae non valent, constat valde reprehensibiles eos esse qui negligunt lectiones audire.

Sed sciendum est iterum quod sicut aliqui dimittunt audire lectiones propter causas praedictas, quae sunt ex parte auditorum, ita dimittunt aliqui propter quasdam causas quae sunt ex parte magistrorum.

Aliqui enim aliquos fugiunt propter malam vitam eorum, quod non expedit. Etsi enim mala faciant, mala tamen non audent docere. Augustinus: Audiuntur utiliter qui utiliter non agunt; sua enim quaerere student, sed sua docere non audent.

Aliqui propter insufficientiam quam habent vel in eloquentia, vel in scientia, vel in aliis: sed non est pauperis famelici non currere (1) ad reliquias quae dantur in domo divitis, quia inter bona comestibilia inveniuntur aliquae aristae, (2) vel alia nihil valentia. Ita cum nullus lector sit adeo insufficiens quin aliqua bona doceat, audiendus est. Propter quod dicitur 1 *Thess. 5:* Quod bonum est tenete. Nonne Moyses datus a Deo Judaeis pro magistro defectum habuit eloquentiae, cum esset linguae impeditioris? *Exod. 4.*

Aliqui (3) propter contemptum personae, cum est juvenis, vel aliter contemptibilis. Contra quod dicit Clemens Papa: Nullus episcoporum propter opprobrium senectutis, vel (4) nobilitatis generis, a parvulis vel minimis eruditis inquirere negligat, si quid forte veritatis est et salutis. Nec mirum si hoc dicat Clemens de minimis personis, cum Salomon dicat sapientiam discendam a formica. *Prov. 6.*

Aliqui (5) propter malam aemulationem. Æmulantur enim aliquos

---

(1) Cod. Tol.: quaerere currere. — (2) Intellige *spicula,* gall. *arêtes.* — (3) Cod. Vien.: alii. — (4) Cod. Vien.: ignobilitatis. — (5) Cod. Vien.: alii.

non bene, et propter hoc nolunt ab eis addiscere. Isti sunt qui nolunt habere lucem quae pertranseat per terram inimicorum suorum. Non sic gentilitas quae est edocta in Synagoga sibi inimica; quod significatum est in doctrina quam acceperunt Magi a Judaeis de Christo. *Matth. 2.*

Aliqui propter paucitatem auditorum, non attendentes ad doctoris sufficientiam, sed ad concursum auditorum cum quibus currunt. Non sic Apollonius, qui sicut dicit Hieronymus, post multa regna pertransita pervenit ad Brachmanas, ut Hyarcham inter paucos discipulos de natura, de motibus, de cursu siderum et dierum audiret docentem.

Aliqui propter famae defectum, non considerantes quid dicat magister, sed quid dicatur de ipso, cum tamen contingat frequenter quod multorum major sit fama quam res, et multorum major res quam fama. Ideo magis attendenda est res quam fama, ut fama contempta sola utilitas quaeratur, et talis eligatur qui doceat utilia; exemplo Domini dicentis Isaiae, *Is. 48:* Ego Dominus Deus tuus docens te utilia.

Istis ergo reprehensibilibus circa auditores reprobatis convenit viros bonos qui habent aptitudinem qualemcumque libenter audire lectiones divinas; ad quod incitat ipsa natura, quae in homine aures posuit in parte superiori et apertas ut per hoc doceretur homo quod ad superna audienda semper debet esse pronus. Ideo bene dicitur *Apoc. 2:* Qui habet aures audiendi audiat. Quasi dicat: ipsae aures ad hoc factae sunt ut audiant.

Item, ad hoc movere debet multum Divinae Scripturae frequens admonitio. Cum enim omnis admonitio sit ad movendum, quanto frequentius inculcatur admonitio circa idem a Sacra Scriptura, quae proprie est ad bonum nostrum, tanto debet magis movere. Non est autem fere aliquid ad quod tam frequenter moveat, sicut ad audiendum sapientiam, sicut patet in libris Salomonis, in quibus sine numero replicatur: Audi, audite.

Item, magnitudo materiae de qua tractatur in sapientia divina. Libentius enim solent homines audire de materia alta. Et ideo dicit

Sapientia, *Prov. 8:* Audite me quomodo (1) de rebus magnis locutura sum.

Item, pretiositas salarii. In aliis siquidem facultatibus solet dari salarium magistro: in hac autem non solum magistris, sed et auditoribus; et non modicum, immo maximum, quia beatitudo. *Prov. 8:* Beatus homo qui audit me, dicit Sapientia.

Item, fructus bonitas. Ex auditu enim sequitur fructus optimus, scilicet sapientia. Nihil enim est per quod ita homo possit fieri sapiens sicut per auditum. *Eccli. 6:* Si dilexeris audire, sapiens eris.

Item, meritum humilitatis. Plus enim meretur quis humiliando se ad discendum ab homine quam per se studendo. Exemplum in *Vitis Patrum.* Quidam frater jejunavit per septem hebdomadas orans Deum ut revelaret ei quoddam verbum de Scripturis obscurum. Quod cum non fuisset ei revelatum, posuit se in via ut iret ad quemdam fratrem, ut quaereret ab eo sermonem illum. Ecce obviavit ei angelus dicens: Septem hebdomadae quas jejunasti non meruerunt quod petebas. Nunc autem quia humiliatus es ut pergeres ad fratrem, missus sum indicare sermonem tibi, et indicato sermone recessit. Ex quo patet quod talis humilitas multum meretur apud Deum.

Item, ordinatio divina. Quamvis enim possit quis habere divinam scientiam aliter quam ab homine, tamen ordinavit Deus ut homo pro hoc ad hominem recurrat. Exemplum de Paulo, *Act. 9,* qui post raptum et auditum coelestium arcanorum, missus fuit a Domino (2) ad Ananiam ut edoceretur ab eo. Non fuit etiam voluntas Domini ut angelus apparens loquens Cornelio eum instrueret, sed voluit ut per Petrum evocatum edoceretur. *Act. 10.* Ipsi etiam Apostoli, qui divinitus sunt edocti de doctrina christiana, Domino ordinante, multa didicerunt a beata Virgine, ut dicunt Sancti. Tanto igitur sunt magis reprehensibiles qui divinas negligunt, vel minus laudabiliter audiunt lectiones, quanto per ista et alia multa magis moveri debent ad audiendum libenter.

---

(1) Cod. Vien.: quoniam. — (2) Cod. Vien.: a Deo.

CLI. De reprehensibilibus circa doctores.

Circa quartum notandum quod circa doctores quoad actus eorum est reprehensibilis inordinatus appetitus magisterii. Ascensus enim ad magisterium obligat doctorem ad plura, de quibus opportebit reddere rationem. Ideo dicitur, *Jac. 3:* Nolite plures fieri magistri, fratres mei, scientes quod majus judicium sumitis.

Item, refutatio officii pertinax in eo qui habet sufficientiam: oportebit enim eum reddere rationem de talento abscondito. Gregorius: Secretum quietis diligunt, secessum contemplationis petunt, de quibus, si districte (1) judicentur, ex tantis proculdubio tenentur quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt.

Item, nimia intermissio lectionum, quae multum nocet cordi humano. Cum enim sit aridum, quotidie rigandum est, sicut horti aridi ad fructum proferendum. Ideo dicitur e contrario de magistrorum Magistro, *Luc. 19:* Erat quotidie docens in templo.

Item, circa ea quae docent reprehensibilis est dubietas. Non enim solum erronea vel falsa cavenda sunt in doctrina, sed etiam dubia, secundum Augustinum dicentem: Tene certum, et dimitte incertum. Apostolus, *Tit. 2.:* Tu autem loquere quae decent sanam doctrinam. Dicitur autem sana doctrina quae non potest esse occasio alicujus mali, sicut res sana quae non est occasio alicujus morbi.

Item, inutilitas. Si enim esset multum egestatis, ut dicit Seneca, parce dispensandum esset, ut sufficeret necessariis. Nunc autem quae dementia est supervacua discere, in tanta temporis (2) egestate! Et ideo dimissis curiosis vacandum est utilibus in docendo, exemplo Pauli qui dicit, *Act. 20:* Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam quomodo vobis nihil subtraxerim utilium quominus annunciarem vobis, et docerem vos.

Item, improportionabilitas. Secundum Gregorium enim, secundum capacitatem auditorum formandus est sermo doctorum, exemplo Pauli qui parvulis dabat lac, 1 *Cor. 3;* inter perfectos vero sapientiam loquebatur, *ibid. 2.* Et ideo non sunt alta docenda minus capacibus, sed secundum eorum capacitatem debet doctor comproportionare suam

(1) Cod. Sp.: stricte. — (2) Codd. Sp., Tol. et Grat.: cordis.

doctrinam, juxta illud *Matth. 25:* Unusquisque secundum propriam virtutem.

Item, circa modum docendi est reprehensibile cum quis non sensum Sanctorum sequitur, sed suam in exponendo sequitur voluntatem. Hieronymus *ad Paulinum:* Vitiosissimum genus docendi est depravare Scripturas et ad voluntatem suam Scripturam trahere renitentem.

Item, reprehensibilis est involutio verborum: prudentis enim doctrina facilis est, sicut dicitur *Prov. 14;* et debet doctor involuta explicare clare, non per verba obscura et multiplicationem inutilem verborum sententiam (1) involvere, unde dicitur *Job. 38:* Quis est iste involvens sententias?

Item, reprehensibilis est immoderantia, scilicet defectus mediocritatis. Sunt enim aliqui nimis prolixi, aliqui nimis breves. Contra quod dicit Hieronymus: Nimia prolixitas onerat sensus legentium, et immoderata brevitas praescindit studiosorum desiderium.

Aliqui iterum nimis tardi sunt in pronunciando, aliqui nimis veloces. Contra quod dicit Seneca: Philosophi pronuntiatio sicut et vita debet esse composita. Nihil ordinatum est quod properat et praecipitatur. Æque enim stillare volo (2) quam currere.

Sunt iterum aliqui qui in divisionibus faciendis excedunt; alii nimis eas contemnunt. Contra quos dicit Seneca: Philosophiam in partes, non in frusta dividam: dividi enim eam, non scindi utile est. Nam comprehendere quemadmodum maxima ita minima difficile est. Idem (3) vitii habet nimia quod nulla divisio; similiter confusio est quicquid usque in pulverem sectum est.

Aliqui etiam nimis intendunt verborum ornatui, neglectis sententiis; alii vero e contrario. Contra quod dicit Seneca: Oratio quae veritati dat operam incomposita debet esse et simplex. Et iterum: Non delectent verba nostra, sed prosint; si tamen eloquentia contingere non sollicita potest aut parata, aut parvo constat, (4) adsit, et res pulcherrimas prosequatur.

Sunt iterum aliqui qui sensui suo nimis innituntur in docendo

---

(1) Cod. Vien.: sententias. — (2) Cod. Vien.: aeque stillare eum malo quam.... — (3) Codd. Tol., Sp. et Grat.: Item. — (4) Gallicè: *coûte peu.*

quae a se habent; contra illud *Prov. 3:* Ne innitaris prudentiae tuae. Alii vero nimis alienis, nihil de suo proferentes, contra quod dicit sapiens: (1) Illum eruditorem elige quem magis in suis mireris (2) quam alienis. Nihil magnificum docebit qui a se nihil didicit: falso (3) magistri vocantur auditorum narratores; (4) sic audiendi sunt ut qui recensent rumores.

Inter brevitatem igitur et prolixitatem, inter tarditatem et velocitatem, inter nimias divisiones et nullas, inter nimiam sollicitudinem de ornatu et nullam, inter dicendum de suo ingenio et alieno, (5) si non servetur mediocritas, non est sine reprehensione. (6)

Postremo reprehensibile est in doctore super omnia morum defectus; propter quod dicit Apostolus, *Rom. 2:* Qui alium doces, teipsum non doces. Tanto enim turpiores apparent deformitates morum suorum, quanto lumen scientiae egrediens de ore suo eas (7) de viciniori manifestat.

CLII. De reprehensibilibus circa conditores librorum.

Circa quintum notandum quod nova licet scripta et novi libri sint valde utilia in Ecclesia Dei, tamen ad faciendum hujusmodi nova scripta quae aliis publicentur, non debent exponi nisi pauci. Ad quod reddere nos cautos debent (8) exempla prophetarum, et discipulorum Domini, et aliorum sanctorum. Quamvis enim tanta fuerit multitudo prophetarum, quod sub (9) persecutione Jesabel centum latuerint in una spelunca, 3 *Reg. 18,* de quibus omnibus constat quod verbo prophetaverint, quia aliter non dicerentur prophetae, tamen non scripserunt nisi valde pauci, sicut patet ex libris eorum quos habemus.

Item, de Apostolis qui fuerunt duodecim, et de discipulis septuaginta duobus non scripserunt nisi pauci, quamvis omnes verbo docuisse credantur.

Item, de multitudine sanctorum subsecuta, quorum innumerabiles

---

(1) Codd. Sp. et Grat.: Seneca. — (2) Cod. Vien.: imiteris. — (3) Cod. Vien.: falsoque. — (4) Codd. Sp., Tol. et Grat.: auditores narratores. — (5) Cod. Vien.: vel alieno. — (6) Cod. Grat.: reprehensibilitate. — (7) Codd. Sp. et Tol.: eos. — (8) Cod. Vien :... pauci, quos cautos reddere debent.... — (9) Codd. Sp. et Tol.: et sub.

docuerunt verbo, non habemus libros nisi paucos. (1) Quanta ergo praesumptio quorumdam qui tam audaces sunt ad compilandum novos libros et nova scripta, cum inter tot et tantos tam pauci scripserunt! Dicit Eusebius, *Eccles. Hist. Lib. 6.* sic: Sexagesimum agens Origenes annum aetatis, postquam et usu, et periculis, et laboribus plurimum fiduciae in verbo Dei acceperat, permisisse fertur ea quae ex tempore in oculis (2) disserebat a notariis excipi, non autem unquam dedisse hanc copiam nisi cum id sibi et vitae gravitas, aetatis maturitas et multae experientiae concessit auctoritas.

Praeterea Ecclesia non solum non acceptat multa scripta multorum, sed repellit (3) tanquam apocrypha, immo pro uno errore condemnat totum librum, sicut patet de libro Joachim abbatis pro uno errore circa Trinitatem in generali concilio (4) condemnato.

Insuper res in scriptum redacta non potest ita inficiari vel aliter glossari, sicut verbum transactum. Et ideo illi qui verba vel facta bonorum libenter calumniantur habent majorem occasionem calumniandi, cum inveniunt aliquid in scripto minus laudabile, quia habent per quod possunt hominem tenere quasi per laciniam.

Iterum tot sunt scripta valde laudabilia quod quae fiunt de novo valde de facili contemnuntur, nisi excellant alia valde: nec mirum cum etiam nova scripta Hieronymi ita aliqui contemnerent quod quasi conspuenda ab omnibus judicabant, sicut ipsemet dicit.

Cum ergo scripta nova pro modico contemnentur interdum; vel si non condemnantur, facile calumniam patiantur, vel saltem frequenter contemnantur, quae omnia cedunt in confusionem auctoris, non est prudentis viri esse facilem ad nova scripta scribenda.

Praeterea multi sunt qui licet sciant praedicare competenter, tamen non auderent coram viris magnis praedicare, vel coram magna multitudine; quod si forte hoc facerent aliquando, tamen non auderent nisi raro. Cum ergo scripta quae publicantur venire possint ad omnes majores Ecclesiae, et ad omnes litteratos, et haec usque in

---

(1) Cod. Tol.: paucorum. — (2) Ita codices passim. Intellige *in publico*, seu *ad populum;* siquidem textus graecus habet ἐπὶ τοῦ κοινοῦ (Κεφ. Ας'). — (3) Codd. Vien. et Tol.:... non acceptavit... repulit... — (4) Scil. in Concil. Lateran. 1215.

finem saeculi durare possent, cum quanto timore debet aggredi hujusmodi opera quicumque hoc attentat!

Praeterea ad hujusmodi scriptores pertinet quod sint non solum docti, sed in lege doctissimi. Unde Hieronymus Scribas, qui dicuntur a scribendo, quid sint exprimens: Scribas, inquit in Lege doctissimos.

Item, quod habeant super scientiam (1) Scripturarum Spiritum Dei qui melius docet. Gregorius: Nisi quis Spiritum Dei acceperit, nullatenus verba Dei cognoscit.

Item, quod habeant specialem gratiam in modo dictandi. Sicut enim per Spiritum alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, et sic de aliis multis, 1 *Cor. 12,* ita oportet qui vult scripta compilare quod ad hoc habeat gratiam specialem. Propter quod qui hoc fecerunt dicuntur doctores, quod est nomen artificis, sicut pictores: artificem vero specialem praerogativam oportet habere ad artem suam.

Proinde quia sacros scriptores oportet habere magnam sapientiam et Dei Spiritum, et specialem gratiam in hoc officio, inde est quod Hieronymus librum quem fecit de illis qui de divinis scripserunt intitulavit, *De illustribus viris,* vocans tales viros illustres. Quantae ergo audaciae est horum virorum illustrium officium assumere homini de praedictis tribus ad hoc necessariis conscientiam non habenti!

Amplius viri illustres ad hoc officium exsequendum habuerunt quandoque motivum obedientiae, ut Hieronymus qui ad jussum majorum suorum, scilicet Damasi Papae et episcoporum quorumdam, multa composuit, ut patet ex scriptis suis. Quandoque ad instantiam multorum bonorum, ut magister Petrus Lombardus in *Sententiis* compilandis, ut patet in *Prologo* suo. Quandoque ad magnam necessitatem Ecclesiae, ut Augustinus in compilando libro *De Civitate Dei,* in quo defendit Ecclesiam a paganis et omnibus ejus impugnatoribus, accensus zelo domus Dei defendendae, quae suo tempore a diversis miserabiliter impugnabatur, sicut ipsemet dicit in libro illo. Multi ergo nostris temporibus aggrediuntur istud officium obedientia non jubente, aliorum instantia non incitante, necessitate aliqua non urgente,

---

(1) Codd. Sp. et Tol.: sapientiam.

cum Ecclesia jam abundet in istis. Et ideo contingit Dei judicio interdum quod unde debuerunt consequi honorem confusionem invenerunt. (1)

Deinde (2) sciendum quod multa requiruntur in scriptis boni doctoris. Unum est ut in illis instruatur homo, delectetur et moveatur. Augustinus, *De Doctrina Christiana:* Dixit quidam eloquens, et verum dixit, ita debere docere eloquenter ut instruat, ut delectet, ut flectat; et sicut exponit *postea,* sic instruere debet ut intelligatur, sic delectare ut auditor teneatur, sic flectere ut moveatur.

Aliud est ut sic scribat quod reddat auditorem benevolum, attentum et docilem, et multo magis quam alii auctores qui circa falsa haec faciunt interdum. Augustinus, in *eodem:* Quis audeat dicere ut qui res falsas persuadere conantur noverint auditorem vel benevolum, vel attentum, vel docilem facere: isti vero qui vera persuadent ista non noverint? (3)

Aliud est quoad ea quae scribit quod sint utilia, et recta, et vera. Utilia, quia omnia debent dirigi ad aedificationem geminae charitatis; Augustinus in *eodem:* Quisquis Divinas Scripturas, vel quamlibet partem earum intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non aedificet geminam charitatem Dei et proximi, nondum intellexit. Recta, ut nec favore placendi aliquibus, vel timore displicendi, palpando aliquos, deviet a recto, juxta illud Sapientiae (4) dicentis, *Prov. 8:* Aperientur labia mea ut recta praedicent. Vera, quia Sacra Scriptura dicitur scriptura veritatis, *Dan. 10,* et ideo doctores ejus summe debent curare de veritate; Augustinus: Minus intelligantur et minus placeant: vera tamen sint quae dicuntur. Talis autem scriptor fuit Salomon, de quo dicitur *Eccle. ult.:* Quaesivit verba utilia, quoad primum; et conscripsit sermones rectissimos, quoad secundum; et veritate plenos, quoad tertium.

Aliud est circa docendi modum. Prudentis enim est suppositis quibusdam fidei principiis per rationem procedere ad alia, tanquam habentis Rationale judicii in pectore. *Exod. 28.*

---

(1) Cod. Vien.: incurrunt. — (2) Cod. Vien.: Demum. — (3) Cod. Vien.: noverunt. — (4) Codd. Vien. et Sp.: Sapientis.

Item, quod ratione (1) ostendit debet exemplo declarare, maxime in theologicis, ubi multa propter eorum spiritualitatem non intelliguntur nisi declarentur exemplo sensibili. (2) Sapiens: Lucidissimum edocendi genus est exemplorum subditio.

Item, quia ratio humana frequenter fallitur, et exempla etiam fallunt, expedit omnia quae dicuntur auctoritate Divinae Scripturae quae major est omni ratione, ut dicit Augustinus, confirmari. Hieronymus: Non mihi credas, nisi quod dixero confirmavero auctoritate Veteris aut Novi Testamenti. Et hic est triplex funiculus qui difficile rumpitur, quia cum sententia quaecumque ostenditur per rationem, et exemplo declaratur, et auctoritate confirmatur, non de facili infirmatur.

Aliud est circa expositionem Scripturarum, ut sic sensum auctorum sequantur quod sciant discernere ubi litteralis veritas, et ubi sint sola mysteria requirenda. Insuper cum ad ipsum studere pertineat, in hoc cavendum est ne facile alius sensus quaeratur quam auctoris. Quamvis enim aliae expositiones quandoque ducant ad charitatem, quae est finis Scripturarum; tamen, sicut ille qui per campum vadit ad finem viae, reducendus est ad viam, sicut dicit Augustinus, ne consuetudine deviandi quandoque in transversum ire cogatur, ita (3) et hic. Et subdit causam dicens: Titubabit fides, si Divinarum Scripturarum vacillet auctoritas.

Cavendum est etiam ne in Scriptura litteralis veritas vel (4) mysteria semper requirantur. Sunt enim quaedam Scripturae in quibus veritas litteralis inveniri non potest, (5) sicut dicunt expositores super templum Ezechielis; aliae in quibus nulla mysteria sunt, sed sola historia quae contexitur cum alia historia quae resonat mysteria, sicut cavillae (6) et ligna quae non resonant, sed junguntur cum chorda quae resonat in cithara, sicut dici Augustinus.

---

(1) Cod. Grat.: rationale. — (2) Codd. Tol. et Sp.: Seneca. — (3) Cod. Grat.:... cogatur. Et hic subdit... — (4) Cod. Sp.:... veritas super, vel... — (5) Quia scil. beati Humberti tempore « litteralis veritas » dicebatur quam verba marialiter sumpta prae se ferrent, ubi v. gr. Christus diceretur Leo, negabatur dari « veritas litteralis. » « Veritas litteralis » hodie dicitur sensus quem Deus exprimere immediate vult sive propriis sive metaphoricis verbis. — (6) Cod. Sp.: cavilla.

Cavendum est iterum ne obscuritas inveniatur in verbis expositoriis. Ipsorum est enim proprie elucidare tenebrosas sententias Scripturarum. Gregorius: Aperta dicta exponentium fecerunt nobis conspicuas esse sententias antiquorum.

Patet ex iis quod in doctoribus scripta conficientibus requiritur quod talem gratiam habeant in scribendo quod instruant, quod delectent, quod moveant, quod reddant lectores scriptorum suorum benevolos, attentos et dociles; quod scribant utilia, recta et vera; quod abundent rationibus, exemplis et auctoritatibus; quod in expositione Scripturarum sensum auctorum sequantur; quod sciant discernere ubi sit litteralis veritas tantum, et ubi sint sola mysteria requirenda.

Insuper cum ad ipsos studere pertineat, et scripto doceant, multa quae dicta sunt superius reprehensibilia circa studium et circa doctores, erunt in eis (1) reprehensibilia, nisi caveantur diligenter. Ex quibus omnibus, scilicet praesentibus et praedictis circa studium et doctores, patet quot et quae possunt reprehensibilia in hujusmodi scriptoribus inveniri.

CLIII. De reprehensibilibus circa disputationem.

Circa sextum notandum quod triplex est disputatio: scilicet scholastica, ecclesiastica, et extraordinaria.

Scholastica est quae in scholis magistrorum fit, ad indagationem veritatis.

Proveniunt autem ex hujusmodi exercitio multae utilitates. Propter quod a theologis non sunt negligendae hujusmodi disputationes, praecipue cum Paulus dederit magnum exemplum disputandi frequenter, *Act. 19.*, ubi dicitur: Discedens, scilicet a quibusdam obstinatis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. Hoc autem factum est per biennium. Super hoc verbo dicit Magister in *Historiis* (2) quod conduxerat hospitium ab illo tyranno, in quo docebat discipulos, tanquam scholam regens.

Verum circa hujusmodi disputationes multa interdum accidunt reprehensibilia.

---

(1) Codd. Tol., Grat. et Vien.:... ad ipsum.... doceat.... in eo.... — (2) Sc. Petrus Comestor.

Unum est nimia audacia, quando scilicet aliqui minus sufficientes aperiunt os suum in talibus disputationibus. Contra quod Hieronymus dicit super *Eccli. 8:* Disciplina Pythagoricorum est per quinquennium tacere, et postea eruditos loqui.

Aliud est taciturnitas nimia, quando scilicet aliqui sufficientes ex nimia pusillanimitate, vel nescio qua humilitate, vel pigritia providendi, vel timore alicujus confusionis, sive aliis de causis, nunquam opponunt vel respondent in scholis. Expedit enim ut ibi exercitentur qui habent reddere rationem de ea quae in eis est fide et spe, sicut milites in torneamentis, ut melius sciant pugnare tempore suo. Et ideo sicut audax loquacitas in iis est reprehensibilis, ita et taciturnitas nimia, quia sicut est tempus tacendi, ita et loquendi; et ideo in praecedenti auctoritate notabiliter dicitur: Et postea eruditos loqui ut scilicet non semper taceant, sed tempore opportuno loquantur.

Aliud est ostentatio. Cum enim viri sancti et magnae litteraturae erubescant in scholis nominare philosophum aliquem, sunt e contrario aliqui qui modo Platonem, modo Aristotelem, modo Algazilem, modo Averrohim, modo Alpharabium, (1) modo alios ignotos philosophos ad sui quamdam ostentationem nominare non cessant. Augustinus: Quia adhuc oscitamus crapulam hesternam, in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur. Si quando autem ad disputationem venitur, Platonico nomine ora concrepantia (2) quam pectus Deo vero plenum magis habere gestimus.

Aliud est appetitus vincendi. Sunt enim aliqui qui ad modum puerilem plus intendunt vincere disputando quam veritatem reperire. Contra quod dicit Augustinus, *De Doctrina Christiana:* Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum quae in Sacris Litteris sunt penetranda plurimum valet: tamen (3) ibi cavenda est rixarum libido, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium.

Aliud est pertinacia quae est quando aliquis postquam incoepit adhaerere alicui sententiae, sive vera sive falsa sit, nunquam avelli

---

(1) De his cf., si lubet, Ad. Franck: *Dictionn. des Sciences Philos.* — (2) Codices plerumque habent: « compitantia. » Cod. Grat.: consummantia. — (3) Cod. Vien.: tantum.

potest ab ea. Contra quod dicit Ambrosius, *De officiis:* Absit pertinax contentio, quae magis excitare inanes quam aliquid utilitatis afferre solet.

Aliud est perturbatio quae apparet in modo loquendi, et in gestibus inordinatis, quae specialiter multum dedecent virum religiosum. Contra quod dicit idem: Sit disputatio sine ira.

Aliud est multitudo verborum, praecipue cum in vanum proferuntur et ad rem non faciunt. Quod reprehendens Salomon dicit, *Eccle. 6:* Verba sunt plurima multam in disputando vanitatem habentia.

Aliud est nimia inquisitio rei, cum plene non possit sciri veritas de multis in praesenti. *Eccle. 3:* Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatur Dominus ab initio usque in finem.

Aliud est inutilitas disputationis, quod accidit cum de materia minus utili disputatur, sicut fecit Salomon qui disputavit super lignis a cedro Libani usque ad hyssopum quae egreditur de pariete, sicut dicitur 3 *Reg. 3;* vel cum de materia etiam utili pauci articuli inquiruntur, quia magis communiter est utile articulorum plurium scire veritatem quam circa unum nimis implicari. Contra quod dicitur, *Act. 24,* de Paulo: Disputante de justitia, castitate et futuro juditio. Ecce materia utilis et multiplex.

Haec et quaedam alia reprehensibilia circa disputationes scholasticas reperiuntur. A quibus est cavendum sollicite, quamvis disputationes in se sint laudandae.

Ecclesiastica disputatio est quae fit pro fide defendenda cum infidelibus, de qua scriptum est, *Act. 6:* Surrexerunt quidam de Synagoga disputantes cum Stephano.

Porro circa hoc est reprehensibile quod quidam congregant disputationes innumerabiles de rebus multum (1) subtilibus, et parum utilibus; contra vero inimicos fidei, cum occurrit necessitas, nesciunt aliquid dicere. Non fuit talis Paulus qui disputabat cum Graecis, *Act. 9;*

---

(1) Cod. Tol.: multis.

cum Judaeis, *Act. 18;* cum colentibus, id est conversis de gentibus ad Judaismum, *Act. 19.*

Item, modo in synagogis, (1) *Act. 17;* modo in foro, *ibid.*

Item, non solum in die, sed etiam in nocte, *Act. 20.* Ita debent (2) quicumque sunt fidei zelatores quaerere et congregare scripta utilia contra infideles inter quos habitant, sive Judaeos, sive Sarracenos, sive haereticos, ut possint tempore opportuno contra eos pro fidei defensione laudabiliter, si necesse foret, disputare. *Tit. 1*: Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut possit (3) exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.

Verum licet Paulus et Stephanus et alii primitivi sancti hujusmodi disputationes inierunt pro fidei fervore, frequenter tamen modernis hominibus non est facile hoc faciendum. Illi enim habuerunt Spiritum Dei loquentem in se, cui non poterant resistere adversarii. *Luc. 21.*

Item, virtutes in se habebant lucentes, unde et Stephanus visus est tanquam habens vultum angelicum, cum disputaret contra Judaeos, *Act. 6;* et haec solent magis movere duricordes quam verba.

Item, habebant gratiam faciendi miracula, per quod (4) flectebantur qui alias vinci non poterant. *Act. 5.* Non autem ita est nunc, et ideo non nisi cum magna discretione et cautela est iniendus hujusmodi conflictus. Sunt enim aliqui infideles adeo obstinati quod nulla spes habetur de eorum conversione. Et cum istis non est disputandum, ne projiciantur margaritae ante porcos: immo potius, si sit inita disputatio, est dimittenda, exemplo Pauli de quo dicitur, *Act. 19:* Introgressus Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses disputans et suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos. (5).

Item, haeretici et alii infideles habent multas astutias, quas qui non noverint (6) nunquam possunt eos comprehendere, quantum-

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: synagoga. — (2) Cod. Vien.: Item deberent... — (3) Cod. Tol.: potens sit, — (4) Cod. Tol.: per quae. — (5) Cod. Tol.: addit: disputans in schola tyranni cujusdam. — (6) Cod. Vien.: noverunt.

cumqu sint litterati, sed potius confunduntur ab eis; et ideo nullus debet (1) inire disputationem cum eis, nisi sciat (2) bene positiones eorum, et rationes quas habent ad nostras positiones, et cautelas eorum, et sciat (3) se habere prudenter in omnibus cum eis, declinando ut assumat (4) sibi difficiliora, ut sunt probationes, et quod ex verbis eorum sciat (5) eis concludere, et similia. Alioquin non sequitur (6) fructus, sed confusio, Si vero talis sit qui disputat, sequitur interdum fructus. Exemplum *Act. 18.* Judaeus quidam nomine Apollo, Alexandrinus genere, vir eloquens devenit Ephesum. Hic erat edoctus viam Domini et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quae sunt de Iesu. Et *post:* Qui cum venisset in Achaiam contulit multum his qui credebant. Vehementer enim devincebat Judaeos, ostendens per Scripturas Jesum esse Christum.

Item, hujusmodi homines summe intendunt, quando disputant cum catholicis coram hominibus, ad apparentem victoriam. Et ideo cum circa ea quae sunt fidei non possit interdum satisfieri plene hujusmodi hominibus, (7) nullatenus est disputandum cum eis coram infirmis. Et ideo jura tam civilia quam canonica volunt quod non disputetur de fide publice turbis coadunatis. *De fide cap.* L. *Nemo;* et XXXIII, q. II. *Cum quibus.* Quod intelligendum est ubi instat periculum praedictum: nam si indubitanter crederetur, propter excellentem sufficientiam catholici et magnam insufficientiam infidelis, quod esset fructus, posset tolerari.

Item, multum nocet in his disputationibus cum catholicus minus se religiose habet, sive impatienter, sive iracunde, sive superbe, sive modis aliis indisciplinate se gerendo. Ex hoc enim et infideles et adstantes alii reputant eum minus bonum virum. Propter quod cavendum dicitur (8) 2 *Tim.* 2: Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando det illis Deus poenitentiam

---

(1) Cod. Vien.: non debent. — (2) Cod. Vien.: nisi sciant. — (3) Cod. Vien.: sciat. — (4) Cod. Vien.: assumant. — (5) Cod. Vien.: sciant. — (6) Codd. Tol. et Grat.: sequi non potest. — (7) Ita ut nempe habeatur evidentia mysteriorum *in se ipsis.* — (8) Cod. Vien.: Propter quod cavendum est. Dicitur....

ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a laqueis diaboli. Sic legitur de beato Dominico quod propter patientiam et mansuetudinem quam vidit haereticus in eo, conversus est, quod forte nunquam per verba fecisset.

Item, inveniuntur (1) alii qui in disputando cum infidelibus prosiliunt in verba maledictionis, et contemptibilia, et exasperationis interdum, cum tamen Michael altercans cum diabolo de corpore Moysi, non sit ausus inferre blasphemiam, (2) sicut dicitur in epistola *Judae. 1.* Quod valde cavendum est; sed potius cum compassione loquendum est eis, ut ex hoc non irritentur ad malum, sed potius provocentur ad bonum, sicut invenitur in *Vitis Patrum,* ubi dicitur quod cum quidam monachus transiens juxta quemdam paganum incoepit ei dicere quaedam verba contumeliosa, quibus provocatus insurgens in eum, interfecit eum. Alio vero monacho transeunte, et dicente ei verba pia et humilia, commotus corde dixit: Quid invenisti in me quod me ita dulciter alloqueris? Qui conversus (3) est ad fidem.

Item, in hujusmodi disputationibus confidentia tota ponenda est in Domino, non in aliquo alio quod homo habeat in se. Et ideo recurrendum est ad eum (4) in orationibus, et jejuniis, (5) et aliis humiliationibus, sicut faciebant antiquitus in bellis ingruentibus. Nisi enim Dei virtus operetur, modicae efficaciae sunt verba ad convincendum infideles. Exemplum in *Eccles. Historia,* ubi dicitur quod cum in concilio Nicaeno convenissent philosophi, et unus ex eis verbis superari non posset, unus catholicus vir magnae sanctitatis, sed (6) simplicissimus, vix obtenta licentia disputandi cum eo, quia timebatur de ejus simplicitate, dixit: Audi, philosophe: Deus unus est; et sic de caeteris (7) articulis. Ad quae stupefactus philosophus respondit: Ita est, et aliter esse non potest. Et conversus ad socios dixit: Quamdiu verba audivi, verba reddidi; sed ubi virtutem Dei sensi, resistere non potui; et hortans eos ad sequendum se, factus est Christianus.

---

(1) Cod. Tol.: aliqui. — (2) Cod. Tol.: dicere verba blasphemiae; - cod. Grat.: inferre verba blasphemiae. — (3) Cod. Vien.:.. alloqueris? Conversus est.... — (4) Codd. Sp. et Tol.: ad Deum. — (5) Cod. Vien.: in jejuniis. — (6) Codd. Sp. et Tol.: et. — (7) Cod. Tol.: de singulis.

Sic igitur patet quod hujusmodi disputatio non est subeunda cum obstinatis, nec cum aliquo, nisi valde exercitato in istis; nec coram infirmis, nec malo modo est prosequenda, nec nisi cum compassione et in confidentia virtutis Dei, unde (1) consurgit discretio in hoc servanda, ut videatur cum quo, et a quo, et coram quibus, et quomodo, et ex quo affectu, et in qua confidentia fiat.

Extraordinaria disputatio est quae oritur interdum incidenter occasione aliqua, ut solet fieri in consiliis dandis, vel in verbis contingentibus, et similibus, sicut discipuli in via constituti disputaverunt quis eorum esset major. *Matth. 18.*

Solent autem circa hujusmodi disputationes multa reprehensibilia fieri et reperiri. Sunt enim aliqui ad disputationes tales adeo proni, quod statim ut oritur sermo qualiscumque, incipiunt disputare. Contra quod dicit Augustinus: Non simus in disputationibus proni, in orationibus pigri.

Item, sunt aliqui qui statim dum vident aliquos disputantes se immiscent, sicut canes qui videntes alios canes rixantes, statim juvant unum. Quod est stultitiae signum. *Prov. 18:* Labia stulti miscent se rixis. Quo contra prudentis est caute hoc declinare. 2 *Tim. 2:* Contentiones devita.

Item, sunt aliqui qui non solum se immiscent, sed totam disputationem aliis auferentes, sibi assumunt. *Prov. 26:* Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, et commiscetur rixae alterius. Haec est enim natura canis apprehensi per aurem quod si rixatur cum aliis, statim dimittit alias rixas, et insurgit in apprehendentem aurem suam, et remanet tota rixa inter eos solos.

Item, sunt alii qui adeo se clamose habent in disputando, quod non videntur esse de discipulis illius de quo scriptum est, *Matth. 12:* Non contendet, neque clamabit, neque audietur in plateis vox ejus; sed potius de illis qui in Passione Domini clamantes, cum legitur Passio, repraesentantur, Domino submisse loquente. Contra quod dicitur *Eccle. 9:* Verba sapientium audiuntur in silentio. Pertinet enim ad virum sapientem non clamose, sed cum moderato silentio loqui.

---

(1) Cod. Tol.: ex quibus.

Item, sunt aliqui qui in multis, quamvis inutilibus suscitant disputationes. Disputant, ut dicitur in proverbium, de lana caprina. (1) Contra quod dicitur *Tit. 3*: Quaestiones stultas devita. *Glossa:* Ubi non est salus, nec scientia utilis.

Item, sunt alii qui de rebus ad se non pertinentibus tota die disputant, ut de guerris principum et hujusmodi, quod est reprehensibile, maxime in religiosis. Dicitur quod cum esset guerra inter regem Angliae et regem Franciae Philippum, declinavit Philippus rex ad quamdam abbatiam in Normannia, ubi quidam monachi Normanni faventes regi Angliae contra quosdam gallicos monachos adhaerentes regi Franciae frequenter contendebant. Gallici vero reputantes quod propter hoc male tractarentur a Normannis, accesserunt ad regem conquerentes super hoc de Normannis. Quibus auditis, rex eos vituperans et confundens dixit: Miseri monachi! Eatis legere Psalterium. Quid habetis vos intromittere de negotiis quae sunt inter nos reges? Bonum verbum et laude dignum, et concordans Spiritui Sancto qui dicit, *Eccli. 11:* De ea re quae te non molestat ne certaveris.

Item, cavendum est in hujusmodi disputationibus ne disputetur cum quolibet. Deferendum enim est magnis viris ne cum eis sic contendatur, quia reputant sibi ad contemptum. *Eccli. 8:* Ne contendas cum homine potente. Et iterum: Ne contendas cum homine locuplete. Non est sic contendendum cum linguatis vel stultis, quia primi propter copiam verborum quam habent, nunquam permittunt se vinci; secundi non intelligunt rationem. De primis, *Eccli. 8:* Non litiges cum homine linguato; de secundis, *Prov. 29:* Vir sapiens, si contendat cum stulto, sive irascatur sive rideat, non inveniet requiem. Propter quod dicitur quod stultus nunquam rationem intelligens, semper facit iterum laborare secum contendentes.

Sunt iterum aliqui malitiosi qui intendunt hominem capere in

---

(1) Codd. hic remittunt ad *Prov. 5.;* quod evenit ex lectione mala, siquidem nihil hujusmodi occurrit in illo capitulo, neque alibi in Bibliis. Sed potius V. Humbertus scripsit quod in textu habemus, referens proverbium apud Italos vel hodie usitatum: *Disputare di lana caprina.*

sermone, vel confundere ostendendo ignorantiam ejus, vel ad irreligiositatem ipsum provocando; et ideo cavendum est de contendendo cum istis. *Prov. 24:* Ne contendas cum pessimis.

Sic igitur patet quod reprehensibile est in hujusmodi disputationibus emergentibus, cum quis nimis pronus est ad ista, vel se nimis cito immiscet, vel sibi totum assumit, vel clamose se gerit, vel de rebus inutilibus, vel ad se non pertinentibus disputat, vel non discernens personas cum quibus contendit.

Patet ex jam dictis quae sint reprehensibilia circa studium, circa libros, circa lectores, circa librorum confectores, circa disputatores: quae tanto magis cavenda sunt propter religionem et virtutem, quanto et ipsa scientia, sicut praeostensum est, postponenda est virtuti.

Restat prosequi de quinto notabili quod elicitur ex isto mandato: « Codices certa hora, » etc. Quod est circa recipiendos, quos convenit esse tales quod ea quae sunt in codicibus intelligant competenter, cum in eis quotidie legere debeant, secundum istud mandatum.

CLIV. De cautela circa recipiendos.

Sciendum igitur quod regulariter cavendum est ne personae minus sufficientes in scientia recipiantur in ordine Fratrum Praedicatorum. Cum enim fit contrarium, contingit interdum quod hujusmodi personae graves tentationes incurrant, cum vident se non posse facere quod socii sui faciunt, sive in praedicando, sive in consulendo, et similibus. Propter quod fuit prohibitum in Lege, *Deut. 22,* ne aretur in bove et asino; quia asinus non potest facere propter debilitatem quae facit bos, et ideo in tali societate gravaretur.

Item, sequitur ex hoc periculum non modicum animarum, quia oportet interdum tales exponi ex quadam necessitate ad ea quae alii faciunt circa (1) animarum salutem: et ideo cum sint caeci et caecos ducunt, ambo in foveam cadunt, secundum istos versus:

Cum caecus caecum concertat ducere secum
In foveam ductor, deinde cadet ille secutor. (2)

---

(1) Cod. Tol.: contra. — (2) Versus isti desiderantur in cod. Grat.

Iterum in Evangelio, *Luc. 6:* Numquid potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?

Item, sequitur ordinis contemptus. Sicut enim propter personas venerabiles ordo veneratur, ita propter contemptibiles contemnitur, sicut et Goliath contemnebat Israelitas vocans eos phalangas. 1 *Reg. 17.*

Item, multi magni viri propter hoc resiliunt a proposito veniendi ad ordinem. Sicut enim non propter locum gentem elegit (1) Dominus, sed propter gentem locum, sicut dicitur 2 *Mach. 5;* ita viri sapientes non tantum propter ordinem trahuntur ad ingressum quantum propter personas authenticas (2) in ordine existentes.

Item, ex hoc sequitur ruina ordinis. Sicut enim subtractis lapidibus grandibus super quos domus est fundata, si non sustineretur (3) nisi arena, non posset domus diu durare; ita cum viris magnis qui ordinem fundaverunt succedunt personae modici valoris, non potest esse quin immineat ruina, sicut dicitur de domo supra arenam fundata. *Matth. 7.*

Item, sicut in aedifficio aliquae trabes fortes positae inter debiles fortificant eas, ita viri magni sunt ad robur infirmorum, juxta illud *Rom. 15:* Nos firmiores debemus aliorum infirmitatem portare. Fortibus igitur subtractis, quid restat nisi formido de debilium confractione, ut impleatur illud *Ps. 88:* Posuisti firmamentum ejus formidinem.

Item, ex hoc datur audacia major hostibus, sicut in castro obsesso, quando non sunt intus nisi personae viles. Unde dixit Sanaballac hostis Judaeorum, *Nehem. 4,* quando volebant Judaei civitatem munire: Quid faciunt Judaei imbecilles?

Sic igitur patet quod ex receptione personarum insufficientium sequitur hoc, scilicet (4) earum tentatio, animarum periculum, contemptus ordinis, bonorum fugatio, ruina ordinis, infirmorum confractio, hostium audacia.

Praeterea illi qui assumuntur ad bellum solent esse electi, sicut

---

(1) Cod. Vien.: eligit. — (2) Scil. « auctoritatis cui credi debet » Ita Joan. Jan. *Cathol.* — (3) Cod. Vien.: substitueretur. — (4) Cod. Vien.: sequuntur scil. earum....

patet 1 *Reg. 13.* Similiter illi qui assumuntur ad omnia officia in quibus oportet eos multis satisfacere, sicut patet, *Exod. 18,* de electis de consilio Jethro ad satisfaciendum populo. Similiter illi qui assumuntur ad magna negotia, ut ambasiatores solemnes. Propter quod dicit Dominus de Paulo, *Act. 9:* Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram regibus, et gentibus, et filiis Jsrael. Illos vero qui assumuntur ad statum Praedicatorum oportet pugnare contra diabolum, et contra totum posse suum, et multis confluentibus ad se respondere, et maxima negotia, scilicet animarum, peragere.

Propter haec igitur, et propter praedicta mala cavenda, magna debet (1) esse diligentia in recipiendis, ne recipiantur insufficientes.

Sed sciendum quod hoc plus et minus oportet observare pro tempore, pro loco, et pro casu. Pro tempore, quia sicut in fundatione Ecclesiae Dominus dedit viros magnos, scilicet Apostolos; ita in fundatione ordinum (2) a principio solet inspirare viris magnis ut ad eorum fundationem intrent hujusmodi homines, quales post lapsum temporis non ingrediuntur. Et ideo nisi reciperentur minus sufficientes, nulli reciperentur.

Item, pro loco, quia aliquae sunt religiones quae non abundant in personis multum sufficientibus, et ideo oportet in illis minus sufficientes recipere interdum.

Item, pro casu, (3) quia interdum aliquae personae magni exempli vel magnae utilitatis pro aliquibus officiis ordinis, quae non indigent litteratura, ut est procuratio, cantoria (4) et similia, sunt recipiendae, dummodo bona spes habeatur de eorum bonitate et industria naturali.

Denique notandum quod ubi est tantus defectus quod non inveniuntur aliqui sufficientes qui (5) intrent ordinem, expedit aliquos juvenes de quibus speratur quod possint, si instruantur, bene proficere, recipere interdum, et curam apponere circa corum instructio-

---

(1) Cod. Vien.: magis debet.... — (2) Cod. Vien.: ita in fundatione ecclesiae vel ordinis. — (3) Cod. Vien :.... recipere. Item, interdum pro casu. — (4) Cod. Sp.: causatoria. — (5) Codd. Tol. et Grat.: non inveniuntur sufficientes personae quae....

nem diligentem, ut ipse ordo personas bonas (1) sibi faciat quas mundus mittere cessat.

Hujus exemplum dedit Dominus qui in fundatione humani generis primos parentes fecit perfectos aetate et scientia; sed postmodum oportebat ut ipsi et successores eorum laborarent circa filios, ad perducendos eos ad perfectum.

Sic etiam fecit Christus in principio Ecclesiae dans viros magnos Ecclesiae, quos ipsemet perfecit scientia et virtutibus; sed postmodum oportuit quod Ecclesia magnam curam apponeret ad habendum eorum successores similes.

Sic etiam faciunt aedificantes: non enim expectant semper quod apportentur eis lapides expoliti et ligna levigata, sed hujusmodi cum ruditate delata elaborant, ut faciant apta operi suo.

Magnates etiam non semper emunt palafredos edoctos ad ambulandum; (2) sed interdum pullos quos cum diligentia faciunt edoceri, ut sint apti ad suum propositum.

Filii etiam hujus saeculi nonne maximam curam apponunt circa filios ut in scientia proficiant, et fiant aliquid magnum in saeculo?

Beatus quoque Benedictus ordinavit quod reciperentur in ordine suo pueri oblati a parentibus; et ita faciunt modo monachi, et cum multa cura et labore promovent eos ad sciendum officium divinum. Quis autem dubitet quin utilius esset si scientes officium instruerentur in iis per quae legem Dei possent addiscere?

Ex quibus omnibus apparet quod laudabile est quod ordo interdum in aliquibus nationibus curam apponat ad aliquos dociles juvenes in scientia promovendos, praecipue cum probatum sit experimento quod ex hoc speretur fructus magnus. Hujusmodi enim quanto puriores habent animas, (3) tanto facilius proficiunt, sicut tres pueri de quibus habetur *Dan.* 1. (4)

---

(1) Cod. Tol.: personas novas. — (2) Hic agitur de equis « *dressés à aller l'amble.* » Cf. Joannes Jan. et Cangius ad voc. *equus, palafredus,* etc. — (3) Cod. Vien.: animos. — (4) Inde patet hallucinari valde qui *scholas apostolicas* hacce nostra aetate inventas putant. Hic notatum volo 1° Pueros, juxta Humbertum, non admittendos nisi in gravi penuria; 2° De omnibus ubique timendum esse

CLV. Quomodo mandatum de codicibus petendis sit servandum in ordine nostro.

Postremo circa hoc mandatum quaeritur quomodo servetur in ordine nostro; et si non servetur, cum qua conscientia potest omitti.

Respondeo: Intentio hujus mandati est, sicut supra dictum est, quod studeatur. Propter quod dicitur singulis diebus certa hora codices esse petendos sed sic moderate: quod propter hoc ab officio divino, vel aliis agendis regulariter non retrahantur studentes; et ideo dicitur: « Extra horam qui petierit non accipiat. »

Praedicatores vero oportet plus studio vacare quam alios religiosos. Et ideo Patres primitivi eligendo regulam sancti (1) Augustini circa articulum studii (2) majorem libertatem dederunt, non solum communes libros concedendo, sed aliquos etiam speciales ad usus singulorum deputando, et horas ad studendum ampliando. (3) Providerunt tamen per constitutiones ne hac occasione divinum officium, vel alia agenda dimitterentur. Et ideo mandatum quantum ad substantiam servamus etiam melius quam alii; quantum vero ad modum non, et in hoc potuerunt et possunt Patres ordinis et Capitula dispensare ex causa rationabili, praecipue cum iste modus melior sit illo, nec reputatur rem non servare qui in melius commutat.

Sequitur: **Vestimenta vero et calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant sub quorum custodia sunt quae poscuntur.**

Sicut praedictum est, ministri necessitatum in distributione so-

---

quod alias notavit idem Beatus de Monachis Nigris: « Apud Monachos Nigros multi sunt qui intraverunt pueri; et quia non profecerunt intelligentia, quia non sunt a suis majoribus instructi sufficienter, non intelligunt beneficium vocationis suae ad religionem, et ideo non sunt super hoc Deo grati; nec finem ad quem vocati sunt intelligunt, et ideo non faciunt quae pertinent ad hunc finem; nec praerogativam status ad quem vocati sunt: et ideo non ambulant digne in ea vocatione. » *De modo prompte cudendi sermones,* XVI. — (1) Codd. Vien. et Sp.: scilicet. — (2) Codd. Vien. et Grat.: studendi. — (3) Codd. Tol. et Sp.: applicando.

lent errare dupliciter, scilicet quando hora indebita tradunt non tradenda, (1) contra quod factum est praecedens mandatum, sed circa specialem materiam; vel quando differunt tradere tradenda, contra quod est hoc mandatum in speciali materia (2) circa quam frequentius erratur, scilicet vestimenta et calceamenta.

Eliciuntur autem tria ex hoc mandato. Primum est quod ministri cavere debent ne protrahant moram in eis quae tradenda sunt: propter quod dicit: « dare non differant; » secundum est quod hoc restringendum est ad necessaria tantum, quia alia nec peti debent, nec tradi: ideo dicit: « quando fuerint indigentibus necessaria; » tertium est quoddam notabile circa horum custodiam, cum dicit: « sub quorum custodia sunt quae poscuntur. »

Circa primum notandum est quod ad officiales tria pertinent, scilicet ut (3) bene faciant sua officia.

Primum est ut ea quae faciunt faciant diligenter, propter quod dictum est supra: « Omnia autem opera vestra in unum fiant majori studio et frequentiori alacritate, quam si vobis singuli propria faceretis. »

Aliud est quod serviant sine murmure, et ideo dictum est: « sine murmure serviant fratribus suis. »

Aliud est quod tradant tradenda: de quo hic.

CLVI. De necessariis sine mora ministrandis.

Et sciendum quod ille qui protrahit moram in dando danda ante vulnerat hominem quam velit ei benefacere. Hujusmodi enim protractio multum solet hominem affligere. Seneca: Onerosum verbum et demisso vultu dicendum Rogo, et nihil aeque amarum est quam diu pendere. Æquiori animo quidam magis ferunt spem suam praescindi quam trahi. Contra quod *Eccli. 4:* Cor inopis ne afflixeris, et ne protrahas datum angustianti.

Item, talis et beneficium facit, et gratiam non habet de eo. Seneca: Errat si quis responsurum sibi sperat quem dilatione lassavit, expectatione torsit. Et e contra adauget beneficium qui cito confert.

---

(1) Ita codd. Vide supra, pag. 418. — (2) Cod. Vien.:... in speciali, cum materia.... — (3) Cod. Vien.:... tria pertinent ut....

Unde idem: Cum homini probo os ad rogandum suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, munus suum multiplicat.

Item, sicut dicit Seneca, proprium est libenter facientis cito facere; et inde relinquitur quod qui tarde facit non facit animo libenti: et ideo minuit apud Dominum meritum suum. Quia dicit Gregorius: Cor, non substantiam Deus pensat; nec perpendit quid in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur.

Non debet ergo Dei servus esse morosus in tradendis necessariis fratribus; et hoc propter fratrem, ne eum affligat; propter seipsum, (1) ne servitii sui gratiam amittat; propter Deum, ne apud Deum minus meritum habeat. Propter quod bene dicitur, *Prov. 3:* Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare.

CLVII. De superfluitate cavenda in vestibus.

Circa secundum notandum quod licet circa omnia cavenda sit superfluitas viris religiosis, specialiter tamen circa vestimenta et calciamenta. Et ideo observatur circa eos ut, sicut Deus omnia disposuit in mensura, numero et pondere, ita et ipsi hoc ordinent circa ista.

Taxant enim mensuram quando tradunt quam brevis vel longa debeat esse vestis, vel sotulares; numerum quando in certo numero tunicae vel alia conceduntur; pondus, quando pretium ultra quod non debet panni valor ascendere constituitur.

Item, propter hoc observant ut cum novum aliquid datur, vetus reddatur, quod nullatenus est omittendum, ne forte aliqua superfluitas congregetur, et ut per ostensionem veterum judicari possit utrum novis indigeant, et ut in aliquos usus utiles expendatur. (2)

Narravit magister Jordanus aliquando me audiente quod cum duo religiosi familiares valde in Deo (3) condixissent sibi quod, si possibile foret eis, qui primus moreretur rediret ad alterum et diceret ei de statu suo, contigit unum praemortuum redire ad alterum. Videbatur autem viventi quod ille mortuus in claritate magna esset

---

(1) Codd. Tol. et Sp.: propter servitium. — (2) Cod. Vien.: expendantur. — (3) Codd. Sp. et Vien.: ... familiares valde condixissent...

a cingulo (1) supra, et inferius in magna obscuritate. Et cum quaereret a defuncto quid hoc esset, quia credebatur continens fuisse: Non est, inquit, propter hoc, quia virginitatem servavi Dei gratia; (2) sed alia die, (3) quando fuerunt mihi datae caligae novae, tradidi oblivioni (4) reddere veteres, et ideo punior in tibiis. Sed, obsecro, vadas ad lectum meum, et invenies eas in tali loco, et redde eas. Et sic disparuit. Proinde cavendum est cuilibet ne in hoc sit negligens; sed timor Dei qui nihil negligit, sicut dicitur *Eccle. 7*, eum reddat sollicitum circa ista.

Item, propter hoc observatur apud eos quod vetera repetiantur et reparentur, sicut et beatus Franciscus ordinavit inter suos. Exemplum in *Vitis Patrum*, ubi dicitur quod quidam frater venit ad locum quemdam qui dicitur Cellia coram abbate Isaac, habens modicum cucullum, et insequebatur eum abbas dicens: Hic in habitaculo monachorum es; (5) tu autem saecularis es, et non poteris hic esse. Dicebat autem abbas fratribus: Patres nostri et abbates, abbas Pambo vetustis multis partibus resarcitis vestibus utebatur: (6) nunc autem pretiosis utimini. Discedite hinc! Desolari fecistis locum hunc!

Ne ergo circa vestimenta in aliquo excedatur, et taxanda sunt, et reddenda vetera cum nova dantur, repetienda vel resarcienda sunt, cum potest fieri, diligenter dissipata.

CLVIII. De custodia vestium.

Circa tertium nota quod aliquis locus debet haberi specialiter ad vestium custodiam deputatus. Et hujus est ratio triplex.

Prima est ne vestes dimissae pereant; si enim hoc cavendum (7) est in fragmentis panis secundum verbum Domini, *Joan. 6*, multo magis in his quae melius valent.

Secunda est ne singularem sollicitudinem, quam Dominus inhibet circa vestimenta, *Matth. 6*, quilibet cogatur habere de suis, cum eas dimittit, si desit communis custodia.

---

(1) Cod. Vien.: in cingulo. — (2) Cod. Vien.: per gratiam Dei. — (3) Gallice: l'*autre jour*. — (4) Quae scil. procedebat ex ignorantia sequenti. Cf. 22,ae q. 156, a. 3, ad 1m. — (5) Cod. Vien.: Hic habitatio monachorum est. — (6) Cod. Vien.: utebantur. — (7) Codd. Vien. et Sp.: servandum.

Tertia est ne ab extraneis lectos fratrum et cellas interdum visitantibus videantur multa in multis locis (1) quae oculos eorum offendant, cum secundum regulam, cavendum sit ne aliquid videatur in fratribus quod offendat intuitum aliorum.

Item, parum prodesset hujusmodi locus, nisi esset aliquid ibi. Sunt enim ibidem aliqua reservanda: non inutilia (2) in posterum fratribus, quia illa (3) sunt sine mora pauperibus eroganda; nec superflua, quia non competit hoc pauperibus; sed mediocria, quae (4) in necessitates fratrum possunt converti.

Sunt iterum ibidem hujusmodi per diligentiam vestiarii sic temporibus congruis resarcienda et aptanda, quod suo tempore possint utilitatibus applicari.

Sunt iterum quae reparatione indigent, vel etiam non indigent, sic ibidem diligenter custodienda, quod per negligentiam in aliquo non laedantur, quia paupertati congruit posse aliquid vestimentorum reservare, et eadem reparare, et ad consumptionem (5) cum diligentia conservare.

Item, praelatus debet libenter committere vestiario potestatem distributionis circa ista, nisi forte ex certa causa aliquid sibi retineat: et hoc propter sui alleviationem, propter fratrum commoditatem, propter status sui decentiam. Quanto enim plura sibi retinet, tanto magis est oneratus: prudentis autem est secundum consilium Jethro, *Exod. 18,* onus suum in alios caute partiri.

Fratres iterum facilius possunt habere copiam vestiarii quam praelati, et cum eo de necessitatibus suis conferre familiarius. Et ideo commoditas est eorum quod hujusmodi habeat potestatem; sicut eadem de causa constituitur officialis episcopi, quia major copia haberi potest ipsius quam praelati.

Decet iterum (6) praelatum magis vacare spiritualibus, et subditos circa hujusmodi corporalia occupare, sicut apostoli, ut liberius vacarent spiritualibus, occupaverunt alios circa mensas. *Act. 6.*

---

(1) Cod. Vien.: multa et multis locis.... — (2) Cod. Sp.: mutabilia. — (3) Codd. Vien., Sp. et Tol.: alia. — (4) Cod. Vien.: quia. — (5) Cod. Vien.: a consumptione. — (6) Cod. Vien.: decet igitur.

Patet igitur quod locus pro vestium custodia est habendus, et quod (1) in illo aliqua sunt habenda et ad quid, et cujusmodi potestas est vestiario committenda et quare. Primum elicitur ex nomine custodiae; secundum ex hoc quod dicit: « sub quorum custodia sunt quae poscuntur »; tertium ex hoc quod dicit: « dare non differant. » Quomodo enim darent nisi potestatem haberent?

Sequitur: **Lites autem aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum homicida est.**

Hic incipit capitulum quintum regulae, in quo agitur de iis quae pertinent ad religionem in quantum est status fraternitatis.

Porro ad religionem in quantum est status hujusmodi pertinet fraterna dilectio. Ut autem haec semper vigeat inter religiosos modo debito, cavendum est ab illis quae eam perturbant; item, laborandum est eis ut turbata reparetur; item, sciendum est eis qualis debeat esse. Et ideo in hoc capitulo ponit mandata circa haec tria: primo, hic; secundo ibi: « quicumque autem, » et subdit exhortationem ad utrumque, ibi: « Proinde vobis a verbis durioribus parcite »; tertio ibi: « Non autem carnalis. »

Porro turbatio (2) dilectionis fraternae solent esse lites; et ideo circa istas ponitur hic mandatum; et continet duo: unum est de cavendis litibus, propter quod dicit: « Lites aut nullas habeatis; » aliud est de terminandis, propter quod dicit: (3) « aut quam celerrime finiatis. »

CLIX. De litibus cavendis.

Circa primum notandum quod litigare non est res quae deceat viros. (4) Seneca: Litigare muliebre est.

Item, ribaldorum est commorantium in tabernis. *Prov. 23:* Cui rixae? Nonne his qui morantur in vino, et student calicibus epotandis?

---

(1) Cod. Vien.:... et quare... — (2) Cod. Grat.: turbativum. — (3) Cod. Vien.: addit. — (4) Codd. Vien., Sp. et Grat.: viros religiosos.

Item, daemoniacum est. Augustinus: Nihil est similius actibus daemonum quam litigare. Quam indecens est ergo religiosis, qui debent esse viri virtutum, et summae honestatis, et angelis similes, quod ipsi ad modum mulierum, ad modum ribaldorum, immo ad modum daemonum litigare non erubescant!

Praeterea legitur in *Vitis Patrum* quod cum dictum fuisset sancto Macario, qui fuit excellentissimae vitae, quod nondum venisset ad mensuras duarum mulierum quae erant in proxima civitate; et cum venisset illuc, et inquisivisset de vita earum, invenit quod erant uxores duorum fratrum, et cum quindecim annis insimul commoratae fuissent, nunquam litigassent inter se.

Legitur iterum in *eodem* quod duo senes habitabant in eadem cella, et cum nunquam vel modicam contentionem inter se habuissent, dixit alter ad alterum: Faciamus et nos unam litem, sicut faciunt homines. Dixit alter: (1) Nescio quomodo fit. Dixit alter: Ecce ego pono istum laterem in medio, et dico: Meus est; (2) et tu dicas: Non est tuus, sed meus est. Et ex hoc fit rixa. Fecerunt ergo sic, et dixit unus: Meus est. Dixit alter: Ego spero illum esse meum. Dixit alter: Immo meus est. Tunc alter dixit: Si tuus est, tolle eum. Et nescierunt facere litem.

Dicitur iterum quod in arca Noe omnia animalia erant pacificata, (3) etiam immitia, quae solent contendere pro cibo cum quibusdam aliis. (4)

Mira, immo miseranda abusio religiosorum quorumdam! Mulieres quarum natura prona est ad lites, commorantes insimul annis quindecim, naturam virtute superantes, nunquam litigabant; senes antiquitus viri in eadem cella, et conantes ad litem faciendam, nesciunt facere; ferae discordes naturaliter in arca Noe vivunt etiam in omni pace: et quidam in religione, non attendentes quod tota Ecclesia Dei quotidie orat Hora Sexta pro extinctione flammarum litium, (5) modo litigant ut Judaei, de quibus dicitur: Litigabant ergo Judaei, *Joan. 6;*

---

(1) Cod. Tol.: respondit alius. — (2) Cod. Tol.: dico quod meus est. — (3) Cod. Tol.: fuerunt pacata. — (4) Cod. Vien.: et quibusdam aliis. — (5) In hymn. ubi habetur: « Extingue flammas litium. ».

modo miscent se litibus aliorum; modo novas lites suscitant more stulti, de quo dicitur *Prov. 18:* Labia stulti miscent se rixis, et os ejus jurgia provocat.

Praeterea tria solent esse occasio litium. Unum est rerum proprietas. Quia enim unus dicit: Hoc est meum; et alter: (1) Non! surgit inde lis. Propter quod Seneca dicit: Quietissime viverent homines, si tollerentur ista duo pronomina: Meum et Tuum.

Aliud est carnis necessitas, ut cum non providetur alicui, sicut caro sua requirit. *Jac. 4:* Unde lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris quae militant in membris vestris?

Tertium est superbia, quia ut frequenter duo superbi non possunt pacifice cohabitare. *Prov. 13:* Inter superbos semper jurgia sunt. Quam longe ergo deberent esse lites a religiosis, qui nihil possunt habere proprium, qui debent esse ex toto secundum carnem mortificati, et summe humiles spiritu!

Amplius litigatio aufert homini (2) signum servitutis divinae. *Tim. 2:* Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Nec mirum, quia debent esse sicut oves. *Joan. 21.*

Item, aufert eis fructum abstinentiarum. *Is. 63:* Ecce ad lites et contentiones jejunatis; quasi dicat: quid prodest tale jejunium?

Item, inducit multa mala, utpote convicia, maledictiones, improperia et hujusmodi. Et ideo dicitur, *Eccli. 28:* Abstine te a lite, et minues (3) peccata.

Cum ergo viri religiosi debeant non solum esse, sed et apparere (4) servi Dei, et multum affligantur in abstinentiis, et summe debeant cavere peccata, quantum debent cavere a litibus quae istis tantum contrariantur!

Patet ex iis quantum cavendum est viris religiosis a litibus, si attendant quam vile quid sit litigare, et quantum a viris bonis olim fuerat alienum, et quomodo causas (5) litigationis non habent, et quam nocivum sit eisdem.

---

(1) Cod. Tol.: alter: Immo meum, surgit...: — (2) Codd. Vien. et Tol.: hominibus. — (3) Codd. Tol. et Vien.: minue. — (4) Codd. Vien., Sp. et Grat.: non solum apparere, sed et esse.... — (5) Codd. Vien. et Sp.: causam.

Attendendum autem quod lis solet oriri interdum inter minores, sicut inter familiam: (1) contra quod dicitur *Tit. 3:* Admone servos Dei non litigiosos esse.

Interdum vero sunt aliqui majores qui tanquam leo in domo sua loqui nesciunt minoribus nisi litigiose: isti sunt similes Nabal viro rusticano, de quo dicunt servi ejus: 1 *Reg. 25:* Ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.

Interdum vero aliqui minores non verentur litigare cum majoribus suis more populi Judaici, de quo dicitur *Exod. 17:* Jurgatus est populus contra Moisen. Primum malum, secundum pejus, tertium pessimum. Et ideo reputatur valde magna culpa quando quis in religione cum praelato lites habuerit.

Item, notandum quod gravius est in religioso litigare cum extraneo quam cum fratre, et hoc propter scandalum majus. Et ideo dicitur *Is. 42,* in laudem servi Dei: Non audietur vox ejus foris.

Stultius est etiam litigare cum homine iracundo quam cum tranquillo, et hoc propter majus periculum peccati in eo, quia plus inflammatur ad malum propter talem dispositionem. Et ideo dicitur *Eccli. 8:* Cum iracundo non facias rixam.

Item, damnosius est litigare cum magnatibus quam cum minoribus, quia plus possunt nocere. *Eccli. 8:* Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius.

Bene ergo dicit: « Lites aut nullas habeatis, » quia nec cum aequalibus, nec cum inferioribus, nec cum superioribus, nec cum extraneis, et minus cum iracundis, et minime cum magnatibus sunt habendae.

Porro ad cavendum lites sunt multa remedia. Primum est refraenatio interioris commotionis per silentium. Cum enim qui dimittit aquam caput sit jurgiorum, sicut dicitur *Prov. 17;* e contrario qui continet hujusmodi impetum, causa est quietis et pacis. Et ideo bene dicitur *Eccli. 28:* Abstine te a lite; quasi diceret: facias tibi vim ne prorumpas in litem.

Secundum est declinatio a colloquio cum viro litigioso. *Eccli. 8:*

---

(1) Scil. famulorum coetum.

Ne struas ligna in igne (1) linguati; quod fit cum habentur verba cum eo.

Tertium est devitatio verborum habentium materiam litigiosam, 2 *Tim. 2:* Stultas et sine disciplina quaestiones devita, sciens quia generant lites.

Quartum est cavere ab illis quae sunt occasio litis. Quae sunt jactantia, *Prov. 28:* Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat; item, derisio, *Prov. 22:* Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium; item, iracundia, *Eccli. 28:* Homo iracundus incendit litem; item, perversitas, *Prov. 16:* Homo perversus suscitat lites.

Patet ex jam dictis quare cavendum est religiosis a litibus et ab omni genere litium, et quae sint ad haec remedia.

CLX. De litibus exortis terminandis cito, et de causa hujus.

Circa secundum notandum quod quando lis orta non cito terminatur, imminet magnum periculum, sicut de igne quando accensus non cito extinguitur. Et ideo circa terminationem litium duo ponit, videlicet: quod terminentur non solum cito, sed « celerrime; » et causam subjungit dicens: « ne ira crescat in odium. » Quantum autem malum sequatur (2) ex ira crescente in odium, ostendit per duo (3) quae ex hoc sequuntur, scilicet excaecatio animae in judicando; propter hoc dicit: « et trabem faciat de festuca »; aliud est homicidium ejusdem, ideo addit: « et animam faciat homicidam. » Quod probat dicens: « Sic enim legitis, » scilicet in canonica 1 *Joan. 3:* « Qui odit fratrem suum homicida est. »

Porro ad terminandum litem exortam multa sunt quae valent, quibus solent uti viri sancti. Unum est quod recedunt caute de loco in quo lis est. Exemplum de quodam philosopho de quo legitur quod cum quidam ei malediceret, recessit et dixit: (4) Ut tu linguae tuae, ita et ego aurium mearum sum dominus.

Item, dicitur in *Vitis Patrum* quod abbas Macarius dimisit locum in quo erat, propter quaemdam fratrem, qui semper habebat iram cum eo, et transtulit se alibi ad remanendum.

Aliud est quod (5) cogunt se ad silentium, ponentes custodiam ori

(1) Cod. Vien.: in ignem. — (2) Cod. Tol.: sit. — (3) Cod. Vien.: per duo scilicet quae.... — (4) Codd. Sp. et Vien.:... malediceret, dixit.... — (5) Cod. Tol.: cum.

suo, dum consistit adversus eos litigator. Et hoc valet ad hoc. *Prov. 26:* Qui imponit stulto silentium iram mitigat; et potest hic vocari stultus cujus os (1) frequenter ebullit stultitiam.

Aliud est quod reprimunt impatientiam suam, ita ut nec verbo, nec signo, nec facto videantur moveri, et hoc valet ad hoc. *Prov. 15:* Qui patiens est mitigat rixas suscitatas.

Aliud est quod si respondent aliquid, non respondent (2) durum sermonem qui provocet, sed dulcem ad liniendum, et hoc iterum valet. *Prov. 15:* Responsio mollis frangit iram; durus sermo suscitat furorem.

Aliud est quia cedunt causam (3) litis. Exemplum de Abraham qui dicit, *Gen. 13,* Loth fratri suo: Ne, quaeso, sit jurgium inter me et te. Ecce universa terra coram te est. Recede a me, obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Et commendat hoc Apostolus, 1 *Cor. 6,* dicens: Quare non magis injuriam patimini; scilicet quam contendatis?

Aliud est quia non innituntur justificationi suae. (4) Ex hoc enim quod quilibet laborat in lite ad ostendendum se rationem habere, lis prolongatur, et per cessationem ab istis citius terminatur. Et ideo dicit Apostolus *Rom. 12:* Non vos defendentes, charissimi; sed date locum irae.

Aliud est quia se humiliant erga injuriantem. Quod multum valet ad hoc. Exemplum in *Vitis Patrum.* Cum duo germani commorarentur in cella, diabolus volens eos provocare ad jurgium, extinxit lucernam quam posuerat junior super candelabrum, propter quod senior percussit juniorem cum furore; junior (5) vero prostratus in terram, clamavit dicens: Magnanimus esto, domine, et ego rursus accendam illam. Et statim propter humilitatem istius junioris (6) diabolus recessit (7) ab eis, et eadem nocte retulit hoc coram principe daemoniorum, dicens quod propter humilitatem illius junioris (8) non potuit

(1) Cod. Tol.: os quod. — (2) Cod. Sp.: si respondet aliquis, non respondet.... — (3) Cod. Vien.: cedunt esse litis. - codd. Grat. et Tol.: cedunt causae litis. — (4) Codd. Vien. et Tol.: justificationi suae causae. — (5) Cod. Vien.: minor. — (6) Cod. Vien.: minoris. — (7) Cod. Tol.: discessit. — (8) Cod. Vien.: minoris.

praevalere, sicut audivit sacerdos idolorum, qui propter hoc factus est christianus.

Circa causam terminandae litis exortae notandum quod ex lite, si non cito sopiatur, solent sequi tria mala: malum scilicet in manu quoad percussionem. *Is. 58:* Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie.

Item, malum in ore, quo laeditur proximus. *Prov. 25:* Quae viderunt oculi tui in jurgium non (1) proferas cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. Per quod innuitur quod jurgium generat verba deturpantia proximum.

Item, malum in corde, scilicet odium. Augustinus: Odium est ira inveterata. Porro odire aliquem pejus est in se quam forte ad horam percutere, vel malum verbum alii dicere. Et ideo vir sanctus ad terminandum lites potius illud inducit quam alia. (2)

Quantum autem malum sit odium, ostendit per duo quae ex odio sequuntur. Unum est excaecatio animae in judicando de peccato alterius. Qui enim fratrem suum odit in tenebris est, sicut dicitur 1 *Joan.* 2. Et ideo, sicut illi qui in tenebris videt videtur in nocte de plantula quod sit magna arbor, (3) ita et isti videtur de modico peccato quod sit magnum: quod est valde reprehensibile. Non enim debemus peccata aliorum trabes reputare, et nostra festucas; sed potius e contrario, sicut tangitur *Matth.* 7. Exemplum in *Vitis Patrum.* Cum in congregatione loquerentur fratres de culpa cujusdam fratris (4) alterius, abbas egrediens, accepto sacco uno pleno arena, posuit retro se, et unum parvulum ante se, et cum haec deferens regressus fuisset, et quaesivissent fratres quid hoc esset, respondit dicens: Iste saccus retro sunt mea peccata magna, et projeci ea retro ut non videam ea; iste autem sacellus peccata sunt fratris illius modica, et illa video, et in illis exercitor. Quod non oportet ita fieri, sed potius e contrario.

Aliud est homicidium animae. Odium enim est voluntas mali in alterum. Omne autem malum sive culpae, sive poenae tendit ad mor-

---

(1) Cod. Tol.: ne. — (2) Cod. Vien., ex addit.: quam aliud. — (3) Cod. Vien.: quod sit magna, ita.... — (4) Cod. Tol.: alterius fratris.

tem, et ideo odiens fratrem homicida est secundum animam, sicut dicitur *Joan. 3.* Propter hoc ergo bene dicit: « ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, animam faciat homicidam. Sic enim legitis, » etc.; quasi diceret: cicius est lis finienda, ne tantum malum sequatur. (1)

Sequitur: **Quicumque convitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem laeserit, meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit, et ille qui laesus est sine disceptatione dimittere.**

Postquam tradidit mandatum circa turbationem charitatis fraternae, hic tradit mandatum circa reparationem (2) dilectionis turbatae.

Circa hoc autem prosequitur duo: primo enim dicit quid sit ad hoc faciendum; secundo ponit diversitates eorum qui circa hoc male se habent, secundum plus et minus, ibi: « Melior est autem. »

Porro turbatio dilectionis fraternae solet accidere quandoque ex culpa unius solum, quandoque ex culpa duorum. Et ideo circa reparationem ejus tradit mandatum (3) in utroque casu: circa primum, hic; circa secundum ibi: « Si autem invicem se laeserint. »

Porro ad reparationem charitatis inter offendentem et offensum sunt duo necessaria, scilicet satisfactio ex parte offendentis, et remissio ex parte offensi. Et haec duo tanguntur in isto mandato: primum primo; secundum ibi: « et ille qui laesus est. »

CLXI. De satisfactione pro offensa in verbo facienda.

Ad intelligentiam autem primi notandum quod convitium, prout proprie accipitur, dicitur exprobratio alicujus vilis conditionis quae potest esse sine peccato, sicut cum aliquis vocatur filius meretricis, et similia. (4) Sic convitiatus est Saul filio suo Jonathae dicens, 1 *Reg. 20:* Fili mulieris ultro rapientis virum. Maledictum vero est imprecatio alicujus mali alteri,

---

(1) Codd. Il. et Tol.: ne sit tantum malum. - Cod. Grat.: ne tantum malum fiat. — (2) Cod. Vien.: reparativa. — (3) Cod. Tol.: mandata. — (4) Cod. Vien.:... et similia; sicut....

sicut faciebat Goliath David, de quo dicitur, 1 *Reg. 17*: Maledixit Philistaeus David in diis suis. Objectio vero criminis est impositio alicujus facti culpabilis, sicut accidit coram Salomone, 3 *Reg. 3*, litigantibus duabus meretricibus quarum una falso imponebat alii oppressionem filii sui, et neganti dicebat: Mentiris. Vix autem invenitur aliquod genus verborum, per quod litigantes se laedant, quod reduci non possit ad aliquod istorum.

Item, sciendum quod inter omnia genera laesionum, laesio quae infertur per linguam ut frequenter est gravior. Sunt enim quidam qui nocent in rebus, ut raptores et incendiarii; sed gravius nocent sagittarii qui infigunt sagittas in personam. (1) Et sic facit lingua mala quae non solum in rebus, sed in persona nocet; et ideo dicitur *Jer. 9*: Sagitta vulnerans lingua eorum.

Item, sunt quidam qui nocent in persona per verba, sed non profundatur interdum laesio usque ad interiora. Non autem sic de lingua: immo laesio ejus pertingit usque ad ossa virtutum, confringens ea. *Eccli 28*: Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguae comminuet ossa.

Item, sunt aliqua nocumenta quibus resisti potest per scutum et hujusmodi protectoria. Sed vix invenitur aliquis adeo armatus patientia, qui non saucietur a lingua. Exemplum de Job, qui non fuit motus ad damna rerum, vel corporis flagellum, *Job. 1;* et tamen motus videtur ad linguam uxoris ejus dicens ei: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. *Ejusd. 2. Ps. 56*: Filii hominum dentes eorum arma et sagittae; et lingua eorum gladius acutus. Quasi diceret: sicut istis congregatis non potest resisti, ita nec linguae malae.

Item, notandum quod quilibet tenetur ad satisfactionem illi quem laesit verbo in rixando, et est argumentum ad hoc *Exod. 21,* ubi dicitur quod si aliqui rixati fuerint, et percusserit alter alterum, et mortuus non fuerit, sed in lecto jacuerit, tenebitur eidem ad expensas in medicos. Si enim hoc verum est in laesione tali, eadem ratione in laesione facta per linguam, quae interdum major est, tenetur qui-

(1) Cod. Vien.: personas.

libet ad satisfactionem. *Matth. 5:* Si frater tuus habet aliquid adversum te, vade reconciliari fratri tuo.

Item, tenetur ad satisfactionem cito. Sicut enim in restitutionibus quod sine die debetur, id omni die debetur, (1) ita et hic. *Eph. 4:* Sol non occidat super iracundiam vestram. Exemplum in *Vitis Patrum.* Abbas Agathon solebat dicere: Nunquam dormivi, nec litem habentem mecum dormire permisi, quantum ad virtutem meam pertinet, nisi prius in pace reverterer cum eo.

Item, in satisfaciendo debet sic cavere a modo superbo vel aspetitate quod satisfactio prosit ad curationem irae fraternae, quod summopere curandum est. Unde abbas Joseph in libro *Collationum:* Iracundiam fratris, etiam sine ratione, eo modo quo suam curare desideret frater. Propter hoc ergo bene dicit vir sanctus: « Quicumque convitio, etc. » id est quicumque aliquo genere mali verbi, quia possunt omnia mala verba reduci ad aliquod istorum, « aliquem laeserit, » quod scilicet genus laesionis valde grave est; « meminerit, » scilicet non omittat, sicut obliviosus qui ex oblivione omittit facere quod debet, « quantocius, » id est sine mora, quia debitum est, et non potest propria auctoritate prolongare satisfactionem; « curare quod fecit, » id est tali (2) satisfactione quae sit plagae illatae curativa: de quo plus est curandum quam de gratia vel amicitia fratris, vel aliis hujusmodi.

Sed quaeret aliquis quae sit hujusmodi satisfactio ad quam tenetur ille qui laesit alium verbo.

Respondeo: Triplex potest esse hujusmodi satisfactio. Una est per verba, ut cum quis petit veniam de offensa ab offenso. Sic faciebat Augustinus scribens Hieronymo, et dicens: Obsecro te per mansuetudinem Jesu Christi, si laesi te, ignosce mihi.

Alia est per corporis humilitatem. (3) Sic fecit Semei David cui maledixerat. 2 *Reg. 19:* Semei prostratus coram rege ad eum dixit: Ne reputes mihi, domine, ad iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui.

---

(1) Cod. Sp.: quando sine die debetur, in omni die debetur. — (2) Codd. Sp. et Tol.: in tali. — (3) Cod. Tol.: humiliationem.

Alia est per obsequia, sicut Jacob, *Gen. 32,* muneribus voluit placare fratrem suum Esau. *Rom. 12 :* Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Quasi diceret: per haec placabis illum, et redibit amicitia.

Si quaeratur: Numquid tenetur quilibet offendens ad omnes hujusmodi satisfactiones, respondendum est quod non. Sicut laedens (1) alium in rebus non tenetur nisi ad certam quantitatem rei restituendae: ita et offendens verbo non tenetur ad omnes satisfactiones, sed ad certam, secundum quantitatem offensae. Quod si offensus petat nimis, potest sufficere offendenti satisfacere secundum arbitrium boni viri, quamvis laudabile sit plus debito pro pace fratris (2) facere in hoc casu.

Sed iterum potest quaeri utrum offendens teneatur ad reconciliandum fratrem statim, antequam accedat ad offerendum aliquid Domino in altari, cum hoc videatur Dominus mandare, *Matth. 5.*

Respondeo: Aut offensus est absens aut presens. Si absens, sufficit offendenti propositum satisfaciendi sine mora cum poterit, sicut in restitutionibus; nec oportet quod vadat in hoc casu pedibus, sed sufficit quod (3) « animo, » secundum Augustinum; si vero est presens, aut fuit levis offensa, ita quod non creditur offensus graviter turbatus, vel gravis. Si levis, potest differri satisfactio usque ad tempus moderatum; (4) si vero gravis, debet sine mora satisfieri, tum ratione debiti, quod omni die debetur; tum ratione charitatis fraternae, quae debet dare operam quod ira fratris non crescat, sed sedetur. (5)

Sed numquid praelatus in religione potest remittere hujusmodi satisfactionem faciendam subdito suo pro offensa sibi facta, cum de jure naturali videatur esse ut ei satisfaciat, in quo non potest dispensare?

Respondeo: Potest dici quod sic, sicut etiam potest remittere debitum pecuniae; quia sicut bona sibi debita sunt in potestate

---

(1) Cod. Tol.:... quod sicut laedens.... — (2) Cod. Tol.: pro fratribus. — (3) Cod. Tol.: ut. — (4) Cod. Vien.: modicum. — (5) Cod. Tol.:., operam ut ira.... immo sedetur.

praelati, ita et persona sua; nec relaxat in hoc jus naturale, quia reputatur in hoc casu fieri subdito quod fit praelato.

Sed esto quod aliquis offendat alium verbo in secreto, et petit offensus satisfactionem in publico, numquid tenetur ad hujusmodi satisfactionem offendens? Vel e converso offendit aliquis aliquem (1) in publico, et vult satisfacere in secreto tantum: numquid sufficit ei?

Respondeo ad primum: Non tenetur, nisi forte quod factum fuit in secreto publicatum fuisset; sicut fur quod latenter accipit non tenetur in publico restituere. Ad secundum dicendum quod non sufficit, et est argumentum ad hoc, *Act. 16,* de Paulo cui publice condemnato ad carcerem non suffecit occulte liberari, sed publice? (2)

Potest iterum quaeri si (3) aliquis imposuit alii culpam, et laesus (4) non vult accipere (5) satisfactionem a laedente, nisi dicat se (6) mentitum fuisse, numquid tenetur ad hoc laedens?

Respondeo: Si offendens scit se dixisse verum, nullo modo debet dicere contrarium, nec hoc debet ab eo requiri; si autem scit vel credit se dixisse falsum, vel dubium, (7) bene debet dicere, licet cum damno famae suae, quod scit vel credit se dixisse falsum vel dubium, secundum quod habet in conscientia sua, sicut restituere tenetur quis rem ablatam cum damno rei suae.

Potest tamen adjicere aliqua alleviantia culpam suam, videlicet quod ex animi perturbatione illud dixit, vel quod ita audierat, vel credebat tunc, licet modo reputet falsum. Ad hoc autem quod dicat se mentitum fuisse non tenetur, quia per hoc revelaret secretum mentis suae peccatum, quod sibi multum noceret, et aliis non prodesset, quia ita restauratur fama alii per hoc quod recognoscit se falsum dixisse, sicut si diceret se mentitum fuisse. Deinde sciendum quod si aliquis facit quod in se est pro habenda pace alterius, licet habere non possit, sufficit hoc ipsi quoad Deum, propter quod dicit Apos-

---

(1) Cod. Tol.: alium. — (2) Codd. Tol. et Sp.: sufficit,... sed publice petit. — (3) Codd. Tol. et Sp.: Iterum quando sic aliquis.... — (4) Cod. Vien.:... culpam laesionis, et non vult.... — (5) Cod. Tol.: recipere. — (6) Cod. Tol.: quin dicat. — (7) Codd. Vien. et Tol.: vel incertum quid.

tolus, *Rom. 12:* Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

CLXII. De remissione fraterni injurae.

Circa secundum notandum quod quidam inveniuntur qui ita duricordes sunt ad dimittendum (1) injuriam, quod vix vel nunquam possunt induci ad dimittendum. (2) Isti vero non sunt veri christiani, qui inunguntur ad habendum cor molle ad pietatem; sed sunt sicut Judaei sine unctione, duri ad vindictam, volentes habere oculum pro oculo, dentem pro dente, et similia. Immo sunt sicut Holophernes gentilis, de quo dicitur, *Judith 3,* quod ferocitatem animi ejus mitigare non potuerunt. (3) Immo, quod pejus est, sicut diabolus, de quo dicit Gregorius quod nullo potest placari obsequio. Contra hos est quod dicitur de Caesare quod nullius solebat oblivisci, nisi injuriarum. Certum est iterum quod Seneca magister Neronis scripsit ad eum librum de *Clementia,* quae secundum Tullium est virtus per quam animus in odium alicujus concitatus (4) benignitate retinetur. Scriptum est etiam apud naturales quod leo parcit prostratis. Mira, immo miseranda res! Monarcha mundi tradit oblivioni injurias, philosophus crudelissimo homini summe persuadet clementiam, (5) rex animalium crudelissimus parcit prostratis, et vilis homuncio non vult dimittere in se delinquenti!

Praeterea dicit Apostolus, *Coloss 3:* Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.

Item, sanctorum est non solum dimittere, sed etiam benefacere inimicis, prout dicitur *Matth. 5.*

Item, Christus piissime oravit pro crucifigentibus dicens, *Luc. 23:* Pater, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. Quam longe ergo sunt a doctrina apostolica, a sanctorum vita, a Christi exemplo, qui dimittere nolunt offendentibus se!

Praeterea illi qui non remittit hominibus nec Deus remittet peccata sua. *Matth. 6:* Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester

---

(1) In hoc capit. codd. promiscue habent « remittere » et « dimittere » et utriusque derivantia. — (2) Cod. Vien.: ad remittendum injuriam. — (3) Cod. Vien.: poterant. — (4) Cod. Vien.: incitatus. — (5) Cod. Vien.: clementiam remissionis.

dimittet vobis peccata vestra. Immo, quod pejus est, dimissa repetit, ut patet in exemplo de servo cui pater familias dimiserat decem millia talenta, quae repetiit, quia non dimiserat (1) con servo suo. *Matth. 18.* Immo, quod magis timendum est, cum gravi poena extorsit tradens eum tortoribus, sicut *ibidem* dicitur. Et subditur: Sic et pater meus coelestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et ideo dicitur *Eccli. 3:* Cor durum, scilicet ad dimittendum, male habebit in novissimo, quia scilicet non inveniet dimissionem. Immo dimissa repetentur; immo cum gravi tormento ad hoc cogetur; et propter hoc dicitur, *ejusd. 38:* Memento novissimorum, et dimitte inimicari. Multum enim debent movere ad inimicitias dimittendas haec tria praedicta futura in novissimis (2) hominis.

Quia igitur tam reprehensibilis est duritia ad dimittendum, sicut patet ex dictis, bene dicit vir sanctus: « et ille qui laesus est » meminerit « dimittere »; id est hoc sine oblivione faciat.

Sed sunt aliqui qui discutientes culpas offendentium multam praetendunt difficultatem in dimittendo, modo quia gravis est offensa, modo quia multae sunt, modo quia multoties commissae et remissae Non sic facit Dominus. Immo et magna remittit, *Joel. 2:* Et praestabilis super malitia; malitia enim sonat in culpam gravem.

Et multa etiam dimittit. *Is. 55:* Multus est ad ignoscendum, quia (3) multa dimittit.

Item, multoties dimittit. *Matth. 18:* Non dico tibi, Petre, dimittendum septies, sed septuagies septies. Cum ergo debeamus esse misericordes sicut Deus, debemus et nos dimittere graves offensas, et multas, et multoties, sicut et Deus facit nobis. *Eph. 4:* Donantes invicem, sicut et Deus donavit vobis. Et ideo addidit Augustinus: « sine disceptatione, » id est faciliter, sine mora, sine multa discussione dimittat qui laesus est, non attendens magnitudinem vel multitudinem, seu frequentiam offensae. *Glos. sup. Luc. 17:* Ne difficilis sit venia.

---

(1) Cod. Tol.: pepercerat. — (2) Codd. Sp. et Tol.: novissimo. — (3) Cod. Tol.: multus enim dicitur ad ignoscendum quia....

Propter hoc quaeritur (1) utrum laesus in casibus praedictis teneatur dimittere offendenti impoenitenti, nec satisfacienti, cum Deus cujus misericordia excedit humanam (2) in infinitum, nunquam dimittat impoenitenti.

Respondeo dicendum quod sic, quantum ad remissionem intrinsecam cordis, scilicet quoad rancorem, vel iram: non ratione illius, quia impoenitens est; sed ratione sui ipsius, ne peccet: et ideo non est simile de Deo, quia ipse non habet iram hujusmodi in qua possit esse peccatum.

Sed objicitur in contrarium sic. *Luc. 17:* Si septies in die peccaverit in te frater tuus, et septies in die ad te conversus fuerit, dicens: Poenitet me, dimitte illi. Ergo a contrario sensu videtur, si non poenitet, quod non est illi dimittendum. Quod videtur dicere *Glossa Interl.* dicens: Ne nimis remissa sit indulgentia; et *Glossa Margin.:* Non jubemur passim peccata dimittere, sed poenitenti.

Respondeo: Impoenitenti peccanti in nos non tenemur peccata dimittere dimissione exteriori, et sic intelligitur *Interlinearis;* vel non tenemur in foro poenitentiali dimittere, et sic loquitur *Marginalis;* et haec non sunt contra illa quae dicta sunt de dimissione interiori facienda offendenti fratri.

Sed quaeritur quid sit ista (3) dimissio exterior, qua dimittit offensus offendenti. Non enim potest dimittere culpam offendentis; item debitum satisfactionis non dimittit ei, quia illud jam solvit ex quo satisfecit ei plenarie.

Respondeo: Potest dici quod hujusmodi dimissio non est aliud quam acceptatio satisfactionis, vel indicatio reconciliationis verbo vel facto expressa, ut cum offensus offendentem flectentem genua elevat, vel dicit: Dominus parcat vobis; (4) vel: Parco vobis; vel: Satisfactum est mihi, vel similia.

Sed (5) quaeritur iterum an post hujusmodi satisfactionem, vel etiam ante, facta dimissione intrinseca, licet signa rancoris retinere?

---

(1) Cod. Grat.: Sed potest hic quaeri utrum.... — (2) Cod. Vien.: humanum. — (3) Cod. Grat.: Sed quid si ista.... — (4) Codd. Sp., Vien. et Grat.: tibi. — (5) Codd. Tol. et Sp.: Si.

Respondeo: Quaedam signorum hujusmodi sunt propinqua, quaedam remota: propinqua quae ingerunt probabilem suppositionem (1) de rancore, ut cum aliquis nunquam vult alii loqui, et torvo vultu eum semper respicit, et similia; et ista nulli licet retinere, quia ab omni specie mala abstinendum est, secundum Apostolum, 1 *Thess.* 5. Unde sicut Eleazarus abstinuit a carnibus similibus porcinis, ne videretur comedere porcinas, et sic scandalizaret, 2 *Mach.* 6, ita nemo debet illa signa facere per quae probabiliter credatur esse in odio. Remota sunt quae non ingerunt argumentum de odio, licet odium subsequantur, ut sunt subtractio familiaritatum, (2) et servitiorum aliquorum, et similia: et ista licet retinere omnibus, dummodo non fiat malo animo. Immo interdum potest esse meritorium, cum fit propter bonum alterius. Quod ergo dicitur interdum quod hoc non debent facere perfecti, si intelligatur quod hoc non est perfectionis, verum est: aliter non videtur esse verum.

Potest iterum quaeri utrum injuriatus teneatur quaerere reconciliationem injuriantis, ipso non petente. Et videtur quod sic, exemplo David qui erat sine culpa, qui quaerebat multis modis et valde humiliter reconciliationem Saul, qui erat in culpa. Sed contra est Augustinus, qui dicit super illum locum: Si frater tuus habet aliquid adversus te, *Matth.* 5: Id est si tu eum offendisti; nam nos habemus adversus eum si ipse nos laesit: ubi non est opus pergere ad reconciliandum.

Respondeo dicendum quod non tenetur ex hoc solo, sed ratione fraternae charitatis posset teneri in casu, scilicet si crederetur probabiliter quod per hoc liberaret animam ejus ab odio mortali, et non esset occasio mali in eo, vel in aliis, hujusmodi excellens humilitas. Si autem David vel alii viri sancti hoc fecerunt, exempla eorum non tenemur omnes sequi in omnibus operibus magnae perfectionis.

Si quaeratur iterum utrum non praecedente reconciliatione teneatur aliquis non solum diligere affectu injuriantem, sed etiam ei benefacere, respondeo quod sic omnes tam perfecti quam imperfecti, quia illud verbum: Benefacite hiis qui oderunt vos, *Matth.* 5, dixit

(1) Codd. Tol.: suspicionem. — (2) Codd. Vien. et Tol.: familiaritatis.

Dominus non solum discipulis in sermone in monte; sed etiam turbis, in sermone in plano, *Luc. 6.* Tamen quia praecepta affirmativa non obligant nisi in casu, plures possunt esse casus in quibus tenetur quis magis benefacere amicis quam inimicis, (1) quia forte non tenetur inimicis nisi in casu necessitatis.

Sequitur: **Si autem invicem se laeserint, invicem sibi debita relaxare debent, propter orationes vestras, quas utique quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis.**

Tradito mandato circa reparationem charitatis fraternae turbatae ex culpa alterius, ponit hic mandatum circa idem, cum turbatio procedit ex culpa utriusque.

Continet autem hoc mandatum tria: primo substantiam mandati; secundo causas mandati, ibi: « propter orationes vestras; » tertio, causam causae, ibi: « quas utique, » etc.

CLXIII. De his in quibus se habent mali male et boni bene ad invicem.

Circa primum, occasione cujus primo dicit: « Si invicem se laeserint, » et postea subjungit: « invicem sibi debita relaxare debent, » notandum quod aliter ad invicem se habent mali, aliter boni. Mali enim male habent se corde per invidiam, *Gal. 5:* Invicem invidentes; ore per mutuam corrosionem: Si invicem mordetis et comeditis *ibid.;* opere per injurias, *ibid.:* Invicem provocantes, scilicet per facta injuriosa. Praeterea (2) dicit Apostolus, *Rom. 14:* Non ergo amplius invicem judicemus; item, ad *Coloss. 3:* Nolite mentiri invicem; item, 1 *Cor. 7:* Nolite fraudare invicem. Ex quibus, cum hoc prohibeat, dat intelligere quod mali male se habent invicem interdum corde, male (3) judicando; ore, mendaciis decipiendo; opere, fraudibus gravando. Et sic patet quod male se habent ad invicem mali sex modis, videlicet: modo invidendo, modo in verbis corrodendo, modo injuriis provo-

---

(1) Cod. Tol.: benefacere tam amicis quam inimicis — (2) Codd. passim: propterea. — (3) Cod. Tol.: in male.

cando, modo male judicando, modo mentiendo, modo se mutuo defraudando.

E contrario vero boni bene se ad invicem se habere debent, et hoc multis modis. Debent enim sensum suum aliis conformare. *Rom. 12:* Idipsum invicem sentientes.

Item, mutuo se diligere, sicut animalia similia. *Eod.:* Invicem diligentes.

Item, de seipsis curam sollicitam gerere, tanquam ejusdem corporis membra. 1 *Cor. 12:* Non sit schisma in corpore; sed in idipsum pro se invicem sollicita sint membra.

Item, de altero meliora quam de se sentire. *Philip. 2:* Superiores invicem arbitrantes.

Item, onera mutuo patienter portare. *Eph. 4:* Cum patientia supportantes invicem.

Item, benevolentiam sibi alterutrum exhibere. *Eph. 4:* Benigni invicem, id est benevoli.

Item, in honorando se invicem praevenire. *Rom. 12:* Honore invicem praevenientes.

Item, propter Deum se sibi invicem subjicere. *Eph. 5:* Subjecti invicem in timore Christi.

Item, pro se mutuo orare. *Jac. 5:* Orate pro invicem, ut salvemini.

Item, semetipsos in bono inter se aedificare. *Rom. 14:* Quae aedificationis sunt invicem custodiamus.

Item, mutua charitate servire invicem. (1) Ad *Gal. 5:* Per charitatem spiritus servite invicem.

Item, humilitatem inter se ostendere. 1 *Petr. 5:* Omnes humilitatem invicem insinuate.

Item, ad bonum se (2) invicem incitare. *Hebr. 10:* Consideremus invicem in provocatione charitatis et bonorum operum.

Item, se diligi ab aliis desiderare. *Rom. 12:* Charitate fraternitatis invicem diligentes. *Glossa:* Volentes a fratribus rediligi.

---

(1) Cod. Grat.: Item, mutuo charitatem servare. — (2) Codd. Grat. et Tol.: se ipsos.

Item mutuas offensas liberaliter relaxare. *Eph. 4:* Donantes invicem.

Relictis ergo malis quae mali ad invicem faciunt, facienda sunt ad invicem bona. Unde, 1 *Thess. 5:* Semper quod bonum est sectamini ad invicem. Et inde est quod Augustinus supra dixit uno in loco: « honorate in vobis Deum invicem. » Et iterum alibi dicit: « invicem vestram pudicitiam custodite. » Nunc autem dicit: « invicem sibi debita relaxare debent. » Quae sunt tria bona invicem diligenter observanda. Primum propter Deum, secundum propter proximum, tertium propter semetipsum est homini faciendum.

CLXIV. Quomodo rancor impedit effectum orationis.

Circa secundum notandum quod tria sunt quae praecipue (1) impediunt orationis effectum.

Primum est peccati gravis conscientia. Qui enim cum tali peccato, de quo non poenitet, accedit ad orandum, quomodo a Domino obtinebit aliquid, cum illud ante oculos ejus deferat quo eum summe offendit? Et ideo dicit Psalmus: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. *Ps. 65.*

Secundum est immisericordia. Sic enim consuevit Dominus se habere ad hominem, sicut homo ad proximum suum; et ideo quando non exaudit miseros ad se clamantes, dignum est ut nec ipse exaudiatur a Domino. *Prov. 21:* Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit ipse et non exaudietur.

Tertium est crudelitas in alterum. *Is. 1:* Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plenae sunt. Ratio autem hujus est quia laesus ut frequenter maledicit laedenti, et quia in amaritudine clamat ad Dominum, citius Dominus audit vocem ejus quam laedentis orantis. *Eccli. 34:* Unus orans et unus maledicens, cujus vocem exaudiet Dominus? Porro in rancore sive in ira conservata (2) sunt ista tria. Nullum enim peccatum est quod homo magis in corde suo possit videre quam iram talem.

Item, ira non habet misericordiam, ut dicit Salomon, *Prov. 27.*

Item, qui odit fratrem suum reputatur homicida, et hoc propter

---

(1) τὸ « praecipue » in cod. Vien. deest. — (2) Cod. Tol.: non conservata.

animi crudelitatem quam gerit. Cum ergo unumquodque istorum impediat orationem per se, quantum impedit ira conservata habens haec tria in se! Ideo dicitur, *Eccli. 28:* Homo homini conservat iram, scilicet adhuc habet eam in corde, et a Deo quaerit medelam: et hoc quoad primum; in hominem sibi similem non habet misericordiam, et in peccatis (1) suis deprecabitur: et hoc quoad secundum; ipse cum caro sit, conservat iram, et propitiationem quaerit a Deo, et hoc quoad tertium. Propter hoc volenti misericordiam impetrare in oratione dicit Spiritus Sanctus per os Sapientis, *Eccli. 28:* Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata tua solventur. Dicit et Filius, *Marc. 11:* Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester coelestis dimittat vobis peccata vestra. Dicitur et Patri, *Matth. 6:* Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; in spe quod per hoc provocatur Pater ad misericordiam. Testimonio igitur totius Trinitatis apparet quod effectus orationis in consequendo misericordiam impeditur per rancorem internum. Et ideo bene dicit vir sanctus: « invicem sibi debita relaxare debent, propter orationes vestras », ne scilicet propter rancorem tanquam indigni non exaudiantur, quia ut dicit Gregorius, quisque quod oratione (2) petit tunc adipiscitur, cum ejus animus nec in petitione inimici odio offuscatur. (3)

CLXV. De sanctitate inorationibus habenda, et ex quibus oritur, et de effectu orationum sanctarum.

Circa tertium notandum quod viri spirituales debent in orationibus suis specialiter habere tria, scilicet mentis intentionem, juxta illud, 1 *Cor. 14:* Orabo spiritu. Et ad hoc induxit Augustinus superius cum dixit: « Cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore. »

Item, frequentiam assiduitatis, (4) juxta illud *Rom. 12:* Orationi instantes. Et hoc induxit superius cum dixit: « Orationibus instate. »

Item, munditiae sanctitatem, exemplo Job dicentis: Cum haberem mundas ad Deum preces. *Job. 16.* Sanctum enim idem est quod

(1) Cod. Vien.: pro peccatis. — (2) Codd. Vien. Tol. et Grat.: quisque quod recte petit. — (3) Codd. Vien. et Sp.: suffocatur. — (4) Cod. Tol.: Item assiduitatem.

mundum. Et ad hoc inducit modo cum dicit: orationes « quanto crebriores habetis tanto sanctiores habere debetis. »

Sciendum vero quod ad sanctitatem orationum habendam cavendum est ne lingua orans peccatis inficiatur. Hieronymus: Nescio qua conscientia ea lingua quis Deum orat qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Deus, et ipse cito annuit precibus quas lingua immaculata pronuntiat.

Item, cavendum est ne manus quae levantur in oratione aliqua impuritate sint infectae. 1 *Tim. 2:* Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus. Et *post:* Similiter et mulieres.

Item, cavendum est ne aliqua superbia appareat in toto corpore, quia propter superbiam non exaudit Dominus, sicut dicitur *Job. 35;* sed e contrario debet humilitas apparere in tunsione pectoris, in genuflexionibus et similibus, quia oratio humiliantis se coelos penetrat, sicut dicitur *Eccli. 35.* Bernardus: Dum manibus pectora, genibus pavimenta tunduntur, votis et devotis precibus altaria cumulantur, sordent genae lacrymis, gemitibus atque suspiriis mugiunt diversoria, et pro forensibus causis canticis spiritualibus sacra tecta resultant, nil supernis civibus magis spectare libet, nil Regi summo jucundius exhibetur.

Item, cavendum est ne intus, in vi rationali cujus est cogitare, volatiles cogitationes congregentur, quia hujusmodi muscae morientes perdunt suavitatem unguenti, scilicet orationis. *Eccle. 10.*

Item, ne in concupiscibili inveniatur desiderium minus bonum. Hoc enim maculat et impedit orationem. *Jac. 4:* Petitis et non accipitis eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.

Item, ne in irascibili inveniatur perturbatio ad alium. 1 *Tim. 2:* Levantes puras manus, scilicet in oratione, sine ira et disceptatione.

Praeterea non solum cavendum est ne talibus vitiis maculetur oratio, sed debet oratio etiam omnem redolere virtutem tam theologicam quam virtutem politicam. (1) In ea enim fragrare debet fides, ut petatur in fide.

Similiter fiducia spei, ut orans nihil haesitet.

---

(1) Cod. Vien.: quam politicam.

Similiter charitas movens ad sanctum desiderium, quod libentius solet Dominus exaudire.

Item, prudentia, ut non noxia sed utilia petantur.

Item, debita reverentia coram majestate divina, quae pertinens est ad justitiam.

Item, perseverantia pertinens ad fortitudinem, ut in pulsando perseveretur.

Item, abstinentia pertinens ad temperantiam. Hoc enim sanctorum est orationi adjungere jejunia.

Denique ipse Spiritus Sanctus donorum omnium et virtutum distributor debet ibi inveniri, et facere postulare gemitibus inenarrabilibus.

Consurgit ergo sanctitas orationum ex carentia praedictorum vitiorum, et ex plenitudine virtutum. Propter quod dicitur, *Apoc. 5*, quod quatuor animalia et viginti quatuor seniores, per quae (1) designantur omnes sancti, habebant phialas aureas, plenas odoramentorum quae sunt orationes sanctorum: phialas, quae carent macula, quoad primum; odoramenta, scilicet virtutum, quoad secundum.

Porro hujusmodi sanctitas multam praestat efficaciam orationibus sanctorum, sicut et malitia impedimentum orationibus malorum. Inde est quod dicit Salomon, *Prov. 15*: Orationes justorum exaudiet Dominus; et e contrario fit imprecatio super peccatorem in *Ps. 108* dicente: Oratio ejus fiat in peccatum; scilicet ut non exaudiatur. Et iterum, *Ps. 33*: Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; vultus autem Domini, scilicet iracundia, super facientes mala. Et, *Joan. 9*: Scimus quoniam peccatores non audit Deus: Sed si quis cultor Dei est, hunc exaudit. Hinc est quod ad preces sancti Abraham ablata est sterilitas de domo Abimelech. *Gen. 20*: Orante Abraham sanavit Dominus Abimelech, et uxorem, et ancillas ejus, et pepererunt.

Item, ad preces sancti Moysi vincebat Israel hostes suos. *Exod. 17*: Cumque levasset Moyses manus vincebat Israel.

Item, ad preces sancti Aaron plaga ignis cessavit. *Num. 16*: Stans

---

(1) Cod. Vien.: per quos.

inter mortuos et viventes pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.

Item, ad preces sancti Job placatus est Dominus amicis suis. *Job. ult.:* Dominus conversus ab ira quam habebat contra amicos Job, cum oraret ipse pro amicis suis.

Item, ad preces sancti Heliae ablata est pluvia, et iterum reddita, *Jac. ult.:* Helias oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex; et rursus oravit, et coelum dedit pluviam, (1) et terra dedit fructum suum.

Item, ad preces sancti Stephani quas fecit, *Act. 7:* Positis genibus et clamans voce magna dixit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, secuta est postea conversio Pauli tam crudelis, ut dicunt sancti Doctores. (2)

Ex quibus omnibus et aliis innumerabilibus exemplis patet quantae virtutis sint sanctae orationes coram Deo. Nec mirum, quia delectant ipsum sicut aromata. *Apoc. 8:* Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu angeli coram Deo. Chrysostomus: Sicut thymiamata bene contrita delectant homines odorantes, (3) sic oratio justa suavis est ante Deum.

Ex iis ergo patet quid sanctitas sit orationum, et quantae sint (4) efficaciae. Et propter hoc bene dicit vir sanctus: « quas quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis », ne scilicet si crebro oratis, et effectu careant orationes propter sanctitatis defectum, tempus in hoc inutiliter consumatis.

Sequitur: **Melior est autem qui quamvis ira saepe tentetur, tamen impetrare festinat ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur, et ad petendam veniam tardius inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non proijciatur.**

---

(1) Cod. Tol.: pluvias. — (2) Cod. Tol.: ut dicunt Sancti. — (3) Cod. Vien.: homines adorantes. - Cod. Tol.: hominem odorantem. — (4) Cod. Vien.: quantae sit.

Traditis mandatis circa reparationem dilectionis turbatae, subjiungit hic diversitates eorum qui circa hoc se habent diversimode, ut ex hoc appareat qui circa hoc sunt culpabiles plus vel minus.

CLXVI. De diversitatibus quibusdam circa veniam petendam.

Sunt autem tres differentiae horum, sicut patet ex littera. Quidam enim facile irascuntur et cito veniam petunt; et hi sunt sicut aqua quae cito calefit et cito frigescit: et hoc minus malum. Quidam tardius irascuntur et tardius inclinantur ad veniam petendam; et hi sunt sicut ferrum ignitum quod tardius calefit et tardius frigescit: et hoc pejus. Quidam autem sunt qui nunquam volunt petere veniam; et hi sunt sicut lapis asbeston (1) qui accensus semel nunquam extinguitur, sicut dicit Augustinus, *De Civitate Dei:* et hoc pessimum. Propter quod dicit de istis quod sine causa sunt in monasterio.

Circa primos (2) notandum quod non dicuntur meliores propter irae frequentiam, cum secundum Jacobum, *Jac. 1,* omnis homo debeat esse tardus ad iram; sed propter celerem satisfactionem, quia ira turbat oculum rationis, et iratus, ut frequenter, quod malum est putat (3) justum. Seneca: Iratus etiam facinus consilium putat. Praedicti vero cito cognoscunt culpam suam, et ideo eorum ira non videtur multum gravis, quia non multum obscurat eorum judicium.

Item, signum est bonae naturae cum cito se purgat a nocivo, ut bona complexio a superveniente infirmitate. Ita bonae conscientiae est, cum sentit ab ira se laesam, statim eam compescere. Unde super illo verbo, *Ps. 4:* Irascimini et nolite peccare, dicit *Glossa:* Justitia est iram celeri poenitudine mitigare. Quod dicitur quia hoc pertinet ad virum justum. Dicitur de quodam rege bono christiano, qui frequenter superabatur ab ira percutiendo modo istum, modo illum, quod nunquam poterat quiescere quum aliquem laesisset, quousque illum placasset, et interdum sic laeso dabat larga munera. Quid ergo faciendum est viro religioso? (4)

Item, sicut dicit Jus, *Cap. XI. De Consuetudine:* Delicta tanto

---

(1) « Lapis asbestus.... i. e. inextinguibilis. » Joan. Jan. *Catholic.* Ex graeco ἄ-σβέννῦμι. — (2) Cod. Sp.: primum. — (3) Cod. Tol.: et iratus frequenter.... putat. — (4) Codd. Tol. et Grat.: spirituali.

graviora sunt quanto diutius tenent obligatam animam infelicem. Injuria vero quam non sequitur celeris satisfactio, diutius tenet (1) animam. Et ideo e contrario multo melior est qui post offensam, licet frequentem, cito satisfacit, quam qui tardius. Tres ergo sunt causae quare talis est melior, videlicet quia cito culpam suam cognoscit, et se cito purgat ab illa, et injuriam in alterum commissam non prolongat. Proinde bene dicit Apostolus, *Eph. 4:* Sol non occidat super iracundiam vestram. Quod implet quicumque post iram festinat veniam postulare.

Circa secundos (2) notandum quod ille qui tardat veniam petere post offensam commissam, charitatem fraternam quam turbavit differt reparare, satisfactionem suae saluti necessariam protrahit facere, iram Dei contra se exortam occasione offensae commissae in servum suum contemnit placare. Ex quibus patet (3) quod delinquit tripliciter: quoad proximum, quantum ad primum; quoad se, quantum ad secundum; et quoad Deum, quantum ad tertium.

Praeterea talis videtur laborare vitio accidiae, quia tarditas ad bonum pertinet ad accidiam. Similiter vitio irae, quae nondum videtur in eo sedata. Similiter vitio superbiae: ex superbia enim procedit quod laedens laeso satisfacere dedignatur. Est igitur triplex funiculus in collo ejus quo trahitur a daemonibus ad infernum. Dirumpamus, ait Psalmus, vincula eorum. *Ps. 2.* Et iste, cum statim possit solvere, permittit se trahi diutius, et forte antequam solvat (4) erit in carcere: quod est magna stultitia.

Item, prudentis est, cum habet inimicos multos, non pigre procurare reconciliationem cum eorum aliquibus et facere eos sibi amicos, ut eorum adjutorio fiat potentior contra alios. Similiter prudentis pauperis est sibi procurare diligenter amicitiam aliquorum qui bona sua sibi communicent. Similiter reus et accusatus apud durum judicem, si sit prudens, laborat fideliter cito facere pacem cum adversario, ut evadat duram sententiam. Cum ergo quilibet in statu praesenti habeat multitudinem daemonum se impugnantem, contra quam potest

---

(1) Cod. Tol.: detinet. — (2) Cod. Sp.: secundum. — (3) Cod. Tol.: apparet. — (4) Cod. Tol.: dissolvere... dissolvat.

eum multum juvare quilibet, cum quo habet amicitiam charitatis; et sit etiam in statu paupere quoad omnia spiritualia (1) quae sibi communicantur ab omnibus illis qui habent ad ipsum amicitiam charitativam; et insuper cum injuria alii facta habeat eum accusare coram tremendo Judice, nisi laesus satisfactione placetur, non est modicae insipientiae cum tardat quis passo injuriam satisfacere, et eum sibi reconciliare.

Circa tertios (2) notandum quod tribus de causis solet contingere quod aliquis non petit veniam a laeso. Una est cordis caecitas: ira enim obscurat animum, et non recognoscit quis interdum se culpam habere ubi habet; et quia non cognoscit culpam, non petit veniam: istud autem multum elongat a salute, quia, cum secundum Senecam initium salutis sit peccati cognitio, e contrario elongatio (3) est a salute hoc initium non habere.

Alia est simulata justitia, ut cum quis dicit: Non expedit illi ut ego me sibi humiliem, quia inde esset superbior, et similia. Si autem haec ratio bona esset, tunc non debuisset se Christus sic humiliasse, quia ejus humilitas multis fuit in ruinam. Non est ergo ratio talis bona, sed potius saluti contraria, cum secundum sapientem salus animae sit in sanctitate justitiae, non in simulatione.

Alia est superba duritia cordis, quae habebit (4) male in die novissima, quae (5) erit super cedros Libani erectas, et super quercus Basan, id est superbos et duros, sicut dicitur *Is. 2,* quando populum humilem salvum faciet et oculos superborum humiliabit. *Ps. 17.* Ex quo patet quod hujusmodi duritia superba multum impedit salutem. Bene ergo dicit vir sanctus quod talis « sine causa est in monasterio, » cum salutem ejus, propter quam sunt monasteria, impediat tam caecitas quam simulata justitia, et (6) superbia praedicta, ex quacumque vel ex quibuscumque causis istis a petenda venia retrahatur.

Praeterea sicut non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: ita non dimittitur nisi satisfiat laeso de injuria quacumque.

---

(1) Codd. Vien. et Tol.: quoad bona spiritualia. — (2) Cod. Sp.: tertium. — (3) Cod. Tol.: elongatio magna est. — (4) Codd. Sp., Grat. et Tol.: quod habebit. — (5) Codd. Vien. et Grat.:... quod erit. — (6) Codd. passim: quam.

Item, nisi concordet quis cum adversario suo, dum est in via, in fine ponitur in carcere, sicut dicitur *Matth. 5*.

Item, oblationes (1) ejus contra quem frater aliquis habet aliquid non sunt acceptae Deo, nisi prius reconcilietur fratri, sicut habetur *Matth. 5*: talis ergo peccati veniam non consequitur, nec poenam futuram (2) evadet, nec bona futura meretur. Bene ergo dicitur sine causa esse in monasterio, cum nullum istorum trium bonorum consequatur ad quae specialiter consequenda monasteria sunt instituta.

Praeterea legitur in *Vitis Patrum* quod cum abbas Moyses recessisset de quodam loco occasione cujusdam fratris qui ex invidia iram habebat cum eo, et fecisset sibi alibi cellam de qua non egrediebatur, audito semel quod ille frater invidus cum quibusdam aliis senibus declinasset ad locum vicinum, egressus contra morem de cella cucurrit ad eum, et primus poenitentiam egit apud eum, introducensque (3) eum in cellam suam, per tres dies convivatus est cum eo contra consuetudinem quam habebat jejunium non solvendi.

Item, *ibidem* legitur quod quidam monachus vulneratus a quodam, tenens manus ad vulnus, prostravit se ad pedes percutientis gratias agens.

Item, *ibidem* legitur quod dixit quidam senex quia si quis dicat alicui: Ignosce mihi, humilians se comburet daemones tentatores. (4)

Ex quibus factis et dictis apparet quod virorum religiosorum est non solum laesis ab eis humiliare se ad veniam, sed etiam injuriantibus. Juste ergo illis qui nunquam volunt petere veniam a laesis non prosunt labores quos sustinent in monasterio, vel societas sancta, vel habitus humilis, quia longe sunt a virtutibus quas viri sancti (5) per monasteria possederunt; et ideo propter praedicta bene dicitur de istis quod sine causa sunt in monasterio.

---

(1) Codd. Sp. et Grat.: Item cum oblationes..., non sint... — (2) Cod. Tol. poenas futuras. — (3) Cod. Tol.: et introducens. — (4) Codd. Sp., Grat. et Vien.: daemonis tentationes. — (5) Codd. passim: viri sanctitatis.

Sequitur: **Proinde vobis a verbis durioribus parcite. Quae si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta unde facta sunt vulnera.**

Traditis mandatis ad cavendum perturbationem dilectionis fraternae et ad reparandum turbatam, (1) ponit hic exhortationem ad utrumque. Quae sequitur ex premissis, et propter hoc dicit: « Proinde. »

Primo autem ponit principale; deinde quoddam incidens circa illud, ibi: « Quando autem necessitas, » etc. Principale vero mandatum continet duo: primo exhortationem ad cavendam dictam (2) perturbationem, cum dicit: « Proinde vobis » etc; est enim sensus, id est a verbis durioribus, infirmitati humanae mutuae providentes, cavete; secundo, reparationem (3) turbatae, ibi: « Quae si emissa » etc.

CLXVII. Contra duritiam verborum.

Circa primum notandum quod est duplex duritia scilicet: in Deum et in proximum.

Prima est triplex. Quaedam scilicet cordis, contra quam dicit Psalmus: Si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Ps. 94.* Quaedam verborum; *Judae 15:* Arguere omnes impios de duris verbis quae locuti sunt contra eum. Alia vero operum; *Joan. 8:* Tulerunt lapides Judaei, per quos intelliguntur opera dura, ut jacerent in eum.

Secunda est etiam triplex. Quaedam in corde per incompassionem in necessitatibus fraternis. Bernardus: Cor durum est quod nec compassione movetur. Et ideo justum est ut male habeat in novissimo, sicut dicitur *Eccli. 3*, ut non inveniat apud Deum misericordiam, sicut nec proximus invenit apud eum. *Prov. 28:* Qui vero mentis est durae corruet in malum, scilicet in fine. Alia est in operibus. *Exod. 1:* Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris. Alia est in verbis. *Gen. 42:* Quasi ad alienos durius loquebatur eis.

Et nota quod licet duritia cordis et duritia operum sint valde reprehensibiles, tamen frequens duritia verborum plus nocet: generat

---

(1) Cod. Vien.: turbativa. - Cod. Tol.: perturbativa. — (2) Cod. Tol.: paredictam. — (3) Codd. Vien. et Tol.: ad reparationem.

enim summam perturbationem quae est furia. *Prov. 15:* Sermo durus suscitat furorem.

Item, inducit grandem rebellionem, etiam apud magnos. *3 Reg. 12:* Respondit rex populo suo dura, derelicto consilio seniorum. Et *post:* Respondit populus: Quae nobis pars in David, aut haereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua, Israel. Et sic factum est, et secuta est inde perpetua rebellio.

Item, subtrahit amicos, et per consequens alia bona multa; propter quod dicitur *Eccli. 19:* Ne iteres verbum durum et nequam, et non minoraberis; scilicet in amicis et in aliis bonis.

Et nota (1) quod, *Gen. 31,* dixit Dominus Esau: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius. Si ergo hoc cavendum est Esau viro malo et a fratre qui multum in eum deliquisse videbatur, quanto magis cavendum est viro sancto ne dure loquatur fratri suo in Christo! Et ideo bene dicit vir sanctus: « Vobis a verbis durioribus parcite. »

CLXVIII. De malis et bonis quae fiunt per linguam.

Circa secundum notandum quod os quantum ad locutionem, quum sit in hoc organum speciale rationis, ex qua sola (2) procedunt bona et mala, est super omnia membra humana habile ad bonum et malum. Hinc est quod lingua dicitur habere manus, scilicet sinistram quoad mala quae facit, quae ducunt ad mortem; dexteram quoad bona quae facit, quae ducunt ad vitam. *Prov. 18:* Mors et vita in manu (3) linguae.

Hinc est etiam quod Dominus dicit *Matth. 12:* Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

Hinc est iterum quod dicitur (4) *Jac. 3:* Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio.

Propter quod etiam dicitur *Eccli. 37:* Ex corde quatuor partes oriuntur: bonum et malum, vita et mors; et dominatrix illorum est assidua lingua. Quod ideo dicitur quia sicut dominus habet in potestate rem suam, ita lingua habet in potestate sua ista quatuor.

Deinde notandum quod sicut lingua dicitur universitas iniqui-

---

(1) Cod. Sp.: Item nota. — (2) Codd. Tol., Sp. et Grat.: ex quo solo. — (3) Cod. Vien.: in manibus. — (4) Cod. Vien.: Hinc iterum dicitur.

tatis, *Jac. 3,* ita et abundantia bonorum egreditur ab ore; unde *Prov. 12:* De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis suis. Bonum siquidem magnum est confessio fidei quia adducit salutem. *Rom. 10:* Si confitearis Dominum Jesum Christum, id est fidem ejus, salvus eris. Hoc autem bonum egreditur ab ore. *Eodem:* Ore autem confessio fit ad salutem.

Item, bonum magnum est confessio peccatorum, quia per eam peccata remittuntur, juxta illud, *1 Joan. 1:* Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est Deus ut remittat nobis. Et hoc etiam fit per os, juxta illud *Ps. 108:* Confitebor Domino nimis in ore meo.

Item, bonum magnum est oratio per quam acquiruntur bona et dona spiritualia. Unde orantibus Apostolis venit Spiritus Sanctus cum donis suis. Hoc autem procedit ab ore. *Ps. 118:* Os meum aperui, scilicet in oratione, et attraxi spiritum, scilicet Spiritus Sanctum, cum quo omnia dona (1) spiritualia donantur.

Praeterea magnum bonum est correctio peccatorum, quia ex hac sequitur interdum salus fratris, juxta illud *Matth. 18:* Corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Et hoc etiam ex ore procedit. *Eccli. 41:* Verumtamen reveremini in iis quae procedunt de ore meo; scilicet ad correctionem quae de ore meo procedit.

Item, magnum bonum est aedificatio proximi in bonum, propter quod dicit Apostolus, *Rom. 14:* Quae aedificationis sunt invicem custodiamus. Et hoc iterum ex ore procedit. *Eph. 4:* Omnis sermo ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem.

Item, magnum bonum est subvenire indigenti in necessitate sua. Qui enim videt fratrem suum necesse habentem, (2) et clauserit viscera sua ab eo, quomodo Dei charitas est in eo, sicut dicitur *1 Joan. 3*? Potest autem quilibet, etsi non facto, (3) saltem bono verbo oris sui indigenti subvenire, consilium aliquod, vel consolatorium verbum ei dando. Ideo dicitur, *Prov. 31:* Aperi os tuum muto, et causis filiorum hominum qui te pertranseunt.

---

(1) Cod. Tol.: bona. — (2) Cod. Tol.: necessitatem habere. — (3) Codd. Sp., Vien. et Grat.: de facto.

Praeterea magnum bonum est laudare Deum; propter quod frequenter praecipitur in Scriptura. Hujusmodi vero laus procedit ab ore. *Ps. 23:* Semper laus ejus in ore meo.

Item, magnum bonum est gratiarum actio; propter quod dicit Apostolus, *1 Thess. 5:* In omnibus gratias agite. Et hoc iterum procedit ab ore. *Apoc. 7:* Dicentes: Gratiarum actio Deo nostro! Auditus enim est eorum quae procedunt ab ore.

Item, magnum bonum est honorare Deum; propter quod frequenter invitamur ad hoc. Hoc autem fit ore. *Rom. 15:* Unanimes uno ore honorificetis Deum.

Et nota quod laus, et gratiarum actio, et honorificentia Dei in hoc differunt quia laus est de bonis quae habet in se Deus, gratiarum vero actio est de bonis nobis collatis, honoratio vero de eisdem coram aliis exhibita.

Sunt ergo novem bona praedicta quae procedunt ex ore, quorum tria prima respiciunt proprium commodum, alia tria utilitatem proximi, alia tria gloriam Dei, ut patet diligenter intuenti.

Item, notandum quod licet ex ore bona et mala procedant, et possunt tot bona fieri ore, ut praedictum est, tamen viri boni utuntur ore in bonum, proferentes de thesauro cordis sui bona; mali autem utuntur eo in malum, de thesauro suo proferentes mala. Hinc est quod dicitur de bono viro, *Eccli. 6:* Lingua eucharis, id est bona et gratiosa, in bono homine abundavit; de malo vero, *Ps. 49:* Os tuum abundavit malitia.

Item, de bono, *Prov. 10:* Os justi parturit sapientiam; de malo vero, *eodem 15:* Os fatuorum ebullit stultitiam.

Item, de bonis, *Prov. 10:* Labia justi considerant placita, scilicet coram Deo et hominibus; de malis vero, *eodem:* Os malorum (1) perversa.

Item, boni non loquuntur nisi cum praemeditatione, juxta illud, *Ps. 36:* Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium, id est sententiam examinatam; mali vero praecipitanter loquuntur, juxta illud, *Ps. 51:* Dilexisti omnia verba praecipitationis, lingua dolosa.

(1) Codd. Tol. et Grat.: impiorum.

Item, boni ruminant verba sacra tanquam species aromaticas et confortativas, secundum quod praedictum est, prophetante sancto Jeremia, *Jer. 1:* Ecce dedi verba mea in ore tuo. Mali vero habent os plenum stercoribus malorum verborum, quae ruminant quotidie; propter quod dicitur, *Ps. 5:* Sepulchrum patens est guttur eorum; quia foetet ad modum sepulchri, propter talia mala verba.

Item, boni utuntur ore ad Dei laudem, juxta illud, *Ps. 50:* Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Mali vero utuntur in damnum proximi, juxta illud *Ps. 13*: Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Ipsi enim malis dictis frequenter amaricant proximos suos.

Item, os bonorum frequenter est organum Spiritus Sancti, juxta illud, *Matth. 10:* Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Os vero malorum organum est diaboli, juxta illud, *3 Reg. 22:* Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus; quod dixit spiritus nequam de malis prophetis.

Denique viri boni pauca loquuntur; mali vero multiloqui sunt multa loquentes.

Illi loquentes bona proferunt, isti maliloqui sunt cogitantes et loquentes malitiam.

Illi loquentes loquuntur utilia, isti vaniloqui loquuntur (1) vana.

Illi honesta, isti turpiloqui turpia.

Illi vera, isti falsiloqui falsa.

Illi prudentia, (2) isti stultiloqui stulta. (3).

Illi humilia, isti magniloqui sublimia.

Et sicut Dominus dedit bonis linguam mercedem suam, ita lingua sua labuntur mali in perditionem.

Notandum iterum (4) quod sicut lingua dicitur vulnerans, *Jer. 9;* ita et lingua dicitur curationis, *Eccli. 36.* Propter hoc bene comparatur serpenti in *Ps. 139,* ubi dicitur: Acuerunt linguas suas sicut serpentis. De serpente enim egreditur venenum nocens, et thiriaca sanans illud nocumentum. Propter hoc etiam lingua bonorum com-

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: sunt loquentes. — (2) Codd. Tol., Sp. et Vien.: prudentiam. — (3) Codd. Grat. et Sp.: stultitiam. — (4) Codd. Vien et Sp.: igitur.

paratur linguae canis in *Ps. 67*, ubi dicitur : Lingua canum; quia canis, etsi mordeat ore, interdum tamen habet linguam medicinalem contra ulcera. (1) Ita et lingua humana. *Prov. 12:* Lingua sapientum sanitas. Propter hoc etiam dicitur *Eccli. 28:* Utraque ex ore proficiscuntur, scilicet flatus accendens ignem, et sputum (2) extinguens; quia sicut ore laedit quis alium, ita potest ore laesionem mitigare.

Patet ex jam dictis quod os valde labile et habile est ad bonum et ad malum, quod valde timendum est. Propter quod dicit Sapiens, *Eccli. 22:* Quis dabit ori meo custodiam, et labiis meis signaculum certum, ut non cadam ex ipsis, (3) et lingua mea perdat me?

Item, quod aliqui facilius ea utuntur (4) in malum quam in bonum, quod valde cavendum est. Propter quod dicit Psalmus: Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. *Ps. 38.*

Item, quod os ipsum aptum est ad placandam laesionem illatam, quod valde curandum est. Propter quod dicitur, *Ps. 121*: Rogate quae ad pacem sunt; rogando scilicet verbis quem laesistis, (5) ut ad pacem redeat.

Vae illis qui non timent periculum linguae! Sed deterius vae illis qui non cavent peccata (6) linguae! Sed super omnes vae illis qui nolunt verbis placare quos offenderunt verbis, contemnentes mandatum viri sancti dicentis: « non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta unde facta sunt vulnera! »

Sequitur: **Quando autem necessitas disciplinae in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, etiamsi ipsi modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.**

Quoniam ex praecedenti mandato, in quo dictum est quod si

---

(1) Cod. Tol.: vulnera. — (2) Codd. Vien., Grat. et Sp.: spiritus. — (3) Codd. Vien. ex addit, et Tol.: ab ipsis. — (4) Codd. Vien. et Sp.: ducuntur. — (5) Cod. Sp.: quem verbis laesistis. — (6) Cod. Sp.: a peccato.

emissa fuerint dura verba ex ore, eodem ore petatur venia, posset quis credere (1) quod hoc in omni casu esset faciendum, ponit incidentaliter casum in quo est exceptio, scilicet in praelato et subdito.

Determinat autem duo circa hoc: primo de modo se habendi in hoc casu praelati ad subditum; secundo de modo se habendi ad Deum, ibi: « Sed tamen petenda est venia » etc.

Circa primum vero notandum quod hic ponitur quod posset contingere quod praelatus in duris verbis excederet erga subditum, non causa regiminis, sed alia de causa mala, ut odii, vel invidiae, vel hujusmodi.

Item, causa regiminis posset excedere in casibus (2) in quibus non concurrit necessitas disciplinae, ut in quibusdam minimis, quae non sunt alicujus necessitatis.

Item, posset excedere in casu in quo non compelleretur ad hoc, ut cum alias (3) simplicibus verbis exhiberent (4) se subditi corrigibiles.

In iis autem casibus est reprehensibile in praelato duris verbis uti ad subditos. Et ideo dicit: « in moribus coercendis, » contra primum; et: « necessitas disciplinae, » contra secundum; et: « compellit, » contra tertium, ostendens in quo casu sit hoc tolerabile.

Item, in hoc quod dicit: « non a vobis exigitur, » non negat quin possit fieri, etsi ab hoc excusatur praelatus.

Item subdit causam hujus cum dicit: « ne apud eos, » etc. Tria autem tanguntur in hoc verbo, scilicet circumstantia casus, (5) cum dicit: « Quando autem; » excusatio ab humiliatione sequente, cum dicit: « etiamsi ipsi vos; » et causa hujus, ibi: « ne apud eos quos oportet » etc.

CLXIX. Quod interdum duris verbis possunt uti praelati ad suos subditos.

Ex primo patet reprehensio quorumdam qui putant quod praelatus nunquam debeat dure loqui subditis suis, sed semper mansuete. Sicut enim propter duros lapides inventi sunt mallei duriores, sic quorumdam duritia

(1) Codd. Tol. et Vien.: posset credi. — (2) Codd. Sp. et Vien.: in eisdem casibus. — (3) Cod. Sp.: aliquibus. — (4) Cod. Vien.: exhibent. — (5) Codd. Vien. et Tol.: circumstantiae.

requirit ut causa disciplinae duris verbis corrigantur. Inde est quod Apostolus dicit discipulo de discipulis suis, *Tit. 1:* Increpa illos dure

Hujus autem exemplum reliquerunt nobis patriarchae. Quid enim durius quam quod (1) dixit Noe, *Gen. 9*, filio suo: Maledictus puer Chanaam?

Item, *Gen. 49*, Jacob ad Ruben dixit: Non crescas. Et ad Simeonem et Levi, *eod.*: In consilium eorum non veniat anima mea. Maledictus furor eorum. Similiter et tribus sacerdotalis, quae habuit praeesse populis (2) in iis quae Dei erant, idem exemplum reliquit. Inde est quod Heli cum posteritate sua reprobatus est a sacerdotali dignitate, quia non dure sed molliter correxit filios suos. Audierat siquidem quomodo filii ejus dormiebant (3) cum mulieribus quae observabant ad ostium tabernaculi, et dixit eis molliter: Quare fecistis hujuscemodi res quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite, filii mei: non est enim bona fama quam ego audio. 1 *Reg. 2.* Levitae etiam leguntur pronuntiavisse maledictiones (4) super transgressores Legis, *Deut. 27.* Prophetae quoque hoc idem fecerunt, licet Dei spiritu loquerentur. Unde, *Is. 48*, ad populum Jacob: Scio quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua aerea est. Et, *Ier. 30*, ad populum: Propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt peccata tua. Et multa similia inveniuntur apud alios prophetas.

Apud Apostolos etiam idem invenitur. Unde Petrus, *Act. 5*, ad Ananiam: Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Et Paulus, *Gal. 3*: O insensati Galatae, quis vos fascinavit? Et similia multa.

Discipuli etiam Apostolorum hoc idem fecerunt. Unde Stephanus, *Act. 7*, ad Judaeos quibus predicabat: Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut et patres vestri. Et Paulus Timotheo discipulo suo praecepit, 2 *Tim. 4*, dicens: Argue, increpa; quod significat in duritiam. (5)

Item Moyses legislator, licet esset mansuetissimus omnium ho-

---

(1) Cod. Sp.: nisi quod. — (2) Cod. Tol.: populo. — (3) Codd. Sp. et Vien.: dormierant. — (4) Codd. Vien. et Tol.: Levitae etiam legunt maledictiones.... — (5) Cod. Vien.: quod signat(?) induritiam. Cf. Ducange, *Gloss.*

minum qui erant super terram, *Num. 12,* tamen dure loquutus est Judaico (1) populo dicens, *Deut. 31:* Scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam; et similia multa.

Item Joannes Baptista praedicator primitivus dicit in sua praedicatione turbis Judaeorum: Genimina viperarum. *Luc. 3.* Et Dominus eisdem, *Joh. 8:* Vos ex patre diabolo estis; et similia multa.

Cum ergo patriarchae, et tribus sacerdotalis, et prophetae, et apostoli, et eorum discipuli, et lator Legis veteris, et medius utriusque Legis, et ipse Salvator usi sunt durissimis (2) verbis ad homines, quis audeat condemnare praelatum similia facientem da subditos causa disciplinae? Bene ergo dicit vir sanctus: « quando necessitas disciplinae dicere vos dura verba compellit »; quia aliquando hoc sine dubio contingit.

CLXX. De quibusdam reprehensibilibus circa humilitatem.

Circa secundum notandum quod, licet causa disciplinae interdum liceat praelato in dura verba prorumpere, tamen potest in hoc excedere modum; nec tamen sic excedendo tenetur se (3) humiliare usque ad petendam veniam. Non enim omnis humilitas est virtuosa.

Est enim quaedam humilitas necessitatis, qua scilicet quis humiliatur ab alio. *Ps. 106:* Propter injustitias enim suas humiliati sunt. Et haec nec est bona, nec mala, nisi propter usum vel abusum.

Alia est adulatoria, ut cum quis alicui cujus beneficio indiget, humiliat se variis modis. *Eccli. 29:* Donec accipiant, osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam.

Alia est falsa, ut hypocritarum quorum interiora non respondent exterioribus. *Eccli. 19:* Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo.

Alia est malitiosa, ut cum inimicus alicujus humiliat se coram eo, ut ex hoc possit ei in aliquo efficacius nocere, sicut vulpes quae se humiliat usque ad terram applicans ventrem, ut melius capiat gallinam non se observantem ab ea. *Eccli. 12:* Ne credas inimico tuo in aeternum; sicut enim aeramentum aeruginat malitia ejus, et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo.

---

(1) Cod. Vien.: loquens Judaico.... — (2) Cod. Tol.: duris. — (3) Codd. passim: se sic.

Alia est stulta, ut cum quis ex simplicitate non sustinet sustinenda. (1) Contra quod dicitur, *Eccli. 13:* Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.

Alia est superstitiosa, quae scilicet est in rebus supervacuis. *Coloss. 2:* Neque tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum: quae sunt quidem rationem habentia in superstitione et humilitate, id est in superstiosa humilitate.

Alia est nimia, ut cum quis se humiliat ultra quam deceat statum suum. *Eccli. 19:* Est qui (2) se submittit nimium multa humilitate; et sic facit praelatus qui propter excessum in duro modo loquendi petit veniam a subdito, quod quia non est necessitatis, bene dicit: « non a vobis exigitur » etc.

Quod si quaeratur cum hoc possit fieri et non fieri, quid sit melius, potest dici quod secundum diversas conditiones (3) eorum a quibus petuntur hujusmodi veniae, et assistentium, potest hoc judicari. Si anim tales ex hoc magis in bonum proficiunt, possunt haec fieri; si autem inde abutuntur in superbiam, ut cum quis ex hoc putat se minus reum, vel praelatum magis culpabilem, vel fit audacior ad culpas perpetrandas, et similia, melius est non fieri. Neque enim Dominus Judaeis (4) scandalizatis ex ejus dictis vel factis legitur unquam satisfecisse: et hoc quia sciebat quod non proficerent ex hoc, quamvis discipulis interdum in simili casu satisfaceret.

CLXXI. De auctoritate regiminis conservanda.

Circa tertium notandum quod Rector Universi non solum habet summam sapientiam (5) per quam prudenter gubernat omnia, et summam bonitatem per quam omnia disponit utiliter, sed etiam summam potentiam cui in suo regimine non potest resisti. Propter quod dicitur ab Ecclesia Rector potens, (6) juxta illud *Sap. 12:* Subest tibi, cum volueris, posse.

Item spiritibus angelicis qui habent regere non solum homines, sed et provincias et regna, data a Deo est maxima potestas ad

---

(1) Codd. passim: sustinet non sustinenda. — (2) Cod. Vien.: est justus qui.... — (3) Cod. Tol.: circumstantias. — (4) Cod. Tol.: Pharisaeis. — (5) Codd. Vien., Grat. et Sp.: prudentiam. — (6) In hymno Horae Sextae.

faciendum ea que pertinent ad commissiones sibi factas. (1) *Ps. 102:* Omnes angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius.

Item, homini in prima conditione super omnia constituto est data a Creatore maxima potestas super sibi subjecta, ad ea coercenda. *Eccli. 17:* Dedit illi potestatem eorum quae sunt super terram; posuit timorem illius super omnem carnem.

Item, superioribus corporibus quae habent regimen super inferiora data est potestas immutabilis ab inferioribus, secundum Psalmistam, *Ps. 140:* Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi; id est sic firmavit ut mutabilitatem non recipiant.

Item, in minori mundo spiritui qui habet regimen super corpus data est tanta potestas, ut corpus in nullo possit super eum praevalere. *Gen. 4:* Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Quod intelligitur de subjectione carnis ad spiritum.

Item, Moysi a Deo misso ad regimen populi data est virga quae tantae virtutis erat, ut (2) in ipsa faceret magna, et mira, et innumerabilia, sicut patet in *Exodo.*

Item, Apostolis constitutis principibus super omnem terram data est mirabilis potestas a Domino, non solum in ligando et relaxando, sed etiam in miracula faciendo. (3) *Luc. 9:* Dedit illis potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent.

Cum ergo tanta potestas annexa inveniatur in omnibus istis regimem habentibus, et potestas auctoritatem habeat, patet quantum conveniat auctoritatem in rectore vigere, ut possit subditos potenter regere, juxta illud *Ps. 2:* Reges eos in virga ferrea.

Sciendum vero quod enervatio auctoritatis in rectore inducit contemptum ipsius qui in honore debet esse inter subditos. Propter quod dicit Apostolus e converso, (4) *Tit. 2:* Argue cum omni imperio; nemo te contemnat.

Item, verba ejus quae expedit a subditis magna aestimari facit minus reputari. Moris enim est apud homines ea quae viri authentici

---

(1) Cod. Tol.: commissionem sibi factam. — (2) Cod. Tol.: virga tantae virtutis ut.... — (3) Cod. Tol.: in miraculis faciendis. — (4) Codd. Vien. et Tol.: e diverso.

dicunt, etiam si minus valentia sunt, magna reputare; et quae minus authentici dicunt, etiamsi praevaleant, minora reputare. *Eccli. 13:* Dives locutus est, et verbum ejus usque ad nubes extulerunt; pauper locutus est, et dicunt: Quis hic? Et hoc propter personarum auctoritatem majorem vel minorem.

Item, licet rectori obediendum sit sicut Christo, juxta illud: Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit, *Luc. 10,* tamen minor auctoritas facit ei minus obediri, (1) unde nolentes obedire David dicebant: Quis est iste David? aut quis filius Isai? id est qualis est auctoritatis, (2) ut obediamus ei, sicut patet 1 *Reg. 25,* et in aliis locis multis.

Ex enervatione ergo seu fractione auctoritatis in rectore sequuntur contemptus ipsius et verborum ejus, vilipensio, et minor ad eum obedientia, quae sunt valde damnosa.

Porro auctoritas praelati enervatur quandoque a causis extrinsecis, quandoque ab intrinsecis. Ab extrinsecis, quandoque per indiscretas restrictiones, ut cum per constitutiones humanas indiscrete restringitur posse praelati; quandoque per stultas exemptiones, ut cum aliquis eximitur (3) sine causa multum rationabili a potestate sui praelati; quandoque per nimiam subjectae multitudinis libertatem, ut cum subjectis conceditur libertas nimia in praelatorum suorum limitatione, (4) vel in eorum potestate reprimenda: sunt enim multi qui nimis proni ad hoc inveniuntur more puerorum (5) qui libenter frangunt virgas eos disciplinantes, et excutiunt a se magistrum hoc facientem.

Ab intrinsecis vero, quandoque per culpam propriam, ut cum quis sua mala vita suam auctoritatem maculat, et contemptibilem reddit; quandoque per defectum facti authentici, ut cum quis non invenitur talis in facto qualis in verbo, quia non facit factum aliquod suae conveniens dignitati, quamvis habeat verba magna; quandoque

---

(1) Cod. Tol.: faeit minus audiri. - Codd. Vien. et Sp.: obedire. — (2) Cod. Tol.: Quis iste filius Isai? id est cujus auctoritatis.... — (3) Cod. Vien.: aliqui eximuntur. — (4) Cod. Vien.: mutatione. - Cod. Tol.: imitatione. — (5) Codd. Vien. et Sp.: more puerili.

ex indiscreta ad subjectos humilitate, ut in casu praesenti : haec enim omnia infringunt auctoritatem rectoris.

Cum igitur, sicut patet ex praedictis, omni regimini annexa debeat esse auctoritas, et ex minoratione ejus multa mala sequantur, et per humiliationem nimiam ad subditos enervetur, bene dicit vir sanctus : « non a vobis exigitur ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas, » quae scilicet annexa semper debet esse regimini, et illaesam expedit conservari.

Sequitur : **Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos quos plus justo forte corripitis quanta benevolentia diligatis.**

Tradito mandato de modo (1) se habendi ad subditum in excessu durorum verborum causa disciplinae, ponit hic mandatum de modo se habendi ad Deum in eodem casu.

Dicit autem duo : unum de petitione veniae a Deo in hoc casu; aliud de confidentia (2) obtinendi, ubi dicit : « qui novit eos, » etc.

Sed quaeritur circa primum utrum talis peccet in proximum. Si dicatur quod sic, tunc tenetur ei de injuria, et per consequens ad satisfactionem; si non, tunc non videtur in aliquo peccasse, quia aliquod genus peccati non commisit. Quare ergo petet veniam a Deo?

Respondeo : Potest esse quod talis excedit in modo correctionis; et tamen non peccat in proximum, quia ille dignus est forte tanta vel majori correctione, quamvis corrigens eum modo indebito illam exerceat.

Praeterea, si deliquit in proximum, tamen non tenetur ei ad satisfactionem veniae, si ex hoc laeditur bonum commune, scilicet auctoritas; sicut non tenetur aliquis dominus ad satisfactionem alicujus restitutionis cum laesione hominum suorum, cum indebite extorqueat illud ab illis.

Item, etiamsi posset fieri talis satisfactio sine laesione praedicta,

---

(1) Codd. Vien. et Tol.: circa modum. — (2) Cod. Vien.: ex correct.: fiducia.

tamen non tenetur tantum subdito suo, qui est quasi res sua, quantum alieno; sicut nec servo suo quis tantum tenetur quantum alieno.

CLXXII. Casus notabiles in quibus est petenda venia a Domino.

Et notandum quod sunt quaedam super quibus viri sancti solent petere veniam a Domino, quamvis hominum communitas hoc non faciat.

Petunt enim veniam ab occultis, quae scilicet formidant se habere, quamvis nesciant. *Ps. 18:* Ab occultis meis munda me.

Item ab alienis, quae videlicet contrahuntur ex cohabitatione cum malis, eis adulando, vel eos non corrigendo, vel in aliquo malo (1) participando. *Ps. eod.:* Et ab alienis parce servo tuo.

Item, a peccatis puerilibus. *Ps. 24:* Delicta juventutis meae ne memineris.

Item, a peccatis ignoranter commissis. *Ps. 24:* Et ignorantias meas ne memineris.

Item, a peccatis omissionis, quae multi non reputant. Unde cantat Ecclesia: Mandatis tuis non obedivimus; sed da gloriam nomini tuo, et fac nobiscum secundum multitudinem misericordiae tuae.

Item, a peccatis quotidianis ex corruptione humana orientibus. *Matth. 6:* Libera nos a malo, scilicet concupiscentiae, quod quasi inevitabiliter ad peccata innumerabilia inclinat.

Item, a malis malarum circumstantiarum in bono, quae maculant (2) justitias nostras, ut hic cum dicit petendam veniam ab excessu correctionis quae bona est.

CLXXIII. Quod magis dilecti sunt magis asperius corrigendi.

Circa secundum notandum quod magis dilecti sunt asperius corrigendi. Hinc est quod dicit Dominus, *Apoc. 3:* Ego quos amo non solum arguo, inquit, verbis, non solum castigo disciplinis: sed arguo, inquit, et castigo, utrumque faciens ad corrigendum asperius.

Hinc iterum dicit per Ezechielem, *Ezech. 16:* Auferetur zelus meus a te, et quiescam ne irascar amplius. Ex quo patet quod iracunda correctio procedere debet ex zelo qui est amor incensus.

---

(1) Cod. Tol.: male. — (2) Cod. Vien. ex addit: inclinant.

Hinc iterum dicit Sapiens, *Eccli. 30:* Qui diligit filium assiduat ei flagella. Quod asperius est quam verba.

Hinc iterum Salomon, *Prov. 27:* Meliora sunt verbera diligentis quam odientis fraudulenta oscula; innuens quod ex amore oriuntur verbera, licet sint gravia.

Hinc iterum, *Is. 11:* Egredietur virga de radice Jesse; quod interpretatur incendium, quia magnum amoris incendium non potest carere virga correctionis ad dilectum. (1)

Hinc iterum reperitur quod Dominus per prophetas asperius locutus est populo suo dilecto specialiter quam gentilibus; et tribui Juda, quam dilexit specialius, quam Israel sive Samariae, sicut patet *Ezech. 23*, sub figura sororum Oollae et Oolibae.

Hinc iterum dicit philosophus Seneca: Amici vitia frangenda sunt; non amo nisi offendero. Amoris ergo est prorumpere in corrigendo usque ad offensam dilecti.

Multi quoque sapientes mundi reperiuntur qui ad filios dilectos nunquam ostendunt nisi asperitatem in vultu et in verbis, timentes illud sapientis, *Eccli. 30:* Lacta filium tuum, et paventem te faciet; lude cum eo, et contristabit te.

Zelotypi quoque uxorum suarum quanto plus eas diligunt, tanto sunt plus eis duriores in disciplina.

Multi etiam sancti viri reperti sunt qui ad discipulos suos magis dilectos solent habere verba duriora et magis extranea.

Proinde non est adscribendum malitiae, sed potius benevolentiae, si causa disciplinae rector interdum excedat in modo. Et ideo bene dixit: « qui novit eos quos plus justo forte corripitis quanta benevolentia diligatis, » quia excessus hujusmodi oritur frequenter ex dilectionis excessu.

Non est autem hoc bonum allegandum in oratione praesumptionis animo, sed ad fiduciam obtinendi confortandam, sicut Ezechias, *Is. 38*, dixit orando: Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim.

---

(1) Cod. Tol.: ad dilectionem.

Sequitur: **Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.**

In hoc capitulo quinto quod est de dilectione fraterna, tradit hic mandatum ultimum (1) circa dilectionis modum, dicens tria, scilicet inter quos debet esse, cum dicit: « inter vos »; et qualis non debet esse, quia « non carnalis »; et qualis debet esse, quia « spiritualis. »

CLXXIV. De modo dilectionis inter fratres.

Circa primum notandum quod ad hoc ut (2) esset magna dilectio inter suos, Christus super hoc dedit speciale mandatum, dicens, *Joan. 15:* Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem.

Item, speciale dedit de hoc exemplum, dicens, *ibid.:* Sicut dilexi vos.

Item, specialem (3) reliquit super hoc executorem, scilicet Joannem, (4) ut patet in *Epistolis* suis.

Quod licet sit inter omnes servandum, tamen inter religiosos ejusdem professionis magis debet vigere dilectio hujusmodi. Similitudo enim est causa dilectionis, *Eccli. 13:* Omne animal diligit sibi simile; sicut ovis ovem, columba (5) columbam, et sic de aliis.

Item membrum quodlibet alicujus corporis naturaliter diligit membra ejusdem corporis. 1 *Cor. 12:* Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Quod est propter mutuam dilectionem naturalem.

Item, inter Christi discipulos non debet esse invidia, vel discordia, (6) sed dilectio mutua. *Joan. 13:* In hoc cognoscent omnes quod (7) mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.

Cum ergo religiosi sint professionis ejusdem, et simillimi (8) sint in omnibus, et ejusdem corporis membra, et Christi speciales discipuli, quanta debet esse dilectio inter eos?

Praeterea, secundum legem Christi, debemus diligere inimicos.

---

(1) Cod. Tol.: ultimo. — (2) Codd. Vien. et Sp.: ad hoc quod.... — (3) Cod. Vien.: specialiter. — (4) Cod. Tol.: executorem Joannem. — (5) Cod. Sp.: columbus. — (6) Cod. Grat.: discordia nulla: — (7) Cod. Vien.: quoniam. — (8) Cod. Tol.: similitudinis sint....

Matth. 5: Diligite inimicos vestros. Et similiter extraneos; *Lev. 19:* Diligite advenas quasi vosmetipsos. Similiter etiam malos; *Matth. 5:* Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est, scilicet per imitationem, qui solem suum oriri facit super bonos et super malos. Unde patet quod beneficium dilectionis ejus Deus vult extendere non solum super bonos, sed etiam super malos. Si ergo ad inimicos, et ad extraneos, et ad malos etiam debemus dilectionem nostram extendere, quanto magis fratres qui et amici sunt, et domestici, et viri sancti, debent intime diligi!

Circa secundum notandum quod « carnalis » dilectio dici potest uno modo qua diligitur quis ad carnalia, sicut diligit mundus quos diligit ad ea que sunt mundi. Alio modo qua diligitur quis ob carnalia, scilicet ob carnales gratias, ut est pulchritudo et hujusmodi, quia in multorum cordibus inducunt (1) affectiones corruptas. Alio modo qua diligitur quis dilectione originata a carne, sicut diligunt propinqui propinquos carnales et cumpatriotas.

Non ita dilexit Christus suos, quia non ad temporalia bona, quae eos docuit contemnere; sed in finem, inquit Joannes, dilexit eos, *Joan. 13,* id est ad bona spiritualia coelestia, quae sunt finis ad quem debent omnes tendere.

Item, non propter carnales gratias, sed propter spirituales dilexit: (2) unde Joannem, quia virgo et quasi innocens fuit, specialiter dicitur dilexisse. *Joan. 19.*

Item, non ex naturali propinquitate solum, quia sic magis angelos dilexisset, quos tamen nusquam apprehendit, *Hebr. 2;* sed ex spirituali radice charitatis. Propter nimiam, inquit, charitatem qua dilexit nos. *Eph.* 2. Et quia non vult hujusmodi dilectiones carnales esse in nobis, ideo dicit, *Joan. 15:* Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: hoc est, non sicut mundus qui diligit ad bona temporalia; (3) non sicut mali, qui diligunt ob carnalia; (4) non sicut propinqui carnis, qui diligunt solum dilectione ex carne nascente: sed sicut ego qui diligo ad bona spiritualia, et propter bona spiri-

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: inducit. — (2) Cod. Vien.: diligit. — (3) Cod. Vien.: carnalia. — (4) Codd. Sp. et Grat.: ad carnalia.

tualia, et ex spirituali radice. Hujusmodi vero dilectio bene « spiritualis » dicitur propter ista. Bene ergo dicit vir sanctus: « Non carnalis » debet esse dilectio vestra, (1) « sed spiritualis, » quia talem vult Christus inter nos (2) esse dilectionem, sicut fuit ejus ad nos, quae non carnalis sed spiritualis fuit.

Circa tertium notandum quod est quaedam dilectio turpis hominum ad invicem, quae oritur ex vitio concupiscentiae carnalis: et haec est mala, nec unquam debet esse, nec etiam debet nominari inter servos Dei.

Alia est naturalis (3) quae oritur ex natura carnis, secundum illud quod dicitur, *Eph. 5:* Nemo unquam carnem suam odio habuit. Et haec, cum sit naturalis, de se non est bona vel mala meritorie, nisi per excessum vel diminutionem; et haec solum (4) non debet etiam esse inter eos.

Tertia est quae oritur ex (5) virtute. 2 *Tim. 1:* Dedit nobis spiritum virtutis et dilectionis; hoc est virtuosae dilectionis: et haec debet esse inter eos.

Porro duae primae dici possunt carnales, quia vel a vitio carnis, vel a natura carnis oriuntur. Haec autem spiritualis, quia oritur ex charitate quae per Spiritum diffunditur in cordibus: et haec est quam apud Colossenses fuisse didicerat Apostolus per epistolam dicens cum gratiarum actione, *Coloss. 1:* Qui manifestavit nobis dilectionem vestram in Spiritu; id est spiritualem dilectionem.

Porro haec dilectio spiritualis, quae est dilectio charitatis, differt ab aliis dilectionibus in multis quae sunt ad ejus laudem.

Est enim quaedam dilectio quae versatur quandoque circa aliqua inhonesta. Contra quod Valerius Maximus narrat (6) quod cum quidam rogaretur ab amico suo quod faceret quoddam, (7) et rogatus attendens quod illud esset inhonestum respondisset (8) quod hoc non faceret, quia erat inhonestum, et rogans diceret: Quid ergo prodest mihi

---

(1) Cod. Vien.: inter vos dilectio vestra. — (2) Cod. Vien.: vos. — (3) Cod. Vien.: carnalis. — (4) Cod. Vien.: et haec sola. — (5) Cod. Grat.: oritur etiam ex.... — (6) Cod. Tol.: dicit. — (7) Codd. Vien. et Tol.: faceret quiddam. — (8) Cod. Vien.: respondisset.

amicitia tua, si non feceris (1) aliquid inhonestum pro me? rogatus respondit: Et tua quid mihi prodesset, si pro ea facerem inhonestum? Inde est quod dicit Tullius: Haec est lex in amicitia ut nihil turpe rogemus, neque rogati faciamus. Quod sancti implentes solent dicere iis quos ex charitate diligunt: Obsecro; hoc est ob sacrum rogo.

Illa ergo dilectio prima inter malos est etiam mala; haec autem inter bonos est etiam bona. *Eccli. 6:* Qui timet Deum aeque habebit amicitiam bonam, quomodo (2) secundum Deum est amicus illius.

Item, est alia quae in sola apparentia consistit. *Eccli. 37:* Est amicus solo nomine amicus. Contra quod, *Rom. 12:* Dilectio sine simulatione. Et talis est dilectio charitatis. *2 Cor. 6:* In charitate non ficta; quae scilicet nescit fictionem.

Item, est alia dilectio verbosa. *Job. 16:* Verbosi amici mei. *Ps. 77:* Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo. Non talis est dilectio charitatis: immo est ex intimis cordis. 1 *Tim. 1:* Finis autem praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

Item, sunt quidam qui dicunt se diligere alios, sed nunquam ostendunt hoc in effectu. Contra quod dicitur de quodam philosopho quod dixerit: Tantum diligo inimicum qui nihil mali mihi facit, sicut et amicum qui nihil boni mihi facit. *Eph. 5:* Ambulate in dilectione. In dilectione enim non ambulant qui ex dilectione nullum bonum faciunt. Talis autem non est charitatis dilectio, quia secundum Gregorium nunquam est otiosa.

Item, sunt alii qui etsi aliquid faciant pro dilecto, (3) tamen non magna. Contra quod de charitate dicit Gregorius: Operatur magna, si est. Et, 1 *Joan. 3:* In hoc cognoscimus charitatem Dei quia ille animam suam posuit pro nobis: et nos debemus animas pro fratribus ponere.

Item, sunt aliqui qui non diligunt nisi diligentes se prius. Dilectio vero charitatis sine meritis praecedentibus exhibetur. 1 *Joan. 4:*

---

(1) Cod. Vien.: faceres. — (2) Cod. Vien.: quoniam. — (3) Cod. Tol.: dilectione.

In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus eum, sed ipse prior nos dilexit.

Item, sunt alii qui diligunt propter spem retributionis humanae; et dilectio hujusmodi reciproca in sui commodum negotiatio dici potest. Hieronymus: Ista quam tu describis negotiatio est, non amicitia. Quae ad commodum accedit, quia quid (1) sit consecutura spectat. Dilectio vero charitatis respicit utilitatem dilecti, etiamsi retribuatur malum pro bono, et odium pro dilectione. 2 *Cor. 12:* Ego libentissime impendam et superimpendar pro animabus vestris, licet plus vos diligens a vobis minus diligar. Quod exponit Augustinus de dilectione charitatis.

Felix igitur dilectio, et omni laude quam digna, quae nihil habet inhonestatis, nihil fictionis; (2) quae non in verbis solum, sed in corde; nec in corde solum, sed in opere consistit; quae magna agit, et sine meritis praecedentibus, et sine spe retributionis humanae!

Denique sciendum quod beatus Johannes, cui fuit specialis cura de dilectione fraterna inter homines habenda, ponit sex utilitates hujusmodi dilectionis ad eam efficacius persuadendam.

Prima est certitudo de resurrectione spirituali. 1 *Joan. 3:* Nos scimus quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.

Secunda est illuminatio mentis. Sicut enim recedente fumo remanet claritas in domo, ita recedente turbatione ad fratrem quae mentem obscurat, remanet charitas quae clare facit videre et judicare de rebus. 1 *Joan. 2:* Qui diligit fratrem suum, in lumine permanet.

Tertia est evitatio scandali passivi. Sicut enim mater ex dilectione quam habet ad filium sustine tomnia quae facit ei, licet gravia, ita et dilectio fraterna omnia sustinet. *Eodem:* Qui diligit fratrem suum scandalum in eo non est. *Glossa:* Qui diligit fratrem suum tolerat omnia propter unitatem carnis. (3)

Quarta est divinae (4) dilectionis indicium. 1 *Joan. 4:* Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo

---

(1) Cod. Vien.: quae quid. — (2) Cod. Tol.: vel fictionis. — (3) Codd. Vien. et Tol.: charitatis. — (4) Cod. Tol.: Quarta est quae est.,..

potest diligere? *Glossa:* Frater tuus imago Dei est: si non diligis imaginem, nec eum cujus est imago diligis.

Quinta est habitatio divina. Sicut enim ubi sunt turbationes et odia habitat diabolus ibi, ita e contrario ubi dilectio sancta, ibi est Deus. 1 *Joan. 4:* Si diligamus invicem, Deus manet in nobis.

Sexta est filiatio Dei. Per peccatum enim fiunt homines filii diaboli; sed per hanc filii Dei efficiuntur. 1 *Joan. 4:* Omnis qui diligit fratrem suum ex Deo natus est.

Praeter istas vero sunt etiam aliae multae utilitates. Hujusmodi enim dilectio facit vigere correctionem, quae est de malis praeteritis. *Is. 11:* Egredietur virga de radice Jesse; quod interpretatur incendium: quod ideo dicitur quia ubi est incendium dilectionis, non potest cessare correctio, juxta illud *Apoc. 3:* Ego quos amo arguo et castigo.

Item, facit cavere a nocumento proximi sicut a proprio, cum eum diligat sicut semetipsum. *Rom. 13:* Dilectio proximi non operatur malum, scilicet nocumentum non infert proximo.

Item, facit sua communicare, quia secundum philosophum amicus non est qui fortunae particeps non est. Ideo dicitur in canonica 1 *Joan. 3:* Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem (1) habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei, quae scilicet fratrem facit diligere per charitatem, manet in eo?

Item, facit mutua servitia exhibere. (2) *Gal. 5:* Per charitatem spiritus servite invicem.

Item, facit onera mutuo (3) supportare. (4) Augustinus: Tantum quisque portat quantum amat. *Gal. 6:* Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi; quae non est alia quam lex charitatis.

Item, colligat (5) in unuum fortiter; quod multum prodest, quia regnum divisum de facili desolatur. *Coloss. 3:* Charitas est vinculum

---

(1) Cod. Vien.: necesse. — (2) Codd. Tol. et Grat.: exhiberi. — (3) Cod. Grat.: mutua. — (4) Cod. Tol.: supportare. — (5) Codd. Sp., Vien. et Tol. colligit.

perfectionis, id est perfectum. Bernardus: O bona dilectio! Quae divisa sunt per amorem unit.

Item, legem Dei adimplere facit. *Rom. 13:* Qui diligit proximum, legem adimplevit. (1)

Cum ergo dilectio proximi praedicta spiritualis tantum excedat omnes alias dilectiones, et tot bona faciat, ut praedictum est, bene dicitur ut inter servos Dei vigeat haec dilectio spiritualis.

Sequitur: **Praeposito tanquam patri obediatur: multo magis presbytero qui omnium vestrum curam gerit.**

Hoc (2) est capitulum sextum regulae, quod est de pertinentibus ad statum subiectionis, quod facit obedientia. Et ideo circa hoc tradit mandatum hoc unicum pertinens ad obedientiam, et non plura, quia satis in hoc continentur in genere ea quae pertinent ad debitam obedientiam.

CLXXV. De obedientia. Ad quod sciendum, notandum quod duplex est bona obedientia. Quaedam est sufficiens, sed imperfecta, ut est illa qua quis obedit solum in iis ad quae tenetur. Bernardus, *De praecepto et dispensatione:* Caeterum subditus hujusmodi obedientiam quae finibus continetur noverit imperfectam. Alia est abundans et perfecta, cum quis obedit in aliquibus bonis, licet non teneatur ex debito. Bernardus in *eodem:* Perfecta obedientia nescit legem, terminis non arctatur, non contrahitur professionis angustiis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, ad omne quod injungitur spontaneo jugo liberalis alacrisque commodum non considerans in infinitum extenditur.

Porro circa istam perfectam obedientiam, quia nemo ad eam ex aliqua regula arctatur, non tradit Augustinus aliqua mandata; sed circa primam, ad quam omnes regulares arctantur ex professione. Determinat autem qnatuor in isto mandato ad istam obedientiam pertinentia, scilicet quibus debeatur; et cum debeatur pluribus, quo ordine debeatur eisdem; et qualis debeat esse cum redditur; et in quibus sit reddenda.

---

(1) Cod. Vien.: implevit. — (2) Cod. Grat.: Hic.

Sciendum enim (1) quod licet quidam viri sancti ex perfectione obedientiae inveniantur obedire non solum majoribus, sed etiam paribus: immo etiam inferioribus interdum, secundum illud beati Benedicti in regula: Obedientiae bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem obediant fratres; tamen nullus religiosus tenetur (2) obedire nisi majoribus suis, secundum illud *Hebr. 13:* Obedite praepositis vestris; id est illis qui vobis praeficiuntur. (3) Et ideo determinans quibus sit obediendum in religione dicit Augustinus: Praeposito et Presbytero.

Item, notandum quod inter praelatos est quidam praelatus qui habet potestatis plenitudinem quoad omnes et quoad omnia, scilicet Papa: et isti quilibet religiosus et saecularis (4) plus tenetur obedire in omnibus quam cuilibet praelato ecclesiastico.

Alii vero sunt praelati qui habent particularem potestatem et quoad subditos et quoad jurisdictionem: et istis non tenentur omnes, sed solum subditi sui; et non nisi ad ea (5) quae pertinent ad eorum jurisdictionem.

Item, inter istos sunt quidam qui habent eosdem subditos, sed jurisdictiones distinctas in quibusdam, sicut abbas non exemptus et episcopus, quorum utrique subsunt monachi: et isti in quibusdam quandoque tenentur plus uni quam alteri, et e contrario. Nam in iis quae pertinent ad disciplinam ecclesiasticam, plus tenetur monachus episcopo quam abbati; in iis vero quae pertinent ad suam religionem cujus regimen habet abbas, tenetur plus abbati quam episcopo.

Alii sunt qui habent jurisdictiones non distinctas secundum diversitatem, sed subalternas, et tantum differentes (6) secundum plus et minus, ut prior claustralis et abbas. Quiquid enim potest prior qui est sub abbate, potest abbas: et in iis tenetur subditus plus obedire superiori quam inferiori, licet utrique teneatur.

Et ideo cum ecclesia Augustini sic esset ordinata quod episcopus tenebat ibi locum abbatis, et praepositus locum prioris, ut di-

---

(1) Cod. Vien.: igitur. — (2) Cod. Tol.: religiosus quantaecumque perfectionis tenetur. — (3) Cod. Vien.: praeferuntur. — (4) Cod. Sp.: regularis. — (5) Cod. Vien.: quoad ea. — (6) Codd. Sp., Vien. et Il.: differunt.

ctum est supra, et adhuc idem servetur in aliquibus ecclesiis: alioquin quomodo diceret ipsum presbyterum, non praepositum curam habere ipsorum fratrum? (1) volens ostendere quo ordine obediendum sit in hoc casu majoribus, dicit « praeposito » obediendum; sed « multo magis presbytero, » id est episcopo: nam ubi episcopus non tenet locum abbatis, in quibusdam magis tenetur subditus religiosus praelato suo, sive praepositus, sive alio nomine nominetur, quam episcopo; in quibusdam e converso, ut praedictum est.

Item, notandum quod quaedam est obedientia servilis, juxta illud, *Coloss. 3:* Servi, obedite per omnia dominis carnalibus. Alia est filialis, juxta illud *Coloss. eod.:* Filii, obedite parentibus per omnia. Porro servilis obedientia, quam timor inducit, quod facit facit invite: filialis vero, quam amor inducit, quod facit facit libenter.

Item, illa hoc quod facit facit cum murmure: ista autem simpliciter, sine querela et discussione. Item, illa cum tristitia: ista autem cum hilaritate; illa pigre, ista velociter; illa ficte, ista fideliter; (2) illa superbe, reputans se multa fecisse, ista humiliter reputans se quasi per omnia inutilem. (3) Item, illa quiescit quam cito potest: ista autem infatigabiliter laborat usque ad mortem. Et isti septem gradus obedientiae sunt secundum beatum Bernardum, ut dicitur, videlicet obedire libenter, simpliciter, hilariter velociter, fideliter, (4) humiliter et perseveranter. Et ideo volens Augustinus determinare qualis debet esse obedientia, dicit: « sicut patri, » non domino, ut sit obedientia filialis, sicut decet filios Ecclesiae; non servilis, sicut fuit sub Lege. Gregorius: Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est. Haec autem tanto laudabilior est, quanto laudabiliores ex se elicit circumstantias, ut praedictum est.

Item, notandum quod licet obediendum sit praelatis regulariter, tamen multi sunt casus in quibus non tenentur eis subditi obedire. Unus casus est quando praecipit contra Deum, quia magis oportet obedire Deo quam hominibus, *Act. 5.*

---

(1) Cod. Vien.: nisi volens — (2) Codd. Sp. et Tol.: viriliter. — (3) Cod. Grat.: reputans se post omnia quasi inutilem. — (4) Codd. Sp. et Tol.: viriliter.

Alius est quando major praelatus secundum distinctionem praedictam mandat contrarium.

Alius est quando eximitur quis ab eo qui potest a potestate praelati sui.

Alius est quando praecipitur aliquid in derogationem jurisdictionis majoris praelati, ut si praeciperet minor praelatus quod majori visitanti non diceretur aliquid de revelandis in (1) visitatione, vel quod nullus loqueretur ei de bono animae suae, (2) vel domus suae, et similia. (3)

Alius est per impotentiam absolutam, quando scilicet nullo modo potest fieri quod mandatur.

Alius est si mandatur aliquid per quod ejiciatur de obedientia promissa, ut si praeciperet praelatus subdito suo quod intraret alium ordinem.

Alius est quando praecipitur aliquid quod est supra, vel infra, vel contra professionem factam, cum nemo teneatur ultra quam alii teneantur, (4) nisi ad illud quod promisit.

Alius est secundum quosdam cum praecipitur aliquid impertinens ad professionem, ut si praeciperet monacho abbas quod tota die aspiceret aves volantes, praecipue si hoc faceret (5) sine causa rationabili: nam si hoc faceret causa probandi obedientiam monachi, vel ad exercitandam patientiam suam, vel aliqua alia de causa annexa professioni, non esset securum in hoc casu non obedire. Aliis tamen videtur quod in hoc sit obediendum, (6) quia dicit Bernardus quod in iis quae sunt pure bona vel pure mala non est obedientia; sed in mediis, in quibus, ut dicit, praelatorum jussio vel prohibitio non est contemnenda. Quia ergo etsi obediendum sit praelatis regulariter, tamen habet hoc exceptionem in casibus, ideo notabiliter dicit: « obediatur, » et non addit: (7) In omnibus, ut intelligatur obediendum in iis quae ad statum praelationis eorum pertinent. Etsi enim obediendum sit

---

(1) Cod. Tol.: non dicerentur ea quae dicenda sunt in.... — (2) Cod. Tol.: de bono suo. — (3) Codd. Sp., Vien. et Grat.: vel suae ecclesiae, vel ordinis sui, vel similia. — (4) Cod. Vien.: tenentur. — (5) Cod. Tol.: fieret. — (6) Cod. Vien.: non sit obediendum. — (7) Codd. Sp. et Tol.: dicit.

patri, et duci, et medico, tamen in aliis et aliis isti et illi, (1) secundum philosophum in *Ethicis*: ita et praelato in iis quae ad suum regimen pertinent.

Sic ergo patet quomodo in isto mandato determinat Augustinus quibus obediendum sit, et quo ordine diversis, et qualis debet (2) esse obedientia, et in quibus.

Post hoc notandum quod inter omnes virtutes religioso necessarias, de praecipuis est obedientia perfecta.

Haec enim est quae religioso dat pacem. Qui enim minus est obediens, habet turbationes frequentes, quia non est promptus ad multa quae sibi imponuntur; ad quae si esset promptus, non turbaretur, sed haberet pacem. Ideo dicitur, *Prov. 13*: Qui timet praeceptum in pace versabitur. (3) Solus quidem obediens est qui cum timore Dei praeceptum recipit.

Item, haec est quae acquirit homini gratiam majorum suorum. Sicut enim syllaba indifferens est multum accepta versificatoribus, quia possunt de ea facere quod volunt, sive brevem, sive longam: ita et vere obediens praelato suo acceptus est, quia potest de eo facere quod vult. Exemplum in *Vitis Patrum* de abbate Sylvano qui, cum quaereretur a quibusdam quare diligeret suum discipulum Marcum plus aliis, duxit eos per cellas fratrum, et vocans unum, hic non statim venit; similiter et multi fecerunt. Cum autem veniens ad cellam Marci vocasset eum, ipse relicta littera imperfecta quam scribebat, statim venit ad eum. Quo viso, dixit abbas eis: Ecce quare plus diligo eum. Et illi dixerunt: Vere plus diligendus est a te, quia Deus plus diligit eum.

Item, haec est quae totam congregationem quam inobedientia summe perturbat, pacificat. Augustinus: Pax domus est ordinata imperandi et obediendi concordia cohabitantium. Propter quod dicitur 1 *Mach. 14*: Siluit terra omnibus diebus Simonis; qui interpretatur obediens.

Item, hominem utilem facit congregationi suae. Bonus enim

---

(1) Cod. Tol.: et alii. — (2) Codd. Sp. et Grat.: debent. — (3) Cod. Tol.: varsatur.

est obediens (1) sicut asina quae erat in Jerusalem communis, (2) quam quilibet poterat accipere ad quoscumque quos haberet usus. (3) Et felix qui potest dicere cum *Ps. 72:* Ut jumentum factus sum apud te: et tamen propter hoc non recedam (4) a te, sed et ego semper tecum; et tu tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me! Sunt enim quidam sicut palafredus vel dextrarius, qui non possunt haberi nisi a paucis, et ab illis etiam ad paucos usus: et ideo non sunt utiles ut jumentum.

Item, facit hominem nobilissime triumphare, videlicet de hoste fortissimo, scilicet animo proprio, cui qui dominatur melior est, secundum Salomonem, *Prov. 16,* expugnatore urbium: a quo multi vincuntur, postquam vicerunt carnem, mundum et diabolum. *Prov. 21:* Vir obediens loquetur victorias. Gregorius: Dum enim alienae voci humiliter obedimus, nosmetipsos in corde superamus.

Item, facit Deo sacrificium acceptissimum. Per paupertatem (5) enim offeruntur Deo res temporales; per abstinentiam, propria caro: per obedientiam vero propria voluntas mactatur. 1 *Reg. 15:* Melior est obedientia quam victimae. Gregorius: Per obedientiam propria voluntas mactatur. Tanto igitur citius quisque Deum placat quanto repressa ante ejus conspectum proprii arbitrii superbia gladio praecepti se immolat.

Item, facit preces apud Deum efficaces. Gregorius: Si obedientes fuerimus praepositis nostris, obediet Deus orationibus nostris. Et hoc justum est: qui enim hujusmodi praepositos audit, Deum audit, juxta illud: Qui vos audit me audit. *Luc. 10.* Et ideo tales ipse audit.

Item, summe ditat meritis. Aliae enim multae virtutes lucrantur solum circa unam materiam, et hoc raro, et quandoque parum. Obedientia vero lucratur (6) circa omnia, et quasi continue, et opera habet

---

(1) Cod. Vien.: Bonus enim obediens est. — (2) Quia Christus discipulis dixerat: « Invenietis asinam alligatam, » (Matth. XXI, 2) ista finxerunt nonnulli quae narrat Lyranus in eumdem locum: « Ista asina erat communis pauperibus non habentibus animalia, et qui operabatur in ea dabat sibi pabulum; et facto opere, reducebatur ad locum determinatum. » — (3) Codd. Sp. et Vien.: ad quoscumque usus. — (4) Cod. Tol.: recedo. — (5) Codd. passim: pietatem. — (6) Cod. Vien.: luctantur.... luctatur.

meriti excellentis propter difficultatem. Sicut ergo mercator qui circa omne genus negotiationis, et omni tempore, et in pretiosis mercibus negotiatur, facile ditatur, ita et hic. Et ideo bene dici potest obedientiae illud *Prov. ult.:* Multae filiae, scilicet virtutes filiae Spiritus Sancti, congregaverunt divitias; tu supergressa es universas.

Item, custodit a periculis peccatorum. Exequens enim obedientiam est in negotiatione Regis coelestis, cujus mandatum exsequitur; et ideo securior est quam qui in proprio, ut mercator. Gregorius: Sola obedientia est virtus quae caeteras virtutes menti inserit, insertasque custodit.

Item, ad majorem perducit gloriam. Unde in *Vitis Patrum:* Vidit quidam senex quatuor ordines in coelo: unum infirmantium, et gratias agentium; alium infirmis ministrantium; alium in solitudine degentium; alium viventium in obedientia: et hic erat super omnes. Et cum quaereret rationem, dictum est ei quia alii quod faciunt, faciunt secundum voluntatem suam: ii autem proprias voluntates abdicantes, quod faciunt, faciunt secundum jussionem patris spiritualis, quod est majus, et ideo ducit ad gloriam majorem. *Phil. 2:* Factus obediens usque ad mortem; propter quod et Deus exaltavit illum.

Attendat qui haec (1) legit quantum singula praedictorum, quae facit obedientia, necessaria sint (2) in religione, et patebit clare quantum exercitium in operibus obedientiae est necessarium viro religioso.

Attendendum vero est quod multa sunt quae minuunt bonum obedientiae, quae, proh dolor! inveniuntur in multis. Sunt enim quidam, qui etsi obediant in quibusdam, tamen in aliis sunt minus obedientes. Quo contra, 2 *Cor. 2:* Ideo scripsi vobis ut cognoscam experimentum vestrum, utrum in omnibus obedientes sitis.

Alii sunt qui etsi faciant rem injunctam, tamen minus plene faciunt. Contra quod dicitur a Paulo, *Philem.:* Confidens de obedientia tua scripsi, tibi sciens quoniam semper illud quod dico tibi facies.

Alii sunt qui etsi faciant quod dicitur, tamen alio modo, et interdum perverso. Contra quod dicitur, *Matth. 21:* Euntes discipuli fecerunt sicut praeceperat eis Jesus.

---

(1) Cod. Tol.: hoc legit. — (2) Cod. Vien.: sunt.

Sunt autem alii qui adeo reddunt se difficiles ad obediendum, quod multum affliguntur ab eis praepositi eorum, antequam possint eos movere ad aliquid, sicut affligitur transferens (1) lapides ab eis. *Eccle. 10.* Contra quod, *Hebr. 13:* Obedite praepositis vestris et subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, (2) ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: ita scilicet obedite ut non faciatis eos gemere ex difficultate obediendi, sed ex facilitate gaudere.

Alii sunt qui ad simplex (3) verbum nolunt obedire, nisi praecipiatur eis. Contra quod dicitur, *Tit. 3:* Admone servos dicto obedire; scilicet ad simplex verbum. Quod si debent hoc facere servi mundi, quanto magis servi Dei? Bernardus: In obedientia valde utile est si id quod disciplinae vigor imponit, nullo cogente humilitas servaverit.

Alii sunt qui non amore justitiae servandae, sed timore penae interdum obediunt. Contra quod dicit Gregorius: Obedientia non timore poenae, sed amore justitiae servanda est. Et ideo dicitur, *Deut. 30:* Diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus. Praemittit dilectionem obedientiae, innuens quod obedientia ex dilectione debet oriri.

Alii sunt qui antequam obediant solent multum discutere de mandato. Contra quod Hieronymus: Praepositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem; credas tibi salutare quidquid ille praecipiat, nec de majoris sententia judices tu cujus officium est obedire, et implere quae jussa sunt.

Alii sunt qui etsi facere velint quod mandatur, tamen morosi sunt in aggrediendo. Contra quod dicitur in *Ps. 17:* In auditu auris obedivit mihi.

Alii sunt qui semper inveniuntur imparati, allegantes horam (4) obediendi, dicentes haec et illa se habere facienda: quod (5) nisi per-

---

(1) Cod. Tol.: frater transferens. — (2) Cod. Sp.: de animabus. — (3) Codd. Vien. et Sp.: per simplex verbum. — (4) Cod. Vien.: hora. — (5) Cod. Vien.: quae. - Cod. Tol.: se habere ad faciendum: qui....

mittantur facere, perturbantur. Contra quod dicit David, *Ps 118*: Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.

Alii sunt qui nunquam se disponunt praemeditando ad bene obediendum. Contra quod dicit Bernardus: Perfectus obediens aurem (1) parat auditui, oculos visui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, et sic totum se colligit, ut ex toto mandatum impleat imperantis. Propter quod dicitur, *Prov. 15*: Mens justi meditabitur obedientiam; quia cogitat frequenter quomodo tempore suo bene obediens sit.

Alii sunt qui obediunt quidem, sed cum murmure exsequuntur mandatum: similes in hoc obedientiae daemonum, qui ad mandatum Domini exibant de corporibus, sed clamantes. Contra quod dicit Benedictus in regula sua: Obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur non cum murmure efficiatur.

Alii sunt qui etsi non murmurent ore, tamen cum tristitia exequuntur obedientiam. Contra quod Benedictus in regula dicit: Obedientia quae majoribus praebetur, Deo exhibetur; ipse enim dixit: Qui vos audit me audit; et cum bono animo a discipulis praeberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obediat discipulus, etsi impleat jussionem, tamen accepta non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. (2)

Alii sunt qui etsi in magnis obediunt, tamen minora contemnunt. Contra quod dicit Bernardus: O monachum obedientissimum, cui (3) ex quibuscumque verbulis seniorum nec unum iota praetervolat!

Alii sunt qui interdum non curant (4) de implenda intentione mandantis, dummodo substantiam mandati impleant, cum e contrario apud fideles et pias mentes magis sit respectus habendus ad intentionem mandantis, quam ad verba. Hinc est quod illi liberati a Domino quibus praecipiebat ne cui dicerent, cum ipsum praedicabant, laudabilius fecisse putantur, quam si tacuissent, (5) quia Dominus hoc praecipiendo potius intendebat dare exemplum vanae gloriae fugiendae quam ipsos obligare.

---

(1) Cod. Vien.: aures. — (2) τὸ « murmurantis » ex Cod. Vien., et ex regula ipsa S. Benedicti. — (3) Cod. Sp.: qui. — (4) Cod. Grat.: qui multum non curant. — (5) Cod. Tol.: tacerent.

Alii sunt qui cum eis aliquid displicens (1) injungitur pervertunt intentionem mandantis, judicantes quod aliqua mala intentione (2) hoc faciat. (3) Contra quod Bernardus: Non sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu (4) sublimiter sentiamus de eis.

Alii sunt proni ad excusandum se ab obedientia, impotentiam allegando. Contra quod dicit Benedictus in regula: Quod si Praelatus impossibile praecipiat, tamem tentandum est discipulo illud implere. Ad hoc confortat exemplum Pauli dicentis, *Phil. 4:* Omnia possum in eo qui me confortat.

Alii sunt qui se tales exhibent quod praelati non audent eis imponere onus, (5) sicut equo indomito qui mordet et percutit non audent homines imponere onus. Contra quod est verbum senis qui cuidam volenti intrare religionem, et quaerenti quomodo se deberet habere, dixit: Tu et asinus unum estote. (6) Sicut enim asinus indifferenter quodlibet onus recipit et pacifice, ita debet vir religiosus se habere in religione. *Jac. 1:* In mansuetudine suscipite insitum verbum. Obedientiae verbum potest dici insitum, quia trahit suscipientem ad sui naturam, sicut surculus insertus trunco.

Alii sunt qui ex quadam animi praesumptione de sua sapientia confidentes, dedignantur ab aliis regi, et ideo minus obedientes sunt. Contra quod Hieronymus: Bonum est obedire majoribus, et post scientiam Scripturarum vitae suae tramitem ab aliis discere, nec praeceptore uti pessimo, scilicet praesumptione sua.

Alii sunt qui potius volunt sibi obediri a majoribus, quam eis obedire, dum eos ad suam voluntatem pertrahunt faciendam. Bernardus: Multorum perversitas hodie exigit ut dicatur eis: Quid vis ut faciam tibi? Non ipsi quaerunt: Domine, quid me vis facere? Contra quod idem Apostolus: Domine, quid me vis facere? O breve verbum: sed plenum, sed vivum, sed efficax, et dignum omni acceptione!

---

(1) Cod. Grat.: aliquid quod displicet. — (2) Codd. Sp. et Tol.: ratione. — (3) Cod. Tol.: sic faciat. — (4) Cod. Tol.: affectum. — (5) Cod. Tol.: aliquid imponere. — (6) Cod. Tol.: similes estote.

Sic enim dignum (1) est omnino, Domine, non meam a te, sed tuam a me et quaeri, et fieri voluntatem.

Alii sunt qui interdum rem injunctam etsi faciant, tamen scienter faciunt male, in fraudem scilicet, ne alias imponatur, sicut equus fictus, eductus de stabulo male ambulat, ne de stabulo alias educatur. Contra quod dicitur, *Jer. 48:* Maledictus qui opus Domini facit fraudulenter.

Cavendum est ergo viro sancto degenti sub obedientia ab omnibus istis, ne sic faciendo et laborem obedientiae portet, et bonum obedientiae perdat in toto vel in parte. Bernardus: Mementote, fratres: Christus, ne perderet obedientiam perdidit vitam. Si autem Christus sic fecit, quantum cavendum est nobis ne obedientiae perdamus bonum!

Sequitur: **Ut ergo cuncta ista serventur, et si quid minus servatum fuerit, non negligenter praetereatur, sed ut emendandum corrigendumque curetur, ad praepositum praecipue pertinebit ut ad presbyterum, cujus est apud vos major auctoritas, referat quod modum vel vires ejus excedit.**

Traditis mandatis, quia parum haec prodessent (2) nisi diligenter observarentur, agit in hoc capitulo septimo et ultimo de (3) diligentia observandi ea. Sunt autem tria quae multum ad hoc valent: primum est conditio praelatorum, de quo agit hic; secundum est paterna oratio, de quo ibi: « Donet Dominus » ; tertium, jugis mandatorum memoria, de quo ibi: « Ut autem vos. »

Porro ad hoc quod praelati mandata faciant observari, requiruntur duo ex parte ipsorum, videlicet sollicita cura circa haec, et bona conditio ipsorum: et ideo primo tradit hic mandatum circa istam curam; secundo ostendit qualis (4) esse debet praelatus ut ei melius obediatur, ibi: « Ipse vero qui vobis, » etc.

CLXXVI. De cura debita circa servandam regulam.

Notandum vero quod ad hoc quod cura debita habeatur de regula observanda, expedit scire ad quem hujusmodi cura pertinet, ne contingat de hoc minus curari dum ne-

---

(1) Cod. Vien.: Sic dignum. — (2) Cod. Tol.: hoc prodesset. — (3) Cod. Tol.: Augustinus in hoc.... tradit de.... — (4) Cod. Vien.: qualiter.

scitur ad quod membrum pertineat actus iste; sicut fit frequenter in capitulis saecularium clericorum, in quibus multa remanent incorrecta eo quod nescitur utrum hoc pertineat ad episcopum, vel decanum, vel ad aliam personam. Et ideo vir sanctus ad vitandum hoc inconveniens, determinat ad quem pertineat ista cura, dicens: « ad praepositum praecipue pertinebit. » Et ex hoc tractum est quod semper cura de religione servanda pertinere dicitur specialiter ad illum qui immediate est sub majore, ut ad illum qui immediate est sub episcopo, ubi episcopus habet officium abbatis, sive praepositus, sive aliter nominetur; et ad priorem claustralem, ubi est abbas; et ad suppriorem, ubi est prior major persona.

Sed attendendum est quod sunt quidam ad quos pertinet hujusmodi cura de regula observanda, qui apponunt curam interdum quod habeatur regula bene scripta, in qua possint bene legere fratres. Item, quod frequenter audiatur. Sed quia hoc non sufficit ad salutem sine observantia, juxta illud quod dicitur *Apoc. 1:* Beatus qui legit et audit verba prophetiae hujus, et servat ea quae in ea scripta sunt: ideo vir sanctus jussit (1) hujusmodi praelatum cui incumbit cura de subditorum salute, ut habeat curam non solum de scribenda regula, et frequenter legenda, sed et observanda, dicens: « Ut ergo cuncta ista serventur, ad praepositum pertinebit. »

Item, interdum contingit quod aliqui habent curam majorem circa observantiam constitutionum et consuetudinum quarumdam, et admonitionum quae sunt additae (2) super regulam, (3) quam de mandatis ipsius regulae. Isti sunt similes Pharisaeis, quibus exprobando dicit Dominus, *Marc. 7:* Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditionem (4) hominum. Magna stultitia est curare minus de stabilitate fundamenti quam eorum quae superaedificantur, quia illo deficiente, necesse est ista corruere, et non e converso; et ideo dicit: « Ut ista serventur », scilicet mandata regulae praedicta, de quibus est specialiter curandum.

Item, sunt aliqui conventus in quibus, etsi multa mandata re-

---

(1) Cod. Tol.: iustruit. — (2) Cod. Vien.: addita. — (3) Cod. Tol.: supra regula. — (4) Cod. Tol.: tenentes traditiones.

gulae observentur, tamen aliqua dimittuntur; et ideo tales observatores fiunt omnium rei. *Jac. 2:* Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Et ideo habenda est cura ut tota regula observetur. Et ideo dicit: « Ut cuncta ista serventur. »

Item, contingit interdum quod etsi cuncta serventur, tamen aliqua de illis minus bene fiunt, ut cum officia injuncta fiunt, sed cum murmure; cum fit officium divinum, sed cantatur modo indebito; vel cum domatur caro jejuniis, sed ultra vires, et similia. Curandum est autem non solum ut res fiat, sed ut bene fiat, (1) juxta illud, *Is. 1.* Discite bene facere. Et ideo dicit non solum: Si quid servatum fuerit, sed: « si quid minus servatum fuerit, non negligenter praetereatur, » innuens quod cura est habenda non solum quod omnia fiant, sed etiam quod bene fiant.

Item, contingit interdum quod praelati aliqui aliquas transgressiones non corrigunt aut ex pusillanimitate cordis; aut ex humilitate superstitiosa; aut ex diffidentia proficiendi; aut ex ignorantia vel juris quia nesciunt quid debeat fieri, vel facti quia nesciunt culpas fratrum, nec apponunt curam ad sciendum; aut propter pacem propriam quam nolunt turbare; aut propter verecundiam, quia sic in quibusdam manifeste excedunt quod sine verecundia alios corrigere non possunt; aut propter delicti conscientiam: conscientia enim mala, etsi nesciatur delictum ejus, tamen timidiorem reddit hominem ad alios corrigendum; aut propter timorem odii, quod timent incurrere turbando alios in corrigendo; aut propter praelationis amorem, quam timent amittere subditos contra se provocando; aut propter defectum zeli, quo minus malitiam detestantur; aut (2) ex negligentia, quae multum est inconveniens statui praelationis: unde Bernardus inter abusiones claustri hanc ponit, scilicet praelatus negligens. Et ideo vir sanctus dat speciale mandatum de ipsa cavenda circa transgressiones dicens: « non negligenter praetereatur. » Benedictus in regula sua dicit: Non dissimulet abbas peccata; sed mox ut oriri coeperint,

---

(1) Cod. Tol.:... res fiant, sed ut bene fiant. — (2) Codd. passim.: timet.... timet ... detestatur.

ea, ut praevalet, radicitus amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo. 1 *Reg.* 3. (1)

Item, sunt aliqui qui in corrigendo curam apponunt ut puniantur praeterita, sed non ut caveantur futura; aliqui vero, dummodo praevideant ut caveantur futura, non multum curant de praeteritis puniendis: sed utrumque debet esse in vera correctione, scilicet ut caveantur futura, et praeterita puniantur. Propter quod correctio in Scriptura per virgam significatur, qua percussum animal devians et punitur pro errore praeterito, et dirigitur ne deviet (2) in futuro. Et ideo dicitur: « Non negligenter praetereatur, sed ut emendandum, » quoad futura; « corrigendumque, » quoad praeterita, « curetur. »

Item, sunt aliqui qui quando inveniunt aliqua difficilia ad corrigendum, quasi desperantes solent dimittere: sed boni praelati est hoc ad majores deferre. Unde, *Exod. 18*, dixit Jethro Moysi: Quidquid majus fuerit referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent. Dicitur de quodam bono sacerdote quod quando habebat aliquos in parochia sua quos corrigere non poterat, ponebat nomina eorum in cedula, et deferens illa ad episcopum, dicebat ei: Domine, istos quos comisistis mihi inter alios resigno et relinquo vobis; faciatis de eis quidquid placet, quia ego eos corrigere non possum, et supra vires meas est eorum correctio. Et ideo dicit vir sanctus: « ad praepositum praecipue pertinebit, » ita scilicet « ut ad presbyterum, cujus est apud vos major auctoritas, referat quod vires, » quoad posse, « vel modum, » quoad scire, « ejus excedit. »

Patet ex jam dictis quod in hoc mandato in quo agitur de cura regulae servandae, determinatur per diversa verba in eo posita (3) ad quem specialiter haec cura pertineat; et quod cura ista debet haberi efficacior circa horum observantiam quam circa alia; et major cura circa regulam quam circa statuta, et circa observantiam universalem

---

(1) Ita cod. Grat. Caeteri passim: memor periculi de filiis Heli Sacerdotis. De quo ita me monet amicus meus P. Vincentius Laporte: « Dans la règle de S. Benoit, d'après le gros livre de Citeaux, il y a: » « Memor periculi Heli, Sacerdotis de Sylo. » — (2) Cod. Sp.: devietur. — (3) Codd. Sp. et Grat.: proposita. - Cod. Vien.: praeposita.

totius regulae, et plenam circa unumquodque; et in iis non solum alia pejora, sed etiam negligentia cavenda est; et quod in correctione adhibenda est cautela de futuris, et punitio de praeteritis; et quod ad majores est in iis recurrendum, ubi rei hoc exigit difficultas.

Sequitur: **Ipse vero qui vobis praeest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem.**

Dicto quod ad praelatum pertinet cura de regula observanda, quia melius hoc potest perficere, si bonas habuerit conditiones, determinat conditiones quae debent esse circa praelatum. Et primo, circa charitatem; secundo circa honorem, ibi: « Honore coram vobis; » tertio, circa timorem, ibi: « timore coram Deo »; quarto, circa officii executionem, ibi: « Circa omnes seipsum bonorum operum, » etc.; quinto, circa disciplinam, ibi: « Disciplinam libens habeat »; sexto, circa animi interiora, ibi: « Et quamvis utrumque » etc. Et licet circa plura extendantur conditiones bonae praelatorum, tamen ista praeelegit Augustinus, tamquam valde necessaria (1) in religiosis praelatis.

CLXXII. De variis modis se habendi circa praelationem quoad ambitiosos et bonos praelatos.

Circa primum igitur quod continetur in isto mandato, notandum quod viri ambitiosi, qui appetunt praeesse et non prodesse, primo solent appetere praelationes. 3 *Reg. 1:* Adonias elevabatur dicens: Ego regnabo. E contrario, (2) viri sancti fugiunt, exemplo Domini, qui cum turbae vellent facere eum regem, fugit. *Joan. 6.*

Item, isti adeptis praelationibus se felices reputant, quasi in assecutione ejus quod summe desiderabant. 1 *Mach. 10,* dicit Ptolomaeus Alexandro: Felix dies in qua reversus es ad terram patrum tuorum, et sedisti in sede regni eorum! Isti vero se miseros (3) reputantes gemunt. *Job. 26:* Ecce gigantes gemunt sub aquis. Gregorius: Illis populis quisque mente supponitur, quibus superponitur dignitate. Viri ergo spirituales quia hoc onus sentiunt, quantumcumque magni sunt scientia vel virtute, in praelationibus sciunt non se felices, sed mi-

---

(1) Cod. Sp.: istas.... necessarias. — (2) Cod. Tol.: E contra vero. — (3) Cod. Sp.: ministros.

serrimos reputantes, gemunt. Unde cum legeretur regula beati Augustini in quodam conventu, et lector legendo illud: « Unde et vos non solum vestri, sed etiam ipsius, » errando subjungeret: miserrimi, et corrector emendaret: « miseremini, » prior, qui erat valde venerabilis persona, dixit correctori: Frater, dimittas eum dicere: miserrimi, quia vere miserrimus est omnis prior.

O quantum sensit (1) istam miseriam Moyses, qui, *Num. 11,* dixit: Domine, cur afflixisti servum tuum? Quare non invenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Et *post:* Non possum solus sustinere populum hunc, quia gravis est mihi. Sin aliter videtur tibi, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Quid autem mirum si fideles hoc sentiunt spirituali illuminatione, cum quidam infideles (2) hoc idem viderint per rationem? Legitur enim quod cum cuidam gentili oblata esset vestis imperialis cum corona, respiciens vestem ait: O pannum magis nobilem quam felicem! Quem si quis attendat quantis sollicitudinibus, periculis et miseriis sit refertus, nec jacentem in luto tolleret. (3) Etsi ergo ambitiosi in assecutione praelationis se felices reputent, tamen viri sancti reputant se infelices.

Item, isti assecuta praelatione, abutuntur ea in superbiam (4) dominandi, contra illud Petri, 1 *Petr. 5:* Non ut dominantes in cleris. Isti vero utuntur ea in humilem famulatum, (5) juxta illud *Matth. 20:* Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

Item, notandum quod, ut dixit Augustinus, locus superior, etsi administretur ut decet, tamen indecenter appetitur: et ideo viri sancti non appetunt praelationem, sed potius fugiunt.

Tamen sunt (6) tria quae solent inducere aliquos ad recipiendum praelationem interdum. Unum est divina vocatio: reputant enim

---

(1) Cod. Vien.: O quam bene sensit. - Cod. Tol.: O quam bene sentiebat. — (2) Cod. Tol.: quidam eunuchi. — (3) Cod. Tol.: tollet. — (4) Cod. Sp.: in superbia. — (5) Codd. Sp. et Vien : in humili famulatu. — (6) Cod. Tol.: Et sunt.

aliqui, praecipue in ecclesiis divitibus, quod quando canonice (1) eliguntur, vocentur a Domino; et ideo non reputant se male facere si consentiunt vocationi divinae, juxta illud *Hebr. 5:* Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatus est a Deo tanquam Aaron. Gregorius: Neque enim verus humilis qui superni nutus arbitrium (2) ut debeat praeesse intelligit, et tamen praeesse contemnit.

Aliud est charitas proximorum, et hoc est bonum. (3) Augustinus: Otium sanctum quaerit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis.

Aliud est obedientia, et hoc melius est. Gregorius in *Pastorali:* Divinis dispositionibus subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cum subire regiminis culmen imperatur, si jam donis praeventus est quibus et aliis praesit, debet et ex corde fugere, et invitus obedire. Hinc est quod de multis legitur quod etsi praelationes fugerunt, tamen finaliter obedientes receperunt: sed quia tales in receptis praelationibus non debent sibi complacere, nec erigi per superbiam dominandi, sicut ambitiosi, bene vir sanctus dicit: « Ille vero qui vobis praeest non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. »

CLXXVIII. De charitativo servitio praelati ad subditos.

Et notandum quod summus praelatus vocat se servum servorum Dei, juxta illud Pauli, 2 *Cor. 4:* Nos autem servos vestros, propter Jesum, scilicet quem vobis praedicavimus. (4)

Item, angeli serviunt hominibus, iuxta illud, *Hebr. 1:* Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui haereditatem capient salutis.

Item, ipse Filius Dei formam servi accipiens servivit hominibus, juxta illud, *Luc. 22:* Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Et ideo cum tot et tanti (5) serviant hominibus, non est indecens, immo valde conveniens et salutare, ut quilibet praelatus se servum exhibeat subditorum.

Sunt autem multa in quibus boni praelati subditis serviunt.

---

(1) Cod. Vien.: canonici. — (2) Codd. Vien. et Tol.: arbitrio — (3) Codd. Vien. et Tol.: et hoc melius. — (4) Cod. Vien.: praedicamus. — (5) Codd. Vien. et Sp.: tanta.

Serviunt enim eis interdum in temporalibus, illa ad eorum servitium (1) procurando. 2 *Cor. 12:* Non enim debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.

Item, interdum in corporalibus, exemplo Domini qui dicit: Exemplum dedi vobis, scilicet de pedibus lavandis, ut et vos ita faciatis. *Joan. 13.*

Item, in spiritualibus, in multis quae solent magna servitia ab hominibus reputari. Magnum servitium reputatur (2) mater exhibere filio suo, cum portat eum, et hoc faciunt praelati boni. *Num. 11:* Numquid ego concepi omnem multitudinem hanc, vel genui, ut dicas mihi: Porta in sinu tuo sicut nutrix (3) solet portare infantulum?

Item, bonum servitium exhibet alii qui victualia ministrat ad pascendum eum. Sic autem faciunt boni praelati. 1 *Petri 5:* Seniores qui in vobis sunt, obsecro ego consenior, pascite qui in vobis est gregem Domini.

Item, magnum servitium exhibet civitati qui pro ea custodienda vigilat tempore hostili: et ipsi sunt vigiles qui custodiunt civitatem, prout dicitur *Cant. 3.*

Item, magnum servitium exhibet infirmo qui curam hujus gerit in infirmitate sua: et ipsi hoc faciunt. *Luc. 10:* Curam illius habe. Quod pertinet ad praelatum.

Item, magnum servitium exhibent gregi (4) qui pro eo custodiendo vigilant dum ipse dormit: et ipsi hoc faciunt pro animabus. Ipsi enim, scilicet praepositi, pervigilant quasi reddituri rationem pro animabus vestris. *Hebr. ult.*

Item, magnum servitium exhibent alii qui pro eo defendendo pugnant contra hostes: et ipsi sic faciunt. *Cant. 3:* Lectulum Salomonis, scilicet Ecclesiam, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, qui omnes tenentes gladios, et ad bellum doctissimi. Quod exponitur de praelatis.

Item, magnum servitium exhibent hominibus, qui eos ducunt

---

(1) Cod. Vien : officium. — (2) Codd. Sp. et Tol.: reputat. — (3) Codd. Vien. et Sp.: mater. — (4) Codd. Tol., Sp. et Vien.: populo.

per invia : (1) et ipsi sic faciunt. *Ps. 76 :* Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron.

Item, magnum exhibent servitium alii (2) qui ipsum intinctum sordibus lavant : et ipsi sic faciunt. *Job. 1 :* Sanctificabat filios suos ; quod pertinet ad praelatum.

Beati praelati qui in iis et similibus serviunt suis subditis per charitatem ! Si enim quod fit cuilibet de minimis a quocumque Christus reputat sibi factum, *Matth. 25,* et daturus est talibus in fine regnum, quanto magis praelatis, qui propter ipsum in hoc supra alios se humiliant !

Sicut ergo superbia dominandi ducit praelatos ad inferos, ita humilitas serviendi ducit eos ad superos, et ideo bene dicit : « existimet se charitate serviente felicem. »

Sequitur : **Honore coram vobis praelatus sit vobis.**

In hoc mandato tangitur secunda bona conditio praelati, videlicet quod a subditis habeatur in reverentia et honore ; et est sensus : ille qui vobis praeest sit vobis praelatus honore, id est praeferatur vobis honore coram vobis ; et hoc justum est, quia pater est. *Malach. 1 :* Si ego pater, ubi est honor meus ?

Et notandum quod quidam minus interdum honorant praelatum propter aliqua ejus vitia. *Gen. 19 :* Cum vidisset Cham verenda patris sui esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis. Contra quod Gregorius in *Glossa,* de bonis filiis : Filii subjecto (3) dorso pallio aversi deferunt, (4) quia dijudicantes factum, et magisterium (5) venerantes, nolunt videre quae (6) tegunt.

CLXXIX. De honore exhibendo praelato.

Alii interdum propter simplicitatem quam quidam, etsi vitiis careant, habent. *Job. 12 :* Deridetur justi simplicitas. O quot propter hoc praelatos suos contemnunt !

---

(1) Codd. Vien. et Sp. : devia. — (2) Cod. Tol. : homini. - Hucusque in hoc capitulo mirum in modum perturbantur codicum textus, excepto cod. Grat. quem sequimur. — (3) Cod. Vien. ex addit. : superjecto. Quod item haberi in Gregorii textu ex editis constat. — (4) Cod. Tol. : deserunt. — (5) Codd. passim : magistrum. — (6) Cod. Vien. : quod.

Contra quod (1) dicitur, *Eccli. 3:* Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua.

Alii interdum propter notitiam familiarem quam habent eorum, sicut dicitur de viro rurali qui minus veneratus est crucifixum ecclesiae suae, quia factus est de nuce horti sui. *Matth. 13:* Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.

Porro ex hujusmodi irreverentia sequuntur tria mala. Primum est maledictio. *Deut. 27:* Maledictus qui non honorat patrem.

Secundum est propria confusio. *Eccli 3:* Dedecus filii pater sine honore.

Tertium est contumelia Dei: hujusmodi enim irreverentiam suam reputat Deus. *Luc. 10:* Qui vos spernit me spernit, et qui vos recipit me recipit. Ut ergo declinentur illa, honorandus est semper praelatus.

Ad hoc autem faciendum monet Scriptura dicens, *Eccli. 10:* In medio fratrum rector illorum in honore.

Item hortatur natura exemplo apum, quae regem suum egredientem de alveari suo comitantur, et ei faciunt cellam singularem. Seneca: Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores!

Item, monet ratio. Honor enim exhibitus praelato exhibetur Deo, quia ipse dicit, *Luc. 10:* Qui vos audit me audit. Et ideo cum omnis homo teneatur Deum honorare, debet et praelatum honorare. Unde Maximus in *sermone:* Qui honorat missos, necesse est honorare mittentem, quoniam dignitas quae ministris exhibetur, illi cujus ministri sunt exhibetur.

Et sciendum quod honor iste consistit in tribus, de quibus *Eccli. 3:* Qui timet Deum honorat parentes. Et *post:* In opere, et sermone, et omni patientia. In opere, prompte obediendo, devote serviendo, reverenter assistendo, et hujusmodi; in sermone, reverenter ei loquendo, reverenter eum audiendo, et hujusmodi; in patientia, excessus ejus, et infirmitates, et similia patienter ferendo.

---

(1) Cod. Vien.: Propter quod.

Sequitur: **Timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.**

Hic ponitur mandatum circa tertiam bonam conditionem praelati, et est sensus: quamvis vobis (1) superponatur honore, tamen timore (2) debet vobis supponi.

CLXXX. De timore in quo debet esse praelatus.

Et notandum quod licet omnis homo semper debeat esse pavidus, *Prov. 28,* tamen praelatis est magis timendum quam subditis: ipsi enim habent reddere rationem non solum de se, sed etiam de subditis. *Hebr. ult.:* Ipsi enim pervigilant, quasi reddituri rationem pro animabus vestris. Cum autem animae sint res valde pretiosae, et valde dilectae Deo, et valde facile pereant, quantum debet timere qui sic eas accepit in custodia quod de eis redditurus est rationem! Ideo hoc timens Augustinus dicebat: Quid faciam cum a me exigetur ratio tot animarum quae pendent a collo meo? (3)

Item, ipsi sunt quasi principes exercitus, et ideo ipsis victis facile totus exercitus dissipatur. 1 *Mach. 9:* Cecidit Judas, et reliqui fugerunt. Et ideo daemones eos acrius impugnant. 1 *Reg. 31:* Totum pondus praelii est conversum in Saul. Si autem ovis naturaliter timet hostem suum, quantum homo rationalis debet timere hostem suum! (4) 1 *Reg. 28:* Vidit Saul castra Philistiim, et timuit, et expavit cor ejus nimis.

Item, sicut de patre impio conqueruntur filii, *Eccli. 41,* ita de multis praelatis conqueruntur coram Deo multi subditi. Bernardus: Venient (5) ante tribunal Christi, ubi audietur pupillorum et viduarum querimonia gravis, allegatio dura. O quam (6) videtur timuisse querimoniam istam Job, qui dicit, *Job. 31:* Si adversum me terra mea clamat; quasi dicat: ita mihi cavi quod terra mea adversum me non habet querelam! Quod exponit Gregorius de praelatis et subditis. Cum ergo pauci et quasi nulli sint qui habeant, aut qui habere possint hanc

---

(1) Codd. Vien. et Tol.: coram vobis. — (2) Cod. Vien.: cum timore. — (3) Codd. Tol. et Grat.: ad collum meum. — (4) Cod. Tol.: hostes suos. — (5) Cod. Sp.: veniant. — (6) Cod. Tol.: O quantum.

fiduciam: quin potius, teste conscientia, (1) multa fecerint vel omiserint de quibus subditi conqueri possint, sicut ballivus regis contra quem clamant subditi in majori debet esse timore quam simplex miles nullam contra se habens talem querelam, ita et praelatus in majori debet esse timore quam subditus.

Item, dicit (2) Augustinus de praelato: « quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur, » et hoc quia facilius cadit. Bernardus: Facilius est in alto se intuentem obstupescere. Cadit enim gravius, si cadit, juxta illud: Quanto status altior, tanto casus gravior. Cum ergo omni homini in majori periculo constituto sit magis timendum, magis timendum est praelato eo quod est in alto quam subdito qui est in imo, in quo ita facile non cadit quis, nec ita graviter.

Item, signum est divini amoris cum quis non exponitur occupationibus praelationis. Gregorius: Misericors Deus quos tenere diligit ab exterioribus praelationis occupationibus abscondit. Nam et paterfamilias ad eum laborem servos mittit a quo filios suspendit; et unde filii decori sunt, inde servi in pulvere deturpantur. Signum vero divinae iracundiae occupatio in praelatione. Augustinus: In nullo magis mihi sentio Deum iratum, sicut in hoc cum essem indignus poni ad remum, positus sum ad gubernaculum. Cum ergo secundum hoc praelatus majora signa habeat divinae iracundiae contra se quam subditus, magis est ei timendum quam subdito.

Item, praelatus ad plura obligatur quam subditus, sicut dominus villae alicujus plus tenetur quoad (3) hospitalitatem et quoad eleemosynas, et quoad alia multa, quam sui subditi. (4) *Luc. 12:* Cui commendavit multum, plus ab eo petetur. De quibus Gregorius in *Pastorali:* Sit ergo rector necesse est cogitatione mundus, actione praecipuus, silentio discretus, verbo utilis, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus humilitate socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, interiorum (5)

---

(1) Cod. Sp.: ecclesia. - Cod. Tol.: conscientia justa. — (2) Cod. Grat.: Ideo dicit. — (3) Cod. Tol.:... villae alicujus ad plura tenetur et quoad.... — — (4) Cod. Tol.: subjecti. — (5) Cod. Vien.: internorum.

curam in exteriorum (1) occupatione non minuens, exteriorum providentiam interiore sollicitudine non relinquens. Qui autem ad plura tenetur plus debet timere. Propter quod Gregorius Nazianzenus videns quod non poterat implere tot ad quot tenebatur, timens animae suae, relicto episcopatu, fugit in solitudinem, sicut legitur in *Apologetico* ejus.

Item, inter septem episcopos Asiae qui propter sui excellentiam vocati sunt angeli, multi reperti sunt contra quos Dominus aliqua habuit; et licet pauca, tamen non omisit quin illa improperaret. Quantum ergo debent alii praelati sibi timere, qui longe sunt a statu angelico!

Item, judicium durissimum iis (2) qui praesunt fiet, sicut dicitur, *Sap.* 6. Si ergo omnibus timendum est judicium, tamen plus est istis timendum, propter duritiam judicii, quam comminatur eis Scriptura.

Quia igitur propter haec magis est timendum praelato quam subdito, bene dicit Augustinus: « timore coram Deo substratus sit pedibus vestris, » ut etsi superior sit honore, inferior sit timore.

Sequitur: **Circa omnes seipsum bonorum operum praebeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes.**

Hic tradit mandatum circa quartam partem boni praelati, scilicet conditionem quae pertinet ad officii executionem.

CLXXXI. De varietate eorum quae pertinent ad officium praelati.

Et notandum quod secundum multiplicem subditorum varietatem incumbit varia agere. Hujusmodi autem exemplum ponit Gregorius Nazianzenus dicens: Si possibile esset fieri unum animal ex diversis animalium et bestiarum generibus, incumberet ei qui curam haberet illius animalis tot varia facere, quot varietates singulorum animalium requirerent. Non enim eadem vox apta est omnibus, nec eisdem sibilis aguntur, nec idem cibus omnibus expedit, nec palpandi et fovendi modus idem est; imo

(1) Cod. Vien.: externorum. — (2) Cod. Vien.: in iis.

ipsis quibus aliae mitigantur aliae excitantur ad furorem. Cum ergo Ecclesiae corpus sive congregationes(1)commissae praelato hujusmodi varietates habeant, imo plures, secundum hujusmodi varietates oportet praelati officium variari.

Hujus autem exemplum habetur in Paulo. Unde idem Gregorius: Quis digne eloqui valeat quotidianam pro singulis providentiam et sollicitudinem omnium ecclesiarum Pauli? Erga omnes misericordiam? Erga omnes fraternae charitatis affectum? Offendiculum quis patiebatur? Et Paulus infirmabatur. Scandalizabatur alius? Et Paulus urebatur. Leges dabat servis et dominis, principibus et subjectis, viris et mulieribus, parentibus et liberis, nuptis et innuptis, continentibus et luxuriosis, sapientibus et insipientibus, circumcisioni et praeputio, Ecclesiae et saeculo, spiritui et carni. Pro aliis quidem laetatur et gratias agit, alios castigat et corripit alios; gaudium et coronam nominat, alios vero stultitiae notat. (2) Cum aliis quidem bene currentibus currit, alios autem male currentes refraenat et revocat. Nunc separat de Ecclesia, nunc recipit et charitatem confirmat; nunc luget aliquos, nunc laetificatur ab aliis; nunc lacte potat, nunc mysteria revelat; nunc se dejicit et exaequat humilibus, nunc secum erigit humiles et exaltat; nunc proponit spiritum mansuetudinis, nunc superbis et arrogantibus apostolicae pietatis virga minatur; nunc erigitur adversum erectos, nunc afficitur discipulis tanquam si nutrix foveat filios suos. Nunc Apostolorum omnium est minimus, nunc documentum suum pollicetur per eum qui in se loquitur; nunc desiderat dissolvi et esse cum Christo, nunc permanere in carne propter eos qui indigent necessarium probat. Non enim quaerit quae sua sunt, sed quaerit quae filiorum sunt.

Licet ergo secundum praedicta plurima pertineant ad praelati officium, tamen Augustinus circa pauca magis necessaria, quinque scilicet, tradit hic mandatum, dicens: (3) « Circa omnes, » etc.

Sunt autem haec tracta ab Apostolo. Primum sumitur de *Epistola ad Titum 2;* alia quatuor de *Epistola prima ad Thess. 5.*

---

(1) Cod. Tol.: congregationis. — (2) Cod. Vien.: nominat. — (3) Codd. Tol. et Sp.: tradit circa hoc mandatum.

Et nota quod inter omnia quae magis sunt necessaria praelato, primum est bonum exemplum. Sine hoc enim carent fructu et efficacia quaecumque facit.

Secundum est correctio malorum. Quid enim prodesset bene facere, si mala sustineret?

Tertium est afflictorum consolatio. Non solum enim contra vitia debet adhibere remedium, sed etiam contra desolationes remedium consolationum.

Quartum est compassionis exhibitio per effectum. Quid enim prodest verbis consolari, si ubi requirit infirmitas mentis vel corporis, non adhibeatur opus compassionis?

Quintum est patientia. Cum enim in iis quae habent agere multa gravia oriantur a subditis, (1) parum est omnia bona facere, si desit patientia in gravaminibus quae inferuntur a subditis.

Propter primum ergo istorum dicitur: « Circa omnes » etc.; propter secundum: « corripiat » etc.; propter tertium dicitur: « consoletur, » etc.; propter quartum dicitur: « suscipiat, » propter quintum dicitur: « patiens sit » etc.

CLXXXII. De praelatorum bono exemplo.

Et notandum circa primum quod praelato non sufficit solum docere, (2) more Scribarum et Pharisaeorum, qui, *Matth. 23,* dicunt et non faciunt; sed debet exemplo Christi facere et docere, *Act. 1:* immo sicut summe pertinet ad eum docere, ita pertinet ad eum summe facere. Gregorius in *Pastorali:* Sit rector in operatione praecipuus, ut rectam viam subditis bene vivendo denunciet, et grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur: qui enim loci sui necessitate exigitur summa docere, (3) hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Propter hoc ergo bene dicit: « operum; » quasi dicat: non sit contentus verbis bonis ad subditos, sed potius innitatur bonis operum exemplis; sicut et Benedictus in regula sua de abbate loquens dicit: Omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat.

---

(1) Cod. Vien. in subditis. — (2) Cod. Vien.: dicere. — (3) Cod. Vien.: dicere.

Item, non sufficit ei facere bona occulta, nisi faciat etiam manifesta. Unde, *Matth. 5*, dicitur primitivis praelatis: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona; et ideo dicit: « exemplum. »

Item, non sufficit ei cavere a malo exemplo, nisi det etiam bonum. Unde *Luc. 12*, dicitur de eisdem: Sint lumbi vestri praecincti; quod pertinet ad declinationem a malo, secundum Gregorium; et lucernae ardentes, quod pertinet ad ostensionem boni exempli; et ideo dicit: « bonorum operum, » sine distinctione in particulari.

Item, non sufficit ei dare exemplum in uno bono, nisi det in omnibus. *Tit. 2*: In omnibus praebe te exemplum bonorum operum; in genere, sine distinctione in particulari.

Item, non sufficit dare exemplum aliquibus solum, nisi detur omnibus. *Matth. 5*: Ponunt lucernam (1) super candelabrum, ut lumen videant omnes qui in domo sunt. Et ideo dicitur: « circa omnes. »

Sic ergo quinque tanguntur in hoc verbo, circa praelati exemplum: debet enim inniti potius exemplis operum quam verbis; item, non solum operibus occultis, sed manifestis; item, non solum cavere a malo exemplo, sed dare operam ad bonum exemplum; item, non solum in uno, sed in omnibus; item, non solum aliquibus, sed omnibus debet dare bonum exemplum.

Et notandum quod licet omnes dare debeant bonum exemplum, juxta illud quod dicitur communiter omnibus, *Rom. 12*: Providentes autem bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; tamen praelati ad hoc magis tenentur. Unde Paulus de hoc facit exhortationem specialem Timotheo episcopo dicens, *1. Tim. 4*: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

Hujus autem sunt rationes multae. Praelatus enim est in alto statu, et ideo non potest abscondi, sicut civitas supra montem posita, *Matth. 5*. Et ideo cum aliquid turpe est in eo, quanto a pluribus videatur, (2) tanto fit derisio major de eo. (3) Sicut ergo qui ascendit

(1) Cod. Vien.: ponit lucernam. - Cod. Sp.: ponitur lumen. — (2) Codd. Vien. et Sp.: Et ideo sicut si aliquid turpe est in eo quanto a pluribus videtur... — (3) Codd. Sp. et Vien : in eo.

per scalam sollicitus est vestes suas restringere et aptare, ne aliquid turpe in eo videatur, ita curandum est praelato, eo quod in alto positus spectaculum est multorum, ut nihil inhonestum appareat in eo, sed potius omnimodae honestatis pulchritudo videatur in eo. Et ideo dicitur, *Zach. 4:* Vidi, et ecce candelabrum aureum, et lampas ejus super caput illius, et septem lucernae ejus super caput ejus. Quod ideo dicitur quia universa lux virtutum debet in tali lampade praefulgere.

Item praelatus est sicut exemplar a quo alii libri transcribuntur, juxta illud:

Regis ad exemplar totus componitur orbis.

Et ideo sicut libri transcripti ad malum exemplar sunt corrupti, ita exemplum praelati, nisi sit bonum, est causa corruptionis in omnibus subjectis. Et ideo, sicut magna cura apponenda est circa primum exemplar librorum quod sit multum bonum, ita requiritur quod exemplum praelati sit valde bonum. Unde Gregorius in *Pastorali:* Ille debet ad exemplum vivendi pertrahi qui carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur; qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur; qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat; qui ex affectu cordis alienae infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis profectibus laetatur; qui se imitabilem caeteris ita in cunctis quae agit insinuat, ut in eis non habeat quae saltem de praeteritis erubescat; qui sic studet vivere ut proximorum quoque corda arentia doctrinae fomentis valeat irrigare; qui orationis usu et experimento jam didicit quod obtinere a Domino quae poposcerit possit.

Item, est praelatus sicut ductor gregis, secundum illud, *Ps. 67:* Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron. Et ideo si vadit per viam malorum operum, sequitur eum populus per viam eamdem. Gregorius: Unde fit ut cum pastor per abrupta graditur, per praecipitium grex sequatur. Et ideo dicit Gre-

gorius, *ibidem*: Scire debent praelati quoniam tot mortibus sunt digni quot exempla perditionis ad subditos transmittunt, quia nimirum per illa exempla prava eos ad mortem ducunt. Mira perditio, horrenda crudelitas, ducere ad mortem aeternam quos ducere debent ad vitam aeternam! Ne sint ergo rei praelati tot mortium, debent ab exemplo ducente ad mortem cavere, et exemplum ducens ad vitam ostendere. Gregorius: Non debet hominum habere ducatum, qui nescit homines bene vivendo praeire.

Item, praelati sunt ministri Dei: et ideo, sicut famuli regis pulchrius incedunt quam caeteri populares, ita et ipsi debent pulchriorem virtutum conversationem ostendere. 2 *Cor. 6*: In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia; quasi dicat: in iis sic nos ornemus ut decet servos tanti domini.

Item, praelati sunt quasi signum (1) positum ad sagittas multorum obloquentium de eis falsa; et ideo expedit ut circa hoc remedium apponant. Hoc autem non potest aliter ita bene fieri sicut per bonum exemplum. Et ideo dicitur, 1 *Petri 2*: Haec est voluntas Dei ut bene facientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Item, in mundo Ecclesiae subditi sunt quasi corpora inferiora terrestria, praelati vero quasi corpora superiora coelestia, quae lucida sunt. Et ideo debent lucere sicut stellae quas posuit Dominus in firmamento ut lucerent super terram, sicut dicitur *Gen. 1*. Gregorius: Multi in tenebris vitae praesentis, dum superiores de se exempla praebent, astrorum more desuper lucent.

Item, opus exempli praestat efficaciam verbo, quia secundum Gregorium plus exempla quam verba movent. Cum igitur praelati sit docere, debet exemplum addere, ut vox sua vocem habeat virtutis. Et ideo *Eccli 29*: Confirma verbum, scilicet per opus. Gregorius: Auctoritas loquendi perditur, cum vox opere non juvatur.

Item, praelatus habet officium medici, et ideo coram infirmis non debet aliquam infirmitatem portare, ne dicatur illud Evangelii

---

(1) Cod. Grat.: sunt signum.

ei: Medice, cura te ipsum. Gregorius in *Pastorali:* Qua praesumtione alios mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ne ergo ejus officium contemnatur, debet coram aliis omnimodam sui ostendere sanitatem.

Item, filiorum est imitari patrem, secundum illud *Joan. 5:* Quaecumque pater fecerit haec et filius similiter facit. Et ideo cavendum est praelato ne sit de illis de quibus dicitur, *Matth. 23:* Secundum opera eorum nolite facere; sed potius cum Apostolo dicere: Imitatores mei estote. *Philip. 3.*

Quia igitur tot rationes concurrunt ad hoc ut praelatus teneatur prae caeteris dare bonum exemplum, bene dicit vir sanctus: « seipsum bonorum operum praebeat exemplum. » Quod etsi grave sit, recordetur quam gravia Christus sustinuit pro dando exemplo bono. Christus, inquit Petrus, 1 *Petr. 2,* passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.

CLXXXIII. De correctione quae debet vigere in praelatis.

Circa secundum est notandum quod quidam sunt praelati circa correctionem (1) delictorum negligentes. Contra quod dicitur in *Ps. 140:* Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me, etc. Sicut enim domini terrarum qui justi sunt exercent justitiam contra (2) delinquentes, ita ad praelatum justum pertinet corrigere: nec hoc est malitia, sed misericordia.

Item, (3) praelati negligentes in correctione, secundum Isidorum, assimilantur dormienti, de cujus manu cadit baculus pastoralis. Et pictores pingunt talem quasi accubantem in cathedra super cubitum, somno gravatum, et cadentem de manu ejus baculum pastoralem. Et bene sic assimilantur. Ex dormitione enim negligentiae virgam correctionis amittunt, et ideo ad evigilandum eos dicitur eis in persona summi praelati: Simon, dormis? *Marc. 14.*

Item, sunt sicut potestates qui ante se ferri faciunt gladium, et tamen sine causa, quia sunt ita inertes quod nunquam eo utuntur. Contra quos dicitur, *Rom. 13:* Si malum feceris, time potestatem: non enim sine causa gladium portat.

Item, sunt sicut imago beati Nicolai mortua tenens baculum in

---

(1) Cod. Sp.: correctiones. — (2) Cod. Vien.: circa. — (3) Cod. Tol.: Isti.

manu, quo nunquam utitur. Propter quod de tali dicitur: O Pastor et idolum. *Zach. 11.*

Praeterea, isti sunt qui nunquam scire volunt culpas subditorum, immo etiam gravantur cum eis dicuntur, et ad corrigendum incitantur, omnia dissimulare volentes. Contra quod dicit Benedictus in regula sua: Non dissimulet abbas peccata delinquentium; sed mox ut oriri coeperint radicitus ea, ut praevalet, amputet.

Item, isti sunt, qui nunquam utuntur irascibili potentia in bonum, non irascentes contra delicta; sed omnia cum quadam stulta patientia, quasi insensibiles, sustinentes. Contra quod dicit Bernardus: Non irasci ubi irascendum est, peccatum est.

Item, isti sunt qui excusationem suae ignaviae dicere solent quod religiosi subditi magis regendi sunt benignitate quam severitate, magis amore quam timore: quod licet interdum habeat veritatem, non tamen semper. Unde Augustinus *ad Bonifacium:* Quidam dixit: Pudore et libertate liberos retinere sanctius esse credo quam metu. Hoc quidem verum est: sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor. Et Isidorus: Qui blando verbo castigatur et non corrigitur, acrius necesse est ut arguatur: cum dolore enim abscindenda sunt quae lenitate sanari non possunt.

Et notandum quod negligentiam corrigendi multa mala sequuntur, quorum unum (1) redundat in praelatum, aliud in delinquentem, aliud in universitatem.

Sunt autem mala tria quae redundant in praelatum. Primum est confusio. Sicut enim honor est patris (2) bonos habere filios, ita redit in confusionem suam malitia filiorum. *Eccli. 22:* Confusio est patris de filio indisciplinato.

Secundum est culpa. Transeunt enim in praelatum culpae subditorum quos non corrigit. Gregorius in *Pastorali*: Si rector minus contra culpas accendatur, culparum omnium reus ipse tenetur. Hujus autem exemplum manifestum est in medico. Certum est enim quod reus est mortis infirmi suscepti in cura, nisi faciat quod in se est de infirmo curando. Aliud exemplum ponitur in *Gloss. Num. 25*, de

(1) Codd. Vien. et Sp.: quorum quoddam. — (2) Cod. Vien.: patri.

paedagogo cui culpa attribuitur si puer suae instructioni commissus minus disciplinatus ex sua negligentia inveniatur.

Aliud exemplum ponit Benedictus in regula de pastore dicens: Sciat abbas culpae pastoris incumbere quidquid paterfamilias in ovibus minus utilitatis poterit invenire.

Tertium est poena temporalis. Puniuntur enim non solum in futuro, sed etiam in praesenti praelati negligentes pro culpis subditorum. Hinc est quod dicitur, *Num. 25:* Initiatus est Israel Beelphegor, et iratus Dominus dixit a Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis. Hinc est quod dicitur 1 *Reg. 3:* Dixit Dominus: Eo quod noverit Heli indigne agere filios, et non corripuit eos, idcirco juravi domui Heli quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus in aeternum.

Hinc est iterum quod dicitur, *Apoc. 2,* angelo Pergami conquerendo et comminando: Habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam. Et *post:* Age poenitentiam, si quo minus veniam tibi; hoc est ad malum tuum.

Sunt iterum alia tria mala quae redundant in damnum delinquentis. Primum est excaecatio. Credit enim delinquens interdum cum non corrigitur illud quod fecit non esse malum, vel non esse tantum malum ut est. Ideo dicit Gregorius in *Pastorali*: Nonnulla vehementer increpanda sunt, ut, dum culpa ab actore non cognoscitur quanti ponderis sit, ab increpantis ore sentiatur, et ideo bene dicitur *Prov. 29:* Virga et correctio tribuit sapientiam.

Secundum est delicti multiplicatio. Delictum enim quod non corrigitur facilius multiplicatur. Bernardus: Impunitas est insolentiae mater, radix impudicitiae, transgressionum nutrix. Et ideo dicitur *Eccle. 8:* Quia cito non fertur contra malos sententia, idcirco absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

Tertium est finalis perditio. Qui enim non corriguntur, et ideo (1) facilius delicta continuant, finaliter perduntur, sicut patet de Adonia dicente: Ego regnabo; quem quia pater non corripuit aliquando,

---

(1) Cod Sp.: Quia enim non corriguntur, ideo....

ideo (1) finaliter est interfectus. 3 *Reg.* 1 et 2. Ideo dicitur, *Eccli.* 41: De patre impio conqueruntur filii, quod (2) propter ipsum sunt in opprobrium. Dicitur de quodam juvene quod cum propter delicta sua duceretur ad patibulum, et a patre eum sequente cum fletu peteretur osculum, in fine arripiens nasum eius eum dentibus abscidit (3) et dixit quod hoc fecit quia propter ejus culpam qui nunquam eum correxerat ab infantia, venerat ad hoc opprobrium.

Sunt et alia tria mala quae redundant in damnum (4) universitatis. Primum est infectio. Sicut enim morbida ovis, nisi sanetur, inficit gregem, ita peccatum unius incorrectum inficit alios. Origenes, super illud *Num.* 25: Suspende principes in patibulis: Pro populo coguntur praepositi rationem reddere, ne forte non docuerint, ne contagium dispergeretur in plures.

Secundum est difficultas corrigendi. Quanto enim in plures transit infectio, tanto difficilius est eam corrigere. Gregorius super illo verbo *Iob.* 41: Squammis se prementibus: Qui divisim corrigi poterant iniquitatum suarum pertinacia uniti perdurant.

Tertium est rebellio ad omne bonum. Delictum enim incorrectum non solum inficit alios, sed infectos omni malo rebelles reddit, ita ut nullum bonum spirituale possit ad eos introduci. *Iob*, 12: Una uni coniungitur, ita ut nec spiraculum quidem incedat per eas. Quod ideo dicitur, secundum *Glossam*, quia nulla exhortatio spiritualis apud tales proficit.

Propter haec ergo praedicta bene dicitur praelato « ut corripiat. »

CLXXXIV. De inquietis fratribus.

Sed est attendendum qui sunt quos vocat « inquietos, » et de causis hujus inquietudinis, et de reprehensibilibus circa tales, et quare specialiter dicantur corrigendi.

Inquieti, secundum *Glossam* in 1 *Thess.* 5, dicuntur curiosi sive gyrovagi. Ex quo elicitur quod inquieti proprie dici possunt qui curiositate exagitati secum consistere non possunt; sed modo intus, modo extra; modo in porta cum extraneis, modo in locutorio cum

---

(1) Cod. Vien.: quem pater non corripuit aliquando, et ideo.... — (2) Cod. Vien.: quoniam. — (3) Cod. Vien.: nasum ejus arripiens dentibus, eum abscidit. — (4) Codd. Sp. et Vien.: ad damnum.

fratribus; modo in hospitio, modo in infirmitorio; modo in horto, modo in coquina, et sic de aliis locis. Dixit quidam cuidam tali deridendo ipsum: Tu es sicut Deus, quia quocumque vadat quis, ibi inveniris, sicut Deus est ubique. Sed Seneca deridet elegantius hujusmodi hominem dicens: Nusquam est qui ubique est.

Porro hujusmodi homines sunt sicut musca, animal inquietum, quae modo super unum residens, modo super alium, et sic per multos discurrens, omnes molestat. Sic etiam isti discurrendo modo istum scandalizant, modo cum illo litigant; modo istum derident, modo illum concitant, et similia. Contra quod dicitur, 1 *Thess. 4:* Rogamus vos, fratres, ut detis operam ut quieti sitis.

Sunt iterum sicut pullus equinus habens sub cauda spinam, qui ubique discurrens nusquam potest quiescere. Sic et isti nec in cella, nec in oratorio, nec in aliquo loco possunt residere. Contra quod dicitur, *Ezech. 1:* Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli; quae scilicet facilis est ad motum. Videntur iterum habere argentum vivum in pedibus qui quiescere non possunt. Contra quod dicitur, *Ier. 14:* Haec dicit Dominus populo qui dilexit movere pedes suos, et Domino non placuit.

Circa causas hujusmodi (1) inquietudinis notandum est quod possunt esse tres. Una est levitas cordis, sicut accidit in goliardis, (2) qui ex levitate hujusmodi discurrunt ubique secundum impetum cordis sui. *Is. 57:* Abiit vagus secundum impetum cordis.

Alia est egestas (3) intrinseca, sicut accidit in paupere, qui cum deficiunt ei bona in domo sua, cogitur discurrere huc et illuc, ut inveniat in quo reficiatur. Et ideo, in *Is. 58,* junguntur egeni et vagi, ubi dicit: Egenos vagosque; quia egestas facit vagum.

Alia est aegritudo animae. Sicut enim aegritudo corporalis non sinit hominem quiescere, sed facit eum transire de loco ad locum; ita hujusmodi mobilitas signum est interioris aegritudinis. Seneca: Ægri animi jactatio ista est.

---

(1) Codd. Tol. et Sp.: hujus. — (2) Id est joculator, scurra; seu potius « clerici ribaldi. » *Decr. Lib.* VIII, *tit. 70, cap. 6.* — (3) Codd. Tol. et Grat.: indigentia.

Circa reprehensionem istorum notandum est quod mali multoties describuntur inquieti et vagi. Inde est quod, *Gen. 4*, primus malus post Adam, Cain scilicet, vagus describitur. *Job.* quoque *1*, dicitur diabolus circuire terram, et perambulare eam. Beatus vero Benedictus in regula sua quartum genus monachorum, quod est pejus omnibus aliis, dicit esse gyrovagos. *Prov. 7:* Mulier mala dicitur esse vaga, quietis impatiens, non valens in domo consistere, pedibus suis nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos. E contra vero boni describuntur quieti et stantes. Hinc est quod Benjamin amantissimus Domini tota die in thalamo commorari dicitur. *Deut 33. Joh. 5*, describitur Joannes Baptista stans. Stabat, inquit, Joannes Baptista. Beata quoque Virgo quietis amatrix vocatur, in eo quod angelus ingressus ad eam dicitur eam in secreto invenisse. *Luc. 1.* Beata etiam Maria Magdalena dicitur domi sedens, *Joh. 11.* Ex descriptione igitur tali qua mali dicuntur vagi et inquieti, boni vero e contrario, patet illorum reprehensio.

Praeterea in laudem bonorum frequenter recitatur quod fuerunt quieti. Hinc est quod dicitur, *Thren. 3*, de viro bono: Sedebit solitarius, et tacebit. Et Apostolus, 2 *Thess. 3*, de se ait: Non fuimus inquieti inter vos. Et in *Vitis Patrum* legitur de quodam sene quod cum veniebat ei cogitatio de movendo se de loco in quo erat, prius quam se moveret, per multum tempus deliberabat, cogitans apud se quid expediret. Et de confessore sancto cantat Ecclesia: Humilis pudicus, Sobrius, castus fuit et quietus. Quid autem ex tali laude colligitur, nisi reprehensio inquietudinis.

Praeterea verba sanctorum multum sunt contra hujusmodi inquietudinem. Unde Apostolus, 2 *Thess. 3:* Audivimus inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui hujusmodi sunt denunciamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent.

Item, Hieronymus: Monachum se esse non loquendo et discurrendo, sed tacendo et sedendo quisque noverit.

Item, in *Vitis Patrum,* frater quidam interrogavit abbatem Antonium dicens: Quid custodiens placebo Domino? Et ait ei senex: Quocumque vadis, habe Deum prae oculis, et in omnibus quae agis,

adhibe testificationem Divinarum Scripturarum; et in quocumque loco sederis, non cito movearis. Haec tria custodias, et salvus eris.

Item, *Ezech. 2* dicitur: Fili hominis, sta super pedes tuos; non dicitur: Discurre pedibus tuis. Quam reprehensibile igitur est quod Apostolus, quod senex, quod sanctus, quod ipse Deus suis verbis sic dehortantur!

Praeterea multae rationes sunt ad idem. Quae sic patent. Non est custodis sic discurrere, sed stare juxta rem custodiendam. Cum ergo homo habet custodire seipsum, juxta illud *Deut. 4:* Custodi temetipsum et animam tuam sollicite, multum pertinet ad eum stare apud se. Ideo dicit *Habac. 2:* Super custodiam meam stabo.

Item, in terra hostili facilius occiditur discurrens quam quiescens. Cum ergo nos simus inter hostes, facilius incurrimus periculum mortis discurrentes quam quiescentes. Et ideo dicitur Semei, 3. *Reg. 2:* Non egredieris huc et illuc; quocumque autem die egressus fueris, scito te interficiendum. Et sic factum est.

Item, majus signum bonitatis est in puero qui libenter manet (1) in domo cum parentibus, quam quando discurrit, sicut patet in Jacob, qui, *Gen. 25,* dicitur habitasse simplex in tabernaculis. Esau vero vagus et gnarus venandi. Argumentum ergo est bonae mentis quiescere. Seneca: Primum argumentum compositae mentis esse existimo consistere et secum morari.

Item, in discursibus plures accidunt occasiones peccati, sicut facilius maculantur pedes discurrentes quam quiescentes. Et ideo cum Arsenius quaereret a Domino quid esset ei faciendum pro salute, facta est ad eum vox dicens: Fuge, tace, quiesce: haec (2) enim radices non peccandi.

Nota (3) de superfluis et curiosis discursibus quod non attestantur virtuti, sed potius e contrario. Unde reprehensibile est eos quaerere vel diligere, sicut dicit Dominus per Jeremiam, *Jer. 15:* Dilexit movere pedes suos.

---

(1) Cod. Tol.: moratur. — (2) Cod. Vien.: hae. — (3) Cod. Vien.: Et ideo nota.

Item, profectum scientiae multum impediunt discursus, quia sicu. dicit philosophus, sedendo et quiescendo fit anima prudens.

Item, sicut dicit Apostolus, *Hebr. ult.,* optimum est gratia stabilire cor. Hujusmodi autem exagitatio signum est animi inconstantis, quia exteriora hominis indicant interiora. Seneca: Inconstantis animi est discurrere, et locorum varietatibus inquietari. Et Gregorius: Qui statum mentis perdit, subsequenter foras per inconstantiam motionis (1) fluit, atque exteriore mobilitate indicat quod interius nulla radice subsistat.

Item, est multum necessarium homini secum habere animum suum, et ideo cum sit valde labilis, cavendum est ab omni eo quod est occasio elabendi, (2) et danda opera ad illud per quod facilius retinetur. Hoc autem est quies corporalis. Seneca: Ut animam possis continere, primum corporis tui figuram siste.

Item, non accidit de facili quando vas fragile transfertur de loco ad locum quin aliquid de liquore quem continet effundatur: ita multis fuit occasio gratiae effundendae hujusmodi instabilitas. Et ideo dicitur *Is. 11,* secundum aliam translationem: Super quem requiescet, id est remanebit, spiritus meus, nisi super humilem et quietum?

Item, dicitur in proverbium: Pierre qui roule n'amasse pas de mousse. (3) Ita et tales qui semper sunt in motu non ascendunt de facili ad aliquam virtutem. Et ideo dicitur e diverso, *Luc. ult.*: Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. In quo innuitur quod quies multum valeat ad acquisitionem virtutis.

Item, homo vagus et tempus amittendo in quo nihil facit, et semetipsum inutiliter fatigando, sibi nocet non modicum. Seneca

---

(1) Cod. Vien.: mentis. — (2) Cod. Tol.: labendi. — (3) Proverbium illud in codicibus legi omnino nequit. Etenim cod. Sp. habet: « vere moveant ne enit modo non se; » - cod. Vien.: « monantucuit mon se; » - cod. Grat.: « quod petra volvetur voluto....; » - cod. Tol.: « Lieira volverit vol.... in essa. » Ex hujus farraginis prima specie, nec non et contextu sermonis censemus hic referri paroemiam vulgatam vel a temporibus mediis, quam ita vertunt Galli: « Pierre qui roule n'amasse pas de mousse. » Cf. Gratet - Duplessis: *Encyclopédie des Proverbes;* vel etiam Giusti, *Proverbi Toscani,* vel alios.

Nisi te ipsum statuas, nullus etiam tibi locus placebit; et quidquid facis contra te facis, et ipso motu tibi noces.

Item, res, quando inordinatae sunt, non quiescunt; quae vero ordinatae sunt, quiescunt, sicut patet in elementis. Inquietudo igitur signum est inordinationis. Augustinus: Minus ordinata non quiescunt, quae vero ordinata sunt quiescunt.

Item, *Gen. 4*, secundum aliam litteram dicitur: Egressus Cain a facie Domini habitabat in terra Naad, quod interpretatur fluctuatio, Hieronymus: Quicumque a Domino recedit, statim fluctibus saeculi quatitur, et moventur pedes ejus. Hujusmodi ergo motus signum est recessus a Deo. Sic accidit in famulo regi astanti, (1) qui ejectus ab eo fit vagabundus.

Sic ergo patet tam ex descriptionibus bonorum quam ex laudibus eorum, nec non ex dictis sanctorum et rationibus multis quam reprehensibilis sit inquietudo praedicta.

Circa ultimum (2) notandum quod tria sunt quare aliquod vitium magis est corrigendum. Primum est quando est manifestum; secundum est quando alios turbat; tertium est quando ex dissimulatione levius aut nullum reputatur. Et ideo cum omnia ista concurrant in vitio inquietudinis, dicitur specialiter corrigendum. Quod si faciendum est de isto, quanto magis de majoribus!

CLXXXV. De consolatione facienda fratribus a praelato.

Circa tertium notandum quod quidam sunt praelati tantam austeritatem semper praetendentes in verbis, in vultu et in factis, quod turbati fratres infirmitatibus (3) vel tentationibus, vel aliis angustiis, nunquam inveniunt apud eos aliquam consolationem.

Isti, (4) licet sint vicarii Christi qui dicitur Unctus, tamen ei contrarii magis utuntur cauterio quam unguento. Quo contra Bernardus: Christus magis est usus unguento quam cauterio.

Isti, licet in custodia receperint sauciatum, tamen non noverunt

---

(1) Cod. Tol.:... a Deo, sicut accidit in famulo regi assistenti, qui.... — (2) Codd. Sp. et Tol.: Circa tertium; sed male, quia hic est notabile quartum. Vide p. 560. — (3) Cod. Vien.: in infirmitatibus. — (4) Cod. Tol. hic et in sequentibus immediate paragraphis, habet « Item » pro « Isti. »

vulneribus ejus apponere nisi solum vinum. Quo contra dicitur, *Luc. 10*, de Samaritano, qui dicitur custos, quod infudit vulneribus sauciati non solum vinum, sed etiam infundens, inquit, oleum et vinum.

Isti sunt medici quidem, sed non noverunt conficere unctiones suavitatis. Quo contra dicitur *Eccli. 38:* Unguentarius faciet suavitatis pigmenta, et unctiones conficiet sanitatis.

Isti non habent in arca sua nisi virgam correctionis, et tabulas praeceptorum, cum tamen in arca Dei esset cum istis manna, quod habet dulcedinem, sicut dicitur *Hebr. 9.*

Isti sunt qui loco mellis ministrant absinthium, cum indigenti dulcedine consolationis exhibent amaritudinem austeritatis. (1) *Then. 3:* Replevit me amaritudine, inebriavit me absinthio.

Isti sunt qui filiis (2) petentibus panem, vel ovum, vel piscem consolationis, dant lapidem, vel serpentem, vel scorpionem asperitatis, contra illud quod de patre dicitur, *Luc. 11.* Timendum est istis ne impleatur in illis lamentatio de crudelitate struthionis, de quo dicitur, *Thren. 4:* Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. Timendum est ipsis ne isti sint sicut Judaei, vel pejores eis, cum filiis petentibus refrigerium vel potum ministrant potum odiosum, juxta illud *Ps. 68:* Et in siti mea potaverunt me aceto. (3) Haec autem est crudelitas ejus qui induratur ad filios quasi non sint, sicut dicitur *Job. 3.* Timendum est istis ne justitia quam praetendunt sit falsa, quia secundum beatum Gregorium, vera justitia compassionem habet. Et, secundum eumdem, quae est justitia sine misericordia?

Item, *Is. 61:* Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Et *post:* Ut consolarer omnes lugentes. Quomodo habent Spiritum Sanctum qui consolator dicitur, et quos ungit facit consolatores aliorum, qui de subditorum non curant consolatione?

Et notandum quod ex defectu hujusmodi consolationis multa mala solent accidere in subditis. Interdum enim propter hoc ducunt

---

(1) Cod. Sp.: austeritatum. — (2) Codd. Sp., Tol. et Vien.: Isti sunt similes (illis qui) filiis.... — (3) Duo ultima incisa: « Timendum est istis.... Timendum est ipsis.... » habentur ordine inverso in cod. Tol.

vitam in amaritudine. *Thren. 1:* Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator.

Interdum dimittunt bona consueta. *Thren. 1:* Deposita est vehementer, non habens consolatorem. Quod fit quando anima, propter defectum consolationis, cadit a bonis quae faciebat ante.

Interdum facit vacillare circa (1) statum suum mutandum. Et ideo e diverso dicitur, *Act. 15:* Judas et Sylas cum essent prophetae, consolati sunt fratres et confirmaverunt. Praeponitur confirmationi consolatio, quia consolatio confirmat.

Interdum facit deficere in labore. Propter quod Dominus dedit manna laborantibus in deserto ne deficerent. Et ideo dicit Apostolus *Philip. 4:* Omnia possum in eo qui me confortat.

Interdum facit cadere in desperationem. Et ideo dicit Apostolus e diverso, 2 *Cor. 2:* Consolemini eum qui hujusmodi est, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.

Interdum facit gravia concipere contra praelatum, ut rebelliones, vel alia hujusmodi. Exemplum, 3 *Reg. 12,* de Roboam, a quo recessit Israel, et rebellavit perpetuo, quia non est ei locutus lenia, juxta consilium senum, sed dura juxta consilium juvenum.

Quia ergo tot mala sequuntur ex defectu consolationis in subditis, multum pertinet ad praelatum subditorum consolationibus operam dare.

Possunt autem ad hoc ipsum multa incitare. Et primo exempla. Et inter ista primo exemplum Dei, quem Apostolus vocat Deum totius consolationis, 2 *Cor. 1;* et dicit de eo, *ibidem:* Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Secundum exemplum angeli. *Zach. 1:* Respondit (2) Dominus angelo qui loquebatur verba bona et consolatoria; quae scilicet dixit angelus.

Tertium est exemplum bonorum virorum, et haec multa, sicut Job, *29 ejusd.,* cum sederet quasi rex circumstante se exercitu, erat tamen moerentium consolator. Tobias, sicut dicitur *ejusd. 1,* quotidie pergebat per cognationem suam, et consolabatur eos. Sic Paulus

(1) Cod. Tol.: contra. — (2) Codd. Tol. et Sp.: Ostendit.

non solum praesens consolator, sed absens mittebat Tychicum ut conlaretur corda discipulorum, sicut patet *Eph. 6,* et *Col. 4.*

Secundo (1) incitare potest et debet officium. Praelati enim est exercere (2) circa subditos officium matris. Unde Bernardus ad praelatos: Discite matres subditorum vos esse, non dominos. Matris autem est de filiorum consolatione esse sollicitam. Et ideo post praedictum verbum dicit idem sanctus: Mansuescite, deponite severitatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgescant. Si spirituales estis, instruite in spiritu lenitatis: quae mater est ubera habet non vacua, nec cessat de ubere compassionis exprimere lac consolationis. Videas eam, si quem (3) forte deprehenderit forti tentatione concussum, et ideo turbatum tristemque et pusillanimem factum, quomodo condolet, mulcet, plangit, consolatur; quot argumenta pietatis reperit quibus erigat desolatum! Et ideo dicitur, *Is. ult.:* Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis; quomodo si mater blandiatur, ita consolabor vos. Mater siquidem ut consoletur filium modo dat ei pomum, modo cantat ei, modo dat ei ubera, modo super genua blanditur, et similia excogitat, quaecumque filium consolari possunt. Sic igitur faciendum est praelato officium matris habenti.

Tertio (4) incitare possunt facta mundana. 2 *Reg. 10,* legitur quod David misit servos suos ad Hanon regem filiorum Ammon, ut consolaretur eum super patris interitum. *Job. 2,* legitur quod tres amici Job, qui dicuntur reges, venerunt singuli de locis suis ut pariter consolarentur Job. *Joan. 11,* legitur quod multi Judaei venerunt ad Mariam et Martham, ut consolarentur eas de fratre suo. Si isti (5) tam solliciti fuerunt de consolatione desolatorum, quorum curam non habebant, quod vel miserunt, vel venerunt aliunde ad hoc, quanta crudelitas est si ille qui curam habet alicujus desolati, et eum coram se videt quotidie, non habet curam de consolando ipsum! Bene ergo dicit Augustinus praelato ut «consoletur,» si quos habet «pusillanimes.»

---

(1) Cod. Vien.: secundo modo. — (2) Cod. Tol.: exercitare. — (3) Cod. Vien. ex correct. et cod. Sp.: quo modo. — (4) Cod. Vien.: Tertio modo. — (5) Cod. Tol.: Et si isti....

CLXXXVI. De pusillanimitate. Circa quod notandum est qui vocentur pusillanimes, et quare specialiter dicantur (1) consolandi, et de iis quae possunt valere ad consolationem eorum.

Notandum ergo est quod secundum philosophos magnanimitas est virtus inter audaciam et timiditatem: unde sicut temeritas audaciae provenit ex animi magnitudine, ita pusillanimitas ex animi parvitate. Potest enim dici pusillanimitas timor immoderatus ex animi parvitate procedens.

Porro ista pusillanimitas facit interdum aestimare de re quae non est peccatum quod sit peccatum, sicut accidit in multis religiosis, maxime in principio conversionis (2) suae, qui in multis aestimant peccatum esse ubi non est, sicut dives timidus, qui quando videt pauperem aestimat furem; quando videt divites, aestimat praedones; et cum sit pax, insidias suspicatur. *Ps. 13:* Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.

Interdum vero facit timere quae vere non sunt timenda, licet habeant effigiem timendam, ut adversitates, et verba hominum, et hujusmodi; sicut pueri timent larvas quae vere non sunt timendae. Bernardus: Timent quae non oportet.

Interdum rem timendam facit nimis timere, ut pericula; sicut accidit quibusdam qui in mari continue timent, et nimis. Isti sunt qui sentientes tentationes et pericula mundi clamant dicentes: Domine, salva nos perimus! Quos Dominus reprehendens de nimia timiditate, dixit: Quid timidi estis, modicae fidei? *Matth. 8.*

Interdum retrahit ab agressione ardui laboris. Bernardus: Pusillanimis ab agressione futuri laboris victus, non telo, sed tuba prosternitur.

Interdum ardua inchoata facit dimittere, ex diffidentia consummationis. *Jer. 46:* Vidi pavidos terga vertentes. Quod fit cum ex timiditate recedit quis ab aliquo laborioso opere, cui consummando debebat intendere. Et sic patet qui dicantur pusillanimes.

Circa consolationem istorum, notandum quod quaedam sunt passiones forinsecae, ut in membris exterioribus; quaedam vero intrin-

---

(1) Cod. Sp.: dicuntur. — (2) Cod. Tol.: conversationis.

secae, ut in interioribus: et talis est pusillanimitas. *Deut. 32:* Foris vastabit eos gladius, et intus pavor.

Item, sunt quaedam quae non incurrunt de facili: haec vero de facili. *Levit. 26:* Terrebit eos sonitus folii volantis.

Item, quaedam sunt quae non incurrunt nisi ex paucis causis: haec vero ex multis. *Job. 18:* Undique terrebunt eum formidines.

Item, quaedam sunt quasi interpolatae: haec vero quasi continua. *Deut. 28:* Timebis nocte et die, et non credes vitae tuae. Mane dices: Quis mihi det vesperam? Et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem.

Item, quaedam sunt sine magno periculo: haec vero valde periculosa, quia est via ad desperationem et mortem. Bernardus: Reprobis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem: desperatio vero interimit.

Item, quaedam sunt facile sanabiles: ab ista vero vix aliquis sanatur. Et ideo dicit, *Ps. 54:* Qui salvum me facit a pusillanimitate spiritus; quasi miraculum hoc reputans.

Item, ista passio ut frequenter reputatur virtus ab habente, quia dicit Scriptura, *Prov. 28:* Beatus vir qui semper est pavidus; et non cogitat haec dicens quia alia Scriptura dicit, *Eccli. 7*: Noli esse pusillanimis in animo tuo. Et ideo periculosior.

Porro consolatio est quasi electuarium confortativum cordis. *Ruth. 2:* Consolatus es me, et locutus es ad cor ancillae tuae. Ad istud autem electuarium ministrandum misit Apostolus Ephesum (1) dicens, *Eph. 6:* (2) Quem misi ad vos, ut consoletur corda vestra. Cum ergo passio pusillanimitatis praedicta tam gravis, tota procedat ex defectu cordis, valde pium est illis qui hujusmodi sunt consolationem impendere.

Praeterea pusillanimitas unius multos timidos reddit. *Deut. 20:* Quis est homo formidolosus et corde pavido? Revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum. Et ideo revertitur in damnum commune pusillanimitas.

---

(1) Cod. Sp.: ad Ephesios. — (2) Scil. Tychicum.

Item, daemones magis infestant pusillanimes, sicut nisus (1) magis insequitur aves pavidas, ut columbas; et canes magis insequuntur animalia pavida, ut lepores et cervos; et timiditas summe dat audaciam hosti insequenti. Et ideo dicit Apostolus e converso, *Eph. 6:* Confortamni in Domino, et in potentia virtutis ejus. Et *post*: Ut possitis stare adversus insidias diaboli; innuens per hoc quod cordis confortatio multum valet contra daemonum impugnationem.

Ex iis ergo patet quod confortatio pusillanimium est opus magnae pietatis, et cedit in bonum commune, et confert contra malitiam daemonum; et ideo pusillanimes sunt specialiter consolandi.

Circa ea quae valent ad consolationem talium, notandum quod ad consolationem pusillanimium qui sunt in Dei servitio multa valere possunt.

Unum est verbum divinum. Ipse enim Deus est qui dicit, *Luc. 12:* Nolite timere, pusillus grex. Si magna est consolatio existenti in periculo maris, vel infirmitatis, vel belli, quando dicit sapiens gubernator navigantibus, sapiens medicus infirmantibus, sapiens dux pugnantibus: Nolite timere; quanta debet esse consolatio illis quibus tantus et tam sapiens dixit: Nolite timere!

Aliud est spes de divino auxilio. (2) Sperare enim potest omnis ei serviens quod non deseret, sed habebit curam de creatura sua sanguine suo redempta. Et ideo dicitur *Is. 43:* Noli timere, quia ego redemi te; quasi diceret: ideo cura est mihi de te magna. Si autem spes omnis est consolatoria, juxta illud *Rom. 12:* Spe gaudentes; quanto magis talis spes debet consolari!

Aliud est promissio hujus auxilii, quod majus est quam spes, de quo (3) *Is. 41:* Servus meus es tu: ego elegi te, et non abjeci te; ne timeas, quoniam ego tecum sum. Si obsessis est magna consolatio quando aliquis potens mandat eis quod cum eis erit, et juvabit eos: quanto major debet esse consolatio illis cum quibus dicit Dominus se non futurum, sed adesse.

Aliud est societas bona et magna. Quis est enim adeo timidus

---

(1) Avis quam Galli dicunt « émouchet, » vel etiam « épervier commun. » — (2) Cod. Vien.: consilio. — (3) Codd. Tol. et Vien.: de qua.

quem societas bona non confortet? Speratur enim quod servientes Deo non solum habent secum in societate angelos, immo et bonos viros vitae presentis, immo et sanctos. 4. *Reg. 6,* dicit Eliseus puero suo timenti: Noli timere: plures enim nobiscum sunt. Quod dixit de angelis. Quantum ergo confortari possunt qui cum angelis habent etiam sanctos et bonos adhuc viventes!

Aliud est contrariorum prostratio. Quidquid enim est in mundo terribile, sive peccatum, sive diabolus, sive prospera, sive adversa, totum devictum est a Domino. Et ideo dicit *Joan. 16:* Confidite, ego vici mundum. Sicut ergo minus timet qui cum jam debellato hoste pugnaturus est, ita postquam devictus est mundus, magna consolatio fiduciae potest oriri in cordibus omnium qui habent cum ipso pugnare.

Aliud est beneficium gratiae. Gratia enim est sicut gladius quo sufficienter potest se homo defendere ab omni re timenda. Propter quod dixit Dominus apostolo petenti amoveri stimulum: Sufficit tibi gratia mea, 2 *Cor. 12,* scilicet ad defendendum te. Sicut ergo magna est consolatio bonus gladius pugnaturo, ita gratia Dei cuilibet constituto in timore; et ideo dicit Apostolus, 2 *Tim. 2:* Tu autem, fili mi, confortare in gratia quae est in Christo Jesu.

Aliud est remunerationis consideratio. Gregorius: Quidquid intollerabile pusillanimitas asserit, hoc leve et facile spes remunerationis ostendit. Et ideo Dominus, *Luc. 12:* Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro vobis dare regnum; quasi dicat: regni promissio vos confortet.

Patet ex jam dictis quomodo convenit praelato consolari, (1) et specialiter circa pusillanimes.

CLXXXVII. De modo praelati se habendi ad infirmos.

Circa quartum est notandum quod multiplex est infirmitas. Quaedam est corporalis aegritudinis. *Luc. 4:* Omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad Jesum: at ipse singulis manus imponens curabat eos. Hujus autem exemplo tales infirmi suscipiendi sunt a praelato in visceribus compassionis ad medicinalia pro salute. Unde Augustinus,

(1) Codd. Sp., Vien. et Grat.: consolatio.

supra: « Fiat sine murmure de consilio medicinae, ita ut, etiamsi nolit, jubente praeposito faciat quod faciendum est pro salute. »

Alia est corporalis debilitas. *Matth. 26:* Caro autem infirma; id est debilis. Sic infirmi sunt qui habent complexionem debilem. Et tales suscipiendi sunt pie dispensative ad aliquas speciales recreationes. Unde supra: « Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium aliquid alimentorum, operimentorum, vestimentorumve datur, quod aliis fortioribus, et ideo felicioribus non datur, non debet aliis molestum esse. »

Alia est infirmitas concupiscentiae carnalis, ex qua contingit quod aliquis interdum patitur lubricum turpem, vel frequentem, licet occultum. *Rom. 6:* Propter infirmitatem carnis. *Glossa*: Quae est ex carne. Hujusmodi autem infirmi suscipiendi sunt cum omni benignitate in foro confessionis, ne detur eis occasio fugiendi confessionem. Bernardus: Cur morsus a serpente parvulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quam oportebat tanquam ad sinum matris recurrere?

Alia est infirmitas morum vitiosorum. (1) Bernardus: Annon mali mores sunt mali humores? Mali autem humores sunt morbi causa. Tali autem infirmitate laborant homines iracundi, (2) homines impatientes, homines impetuosi, homines durae obedientiae, et hujusmodi. Tales autem suscipiendi sunt inter bracchia patientiae, ut sint materia ad merendum. Bernardus: Quid causaris aliquorum qui tecum sunt magis gravari consortio, quam frui solatio, cum solus omnibus datus sis solatium, tamquam omni sanior, omni fortior? Denique quantum (3) gravaris, tantum lucraris; et quantum juvaris, tantum tibi praemium minuis. Elige ergo quos eligas: aut qui gravando juvent, aut qui juvando gravent: illi tibi promeritores, ii sunt praemii fraudatores.

Alia est infirmitas vacillationis, de qua, *Sap. 4*, dicitur in figura: Vitulamina infirmiter posita a vento commovebuntur. Huiusmodi autem sunt qui non sunt firmi in statu suo, et tales suscipiendi sunt

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: morum sive vitiorum. — (2) Cod. Vien.: verecundi — (3) Cod. Sp.: quanto magis.

sollicite ad confirmandum. *Apoc. 3:* Esto vigilans, et confirma reliqua quae moritura erant.

Alia est infirmitas dubitationis. Et haec est duplex: quaedam circa credenda, de qua *Rom. 14:* Infirmum in fide assumite; quedam circa agenda, de qua 1 *Cor. 8:* Conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur. Hujusmodi autem infirmitate laborant qui vel tentantur de fide, (1) vel pusillanimitate conscientiae in agendis vacillant. Tales infirmi suscipiendi sunt in spiritu mansuetudinis ad instruendum. *Gal. 6:* Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; illos scilicet qui praeoccupantur (2) in aliquo delicto. Tales autem sunt hujusmodi infirmi, qui non ex malitia, sed ex ignorantia cadunt interdum, sicut caecus in via.

Alia est infirmitas imperfectionis, de qua 1. *Cor. 9:* Factus sum infirmus infirmis. Tales autem sunt novicii, et alii qui nondum ascenderunt ad perfectionem in Christo; et isti sunt charitative suscipiendi tamquam parvuli ad parvulorum nutrimentum. 1 *Cor. 3:* Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.

Sed sunt aliqui praelati, quod cum dolore referendum est, qui infirmis non viscera pietatis, sed potius crudelitatis ostendunt, non condescendentes eorum infirmitatibus. Non sunt isti sicut sanctus Nicolaus, qui super afflictos pia gestabat viscera; non sicut Job, cum quo ab infantia crevit miseratio *Job. 31;* non sicut Paulus, qui dicebat, 2 *Cor. 11:* Quis infirmatur et ego non infirmor?

Isti sunt medici animarum, sed non est eis cura de male habentibus. Contra quod dicit Bernardus: Sciant fideles praepositi animarum languentium sibi curam creditam, cumque interdum cujusquam murmur querulae vocis deprehendunt, etsi in ipsos usque ad convitia proruperit, medicos se, non dominos recognoscentes, parant confestim contra animae phrenesim non vindictam, sed medicinam.

Isti sunt illi pastores maledicti de quibus dicitur, *Ezech. 34:* Vae pastoribus Israel! Et *post:* Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, et quod confractum non alligastis, et quod abjectum non reduxistis, et quod perierat non quaesiistis.

---

(1) Codd. Vien. et Sp.: in fide. — (2) Cod. Tol.: occupantur.

Item, *Eccli. 30,* dicitur de bono patre: Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, et super omnem vocem suam turbabuntur viscera ejus. Quod dicitur propter hoc, quia quandocumque audiunt hujusmodi patres aliquid malum de filiis, propter viscera pietatis quae habent ad ipsos, statim turbantur. Quam longe sunt a tali statu patres illi qui sic ad filios indurantur, ut claudant ad infirmos viscera pietatis!

Praeterea de Spiritu Sancto legitur, *Rom. 8,* quod adjuvat infirmitatem nostram. De Paulo iterum legitur, *Act. 20,* quod ipse laborabat manibus propriis, ut haberet unde susciperet infirmos, et sic faciendum exemplo suo monstraret.

Natura iterum docuit omnia animalia quod majorem curam habeant de foetibus adhuc debilibus, quam quando facti sunt fortes. Contrarii ergo sunt Spiritui Sancto, contrarii Paulo, contrarii naturae praelati ad infirmos crudeles.

Item, praelatus potius assumitur ad onus quam ad honorem; et illos subditos qui propter aliquam infirmitatem mentis vel corporis sunt onerosi, non debent projicere: sed potius humeros supponere ad portandum. Bernardus: Onus est animarum infirmarum: nam quae sanae sunt portari non indigent. Quoscumque ergo de tuis inveneris tristes, pusillanimes et querulosos, ipsorum patrem te cognoscens et abbatem, consolando, exhortando, et increpando age opus tuum, porta onus tuum, et portando sanes quos sanando portas.

Item, praelati positi sunt in Ecclesia non propter bonos et perfectos, sed propter minus bonos. Quomodo faciet officium praelati qui circa tales non vult exerceri? Bernardus: Quos docebis, magister bone, si omnes indoctos repuleris? Quorum habes diligentiam disciplinae, si omnes indisciplinatos effugaveris vel fugeris? In quibus probabis tuam patientiam, si solos admiseris mansuetos, et inquietos excluseris?

Item, legitur in *Vitis Patrum* quod venerunt aliquando tres senes ad abbatem Achillem, quorum unus habebat malam opinionem, et dixit ei unus: Abba, fac mihi unam sagenam. Et dixit abbas: Non faciam. Et dixit ei alius: Fac nobis ut habeamus memoriam tui. Et ille dixit: Non mihi vacat. Dixit ei tertius qui habebat ma-

lam opinionem : Fac mihi ut habeamus de manu tua benedictionem. Et dixit ei : Ego tibi facio. Et dixerunt ei illi duo : Quare propter nos non fecisti, sed propter illum ? Et dixit abbas : Propter vos non feci, quia non contristabimini : hic autem, (1) si non fecero, dicturus est : Audivit senex de opinione mala, et ideo noluit mihi facere.

Ibidem iterum legitur : Si facis bonum fratri de quo audiatur bonum, duplum fac illi de quo malum audisti. Ipse enim est qui infirmatur.

Ex iis patet quod infirmi sunt lenius pertractandi. Et ideo bene dixit : « suscipiat infirmos ; » scilicet in visceribus charitatis.

CLXXXVIII. De patientia praelatorum ad omnes subditos.

Circa quintum notandum quod tria sunt quae dare solent occasionem impatientiae. Unum est magnitudo status. Facilius enim solent irasci viri magni qui non habent supra se reprimentem, quam minores. *Eccli. 28 :* Secundum ligna sylvae sic exardescet ignis ; et secundum virtutem hominis, id est potentiam, sic iracundia ejus erit.

Aliud est gravamen, sicut in infirmo patet, qui propter gravamem infirmitatis citius commovetur. Exemplum de Job qui quasi gravatus infirmitate videtur multa quasi impatiens dixisse amicis consolari eum volentibus.

Aliud est multitudo negotiorum. Haec enim sunt quasi muscae pungentes, et ideo quanto plura sunt, tanto magis molestant, sicut multitudo muscarum. Et ideo dicit Gregorius de viris negotiosis : Israel accepit sabbatum, id est quietem, in munere. Ægyptus percutitur muscarum multitudine.

Ista vero tria sunt in praelato, quia in altiori statu est, et gravatus onere regiminis, et multis quotidie distractus negotiis : et ideo multas habet occasiones impatientiae.

Verum impatientia praelati multum est periculosa. Ad ipsum enim propter regimen cuncta pertinet facere sapienter. Impatientia vero perturbat sapientiam. *Prov. 14 :* Impatiens operabitur stultitiam. Et *post* : Qui vero patiens est multa gubernat prudentia. (2)

Ad ipsum iterum pertinet juste judicare, juste corrigere, et omnia

---

(1) Codd. Vien. : hinc autem. — (2) Cod. Vien. : sapientia.

juste facere. Impatientia vero perverse et injuste omnia facit. *Jac. 1:* Ira viri justitiam Dei non operatur.

Item, impatiens est quasi furiosus, secundum illud Horatii: Ira furor brevis est. Furia vero magis periculosa est in soluto quam in ligato. Praelatus vero est quasi solutus, quia non est ligatus per obedientiam, sicut subditus. Et ideo sua impatientia totam domum perturbat, sicut furiosus solutus. Contra quod dicitur, *Eccli. 4:* Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.

Patet ex jam dictis (1) quam periculosa sit impatientia praelati, cum perturbet ejus sapientiam, et pervertat justitiam, et faciat abuti potentia.

Notandum autem quod sicut praelatus habet alios portare, ita et ipse indiget portari a subditis. Nihil autem est quod faciat eum magis importabilem quam impatientia. *Prov. 18*: Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Nec mirum est, quia sicut dicitur, *Prov. 27*: Grave est saxum et onerosa arena: sed ira stulti utroque est gravior.

Item, debet esse talis ad quem omnes possint recurrere: impatienti vero vix audet aliquis appropinquare, sicut scriptum est de Nabal, 1 *Reg. 25,* ubi dicitur: Ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.

Item, praelatus est quasi signum ad sagittam, contra quem (2) alius obloquitur, alius murmurat, alius judicat; alium invenit dure obedire, (3) alium perverse, alium insipienter agentem, alium in tali defectu, alium in tali delicto: et ita, nisi sit patiens, (4) semper erit turbatus, et numquam tranquillus, quod valde est contrarium statui praelationis. Sicut enim Deus qui omnia regit in summa est tranquillitate, ita debet praelatus in tranquillitate omnia disponere, et non turbari turbinibus aliorum. Unde de David rege dicitur, 2 *Reg. 14:* Sicut angelus Domini, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.

---

(1) Cod. Grat.: Patet ex iis quam. — (2) Cod. Sp.: cui vel contra quem. — (3) Cod. Vien.: durae obedientiae. — (4) Cod. Vien.: sapiens.

Quia igitur sic praelatus cavere debet ne sit aliis onerosus, et (1) aliis accessibilem debet se praebere, et tranquillitati suae debet providere, necessaria ei est patientia. Bene ergo datur praelato mandatum de patientia habenda « ad omnes, » quia et occasiones multas habet impatientiae, et periculosa est valde impatientia ejus, et necessaria ei est patientia propter multa, ut patet ex jam dictis.

Sequitur: **Disciplinam libens habeat, metuendus (2) imponat.**

In hoc quinto mandato circa bonas conditiones praelati determinatur quomodo se debeat habere circa disciplinam. Et notandum quod disciplina tripliciter accipitur. Quandoque dicitur correctio. *Prov. 23:* Noli subtrahere a puero disciplinam.

Quandoque dicitur religiosa morum compositio. Hugo de Sancto Victore: Disciplina est membrorum omnium motus ordinatus, et dispositio decens in omni habitu et actione.

Quandoque dicitur opus poenitentiale, ut sunt abstinentiae, (3) jejunia et vigiliae, vestis asperitas, strati durities, et hujusmodi, quae pertinent ad vitae asperitatem. *Hebr. 12:* Omnis disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris. Et hoc modo accipitur hic.

CLXXXIX. Contra religiones in quibus periit vitae austeritas.

Et notandum quod in quibusdam religionibus ita periit hujusmodi disciplina, sive vitae asperitas, quod nec apud majores, nec apud minores servatur. In aliis vero religionibus, etsi servatur apud minores, non tamen apud

---

(1) Cod. Tol.:.... onerosus, ut possit aliis accessibilem se praebere. — (2) Hic notatur apud Migne, Edit. 1841: « Lov. metuendus imponat. » Sed omnino exigunt verba subsequentia ut hic legatur « metuens, » sicuti ferunt mss. quatuor. » — Attamen « metuendus » omnino nobis legendum est, tum propter Humberti auctoritatem hic et Codice nostro liturgico; tum etiam propter ipsummet contextum. De quo ita lepide et optime me cautum fecit solitus amicus: « Le P. B.... dans sa traduction de la règle a traduit *metuendus:* » en « tremblant. » Je considère cela comme contraire au sens de l'auteur. Vos amis les.... voteraient pour *metuens*. Pour eux un vrai prieur doit avoir *la tremarella* tous les jours de sa vie. « Un priore coi baffi? Madonna!... Dio guardi!... » — (3) Codd. Sp.: abstinentia.

majores. Apud quosdam vero alios, servant haec majores quidem, (1) sed non minores, quia non ad hoc compelluntur.

De primo loquens Bernardus in diversis locis dicit sic: Miror unde inter monachos tanta (2) intemperantia in commessationibus, et potationibus, et vestimentis, et lectisterniis insolescere potuit. Ecce parcitas reputatur avaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur; e converso, remissio dicitur discretio, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities vestimentorum honestas, lectorum superfluus cultus munditia. Cumque hoc alterutrum impendimus, charitas reputatur. Haec charitas charitatem destruit. Talis misericordia crudelitate plena est. Quae enim est charitas carnem diligere, et spiritum odire? Quae misericordia ancillam reficere, et dominam interficere? Quis unquam, quando incoepit monasticus ordo, ad tantam crederet inertiam monachos devenire? O quantum distamus (3) ab illis qui in diebus Antonii extiterunt monachi! Siquidem illi invicem cum se inviserent, tanta aviditate panem animarum percipiebant, ut cibum corporis obliti diem quandoque transigerent jejuni, ut parti digniori, scilicet animae, prius serviretur. Nobis autem convenientibus panem coelestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed risus et nugae proferuntur in ventum. Inter prandium (4) quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus. Interim autem fercula ferculis apponuntur, et pro solis carnibus a quibus abstinetur grandium piscium corpora duplicantur, et cum prioribus fueris satiatus, nisi secundos attigeris, videberis nondum (5) pisces gustasse. Tanta quippe curatione et arte coquorum omnia praeparantur, ut quinque vel sex degustatis, prima non impediant novissima, nec satietas minuit appetitum. Quis igitur sufficiat dicere quot modis, ut caetera taceam, sola ova versantur et vexantur, quanto studio evertuntur, subvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur; et nunc mixtim, nunc sigillatim; et nunc quidem frixa, nunc assa; nunc

---

(1) Cod. Vien.:... hoc majores quidam.... — (2) Cod. Vien.: miror unum inter monachos quomodo tanta. — (3) Cod. Grat.: distant. — (4) Codd. Vien. et Sp.: prandentes. — (5) Cod. Tol.: nedum.

elixa, nunc farsa apponuntur! Ipsa denique rerum qualitas talis deforis apparere curatur (1) ut non aspectus delectet minus quam gustus. Iamvero de potu aquae quid dicam, quando nec vinum aquatum ullo modo (2) admittitur. Omnes quidem postquam monachi sumus, infirmos stomachos habemus! Et utinam vel solo vino, et uno, et solo puro contenti essemus! Pudet dicere! Videas in uno prandio ter vel quater semiplenum calicem reportari, ut diversis vinis magis olfactis (3) quam gustatis, nec tam haustis quam attractis sagaci probatione ex pluribus quod sit fortius eligatur.

Quid de ipso habitu dicam, in quo jam non calor sed color quaeritur; nec secundum regulam quod vilius inveniri potest, sed quod vanius ostentari? Ecce habitus noster, qui humilitatis nostrae solebat esse insigne, a modernis portatur in signum superbiae, et vix in nostris invenitur provinciis quo vestiri dignemur. (4) Heu mihi! Cur adhuc vivo videns (5) ad hoc nostrum Ordinem devenisse?

Et notandum quod dives ille evangelicus qui epulabatur quotidie splendide, induebatur purpura et bysso, de tantis deliciis multum reprehensibilis judicabatur. Quanto magis sunt reprehensibiles nimiae delitiae in paupere, et Christi paupere, qualis est religiosus!

Item, multum displicuit Domino quod filii Israel concupierunt concupiscentiam in deserto, id est concupiscibilia; et licet satisfecerit Dominus eorum desiderio, tamen eos graviter super hoc punivit. *Ps. 77:* Manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis; et *post*: Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Quantum ergo timendum est illis qui in deserto religionis faciunt excessus praedictos circa delicias!

Item, dicit Dominus, *Joan. 13:* Non est servus major Domino suo. Quomodo ergo sunt veri servi Jesu Christi qui utuntur tot deliciis, cum ipse Christus austeram vitam semper duxerit in hoc mundo?

---

(1) Cod. Vien.: talia deforis apparere curat.... — (2) Codd. Sp. et Vien.: quando vinum aquatum nullo modo... — (3) Cod. Sp.: reportari vix magis olfactis. — (4) Cod. Tol.: quod vestire dignetur. — (5) Codd. Vien. et Tol.: videre.

Item, valde inordinata est curia in qua multum curatur de fatuis satiandis, et in qua servi majoribus dominantur. Talis autem est religio in qua tanta cura habetur de fatuo corpore replendo deliciis, et in qua virtus sensibilis, quae debet esse subjecta potentiis rationabilibus, dominatur eisdem. Ideo dicitur e converso, *Prov. 19:* Non decent stultum deliciae, nec servum dominari principibus. Quod fit quando corpus impletur deliciis, et sensui subjiciuntur potentiae rationales.

Item, boni viri non habent hic paradisum suum, quod sonat delicias, (1) sed expectant alibi meliorem; nec implent se modo deliciis carnalibus grossis, sed expectant subtiliores. *Ps. 103:* Expectabunt onagri in siti sua; ubi dicit *Glossa* quod onagri, quantumcumque sitiant, non implent se aquis turbidis: sed expectant quousque inveniant aquas limpidas. Quam longe ergo sunt a statu sancto qui sic implent se carnalibus voluptatibus in claustris!

Item, clerici non habent in bonis Ecclesiae nisi solum suas necessitates, et residuum est pauperum, sicut dicunt multae auctoritates sanctorum: ergo multo magis religiosi. Quanta ergo iniquitas est cum non contenti necessitatibus bona pauperum expendunt in superfluitatibus! Bernardus: In terra sanctorum quam possident tam iniqua agunt, quod stipendiis quae sufficere debent non contenti, superflua quibus egeni sustentandi essent, in usus superbiae et luxuriae consumere non verentur.

Item, numquid decet hominem propter Christum crucifixum quaerere delicias? Unde Chrysostomus *de compunctione:* Eos qui (2) videntur sustulisse crucem suam, et sequi Christum, per latam et spatiosam incedere viam nonne tibi prodigiosum videtur? Denique monachi cum de monasteriis requirunt, ante omnia requirunt si sit requies in loco, et si abundant omnia.

Item, sicut caro est contraria spiritui, ita carnalitas deliciarum contrariatur donis Spiritus Sancti. *Joan. 16*: Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Bernardus: Quis audeat de caetero carnis ille-

---

(1) Cod. Tol.: in delicias. — (2) Codd. Sp. et Tol.: quaerere delicias quasi de compunctione. Eos qui....

cebris phantasticis deditus (1) Paraclitum Spiritum expectare? Cum ergo propter spiritualia Dei dona quilibet ad religionem venire debeat, quantum est cuilibet religioso cavendum ab hujusmodi deliciis! Propter haec ergo praedicta, vae religioni a qua recessit vitae austeritas!

CXC. Contra praelatos et alios majores qui vivunt delicatius quam subditi.

De secundo loquens, idem (2) Bernardus dicit: Vides (3) quosdam de majoribus lautius comedere, sapidius bibere, indui pulchrius, cubare mollius, loqui licentius, orare rarius. Haec est enim abusio in tota Ecclesia, ut sicut sunt homines in statu sublimiore, sic et magis velint vivere delicate. Non sunt isti praelati secundum ordinem Apostolorum, de quibus dicitur, 1 *Cor. 4*: Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus; sed secundum ordinem Scribarum et Pharisaeorum, qui imponunt onera gravia et importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. *Matth. 23.* David autem rex sitiens, noluit bibere aquam quam tres fortes cum periculo vitae apportaverunt ei, sed libavit eam Domino dicens: Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem. Numquid sanguinem istorum hominum et animarum periculum bibam? 2 *Reg. 23.* Multi autem de statu humili transeuntes ad qualemcumque statum altiorem faciunt sibi magnas delicias assidue de iis quae pauperes fratres cum multo labore corporis et angustia cordis conquirunt. (4)

Legitur in *Historia Tripartita* quod cum Theodosius imperator esset in quadam expeditione in qua exercitus non inveniebat ad bibendum quidam, videns (5) eum aestuantem prae siti, obtulit ei potum limpidissimum confectum ex aromatibus, aqua frigida superfusa. Qui vincens animum suum noluit accipere, sed dixit offerenti ut alii cui vellet offerret. Et hoc fecit ut corda aliorum intuentium propter hoc animarentur ad tolerantiam sitis.

Simile legitur de Alexandro Magno, qui dum esset in quodam arido loco cum suis, quidam videns eum sitientem, quamdam aquam modicam inveniens, obtulit ei. Ille vero noluit bibere, sed superfudit

---

(1) Cod. Vien.: phantasticis desiderans; - Cod. Sp.: phantasticis desideriis. — (2) Cod. Vien.: ibidem. — (3) Cod. Tol.: videas. — (4) Cod. Tol.: acquirunt. — (5) Cod. Vien.: quidquam, quidam videns.

eam solum corpori suo, ut suos similiter animaret ad tolerantiam sitis. Mira res! Immo abusio! Homines saeculares dignitatis regalis abstinent in siti a potu, ut suo exemplo alios animent, et praelati ecclesiastici, immo religiosi non curant si subditi eorum duram vitam (1) ducentes, exemplo suorum excessuum in cibis et potibus scandalizantur ad mortem! Moyses et Aaron principes populi eadem esca (2) et eodem potu usi sunt in deserto quo populi, sicut probatur per illud Apostoli, 1 *Cor. 10*: Omnes eamdem escam spiritualem, id est spiritualia significantem, (3) manducaverunt, et eumdem potum spiritalem sumpserunt; et quidam praelati vel officiales religiosorum non dignantur bibere vel comedere sicut conventus? Legitur de beato Germano Antisiodorensi, (4) qui fuit nobilissimus, et ante episcopatum saecularitatibus et deliciis deditus valde, quod postquam factus fuit episcopus usque ad terminum vitae suae, scilicet annos triginta, corpus sic afflixit quod postea panem frumenti nunquam comedit, nec vinum bibit, nisi in die Nativitatis et Paschae; nec acetum, nec oleum, nec sal pro sapore comedit; semper autem jejunans in vespere comedebat, et cineres in refectione praelibabat; et nullam habuit vestem praeter cilicium et cucullam. Lectulus ejus cineres quotidiana impressione duratos, supposito tantum uno sacco, cum cilicio continebat. Nunquam vestimentum, raro calceamenta extrahebat. Quid dicent ad haec homines rusticani, qui promoti ad modicas dignitates in religione nihil volunt austeritatis sustinere in vita, sed semper singulares in cibis, et potibus, et lectisterniis, et vestibus, communibus nunquam sunt contenti? Rechabitae propter praeceptum Jonadab patris sui, filii Rechab, abstinent a vino perpetuo, sicut dicitur *Ier. 35*. Brachmani, sicut dicitur (5) in *Historia Alexandri*, propter instinctum rationis, abstinent ab omnibus deliciis carnalibus. Et quidam praelati qui debent esse filii Dei per imitationem, et in quibus magis vigere debet ratio, nec propter Dei mandatum, nec propter

---

(1) Cod. Vien.: durum victum. — (2) Codd. Vien., Sp. et Grat.: eadem aqua. — (3) Cod. Vien.: signantem. — (4) Cod. Tol.: Antisiodorensi episcopo. — (5) Cod. Vien.: legitur.

rationis instinctum, possunt a superfluis deliciarum excessibus cohiberi?

Denique pastor dicitur a pascendo non se, sed gregem, juxta illud 1 *Petri*, 5: Pascite qui in vobis est gregem Dei. Isti vero non curant de pascendo grege conventus, sed solum se: et ideo maledicti a Domino dicuntur per prophetam dicentem, *Ezech.* 34: Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonne greges pascuntur a pastoribus?

Ex iis ergo patet quam reprehensibile sit cum apud majores in religione vitae austeritas non invenitur.

CXCI. Contra praelatos molles ad subditos in disciplina.

De tertio notandum quod sunt quidam praelati qui, licet vivant disciplinate, tamen ex quodam defectu, vel pusillanimitate, vel timore displicendi, sunt adeo molles ad subditos, quod quasi nunquam pro excessibus duram poenitentiam, vel aliquam obedientiam, (1) vel necessitatem observandi austeritatem ordinis imponunt eis. Propter quod apud eorum subditos perit omnino disciplina hujusmodi. Tales praelati (2) sunt sicut formidines positae in agris ad terrorem avium vel bestiarum, quae tenent arcum extentum, et nunquam percutiunt. *Baruch. ult.*: Sicut formidines sunt in cucumerario.

Sunt iterum sicut reges non habentes (3) baculum, nisi arundinem, sicut derisive factum est Christo, *Matth.* 27. Contra quod dicitur in *Ps.* 2: Reges eos in virga ferrea.

Sunt etiam sicut burgenses civitatum, qui filios suos exponunt voluptatibus et deliciis omnibus, et non tenent eos sub aliqua virga: et ideo finaliter confundunt se et parentes. Contra quod, *Ephes.* 6, dicitur: Educate filios vestros in disciplina et correctione Domini.

Non reliquit hujusmodi mollitiei exemplum Salvator, qui flagello usus est ad verberandum delinquentes in templo, *Joan.* 2; non Apostolus, qui fornicatorem satanae tradidit, 1 *Cor.* 5; non Petrus, ad cujus imprecationem (4) proprietarii morte subitanea perierunt, *Act.* 5.

---

(1) Cod. Sp.: duram obedientiam. — (2) Cod. Vien.:.... disciplina. Hujusmodi praelati.... — (3) Cod. Grat.: Item sunt reges non habentes, — (4) Codd. Vien., Sp. et Grat.: increpationem.

Non est sapientis medici semper uti lenibus, quia plus prosunt interdum corpori ad salutem aspera. Isidorus: Et cum dolore abscindenda sunt quae leniter sanari non possunt. Quales ergo sunt isti medici, qui ad omnes et ad omne genus infirmitatis nunquam nisi lenibus utuntur? Dixit Apostolus, *Hebr.* 12: Si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes filii Dei, adulteri ergo estis, non filii Dei. Qui ergo subditos suos relinquit sine disciplina, de filiis Dei facit filios Belial, quod dicitur absque jugo. 1 *Tim.* 5, dicit Apostolus discipulo suo facto praelato: Peccantes coram omnibus argue, ut caeteri timorem habeant. Ergo boni praelati est sic arguere viriliter, ut ab omnibus aliis timeatur. Et ideo bene dicit vir sanctus: « Disciplinam metuendus imponat; » id est ita strenue imponat, ut timeatur.

Patet ex jam dictis quam reprehensibile sit, cum in religione periit (1) disciplina sive austeritas, vel apud omnes, vel apud majores solum, vel apud minores solum: et ideo, ut apud omnes vigeat, dicit vir sanctus de praelato: « Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. »

Sequitur: **Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari a vobis appetat quam timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Unde et vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos, quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur.**

In hoc sexto loco ponitur mandatum circa bonas praelati conditiones, quantum ad animi interiora. Sunt autem haec duo, scilicet: affectiones et cogitationes, circa quorum utrumque tradit mandatum. Circa primum, cum dicit: « Et quamvis, » etc.; circa secundum, cum dicit: « semper cogitans » etc.

Circa primum notandum quod ad praelatum pertineat et timeri et amari: tamen secundum est melius. Et ideo, cum dixisset in

---

(1) Cod. Vien.: sic perit.

praecedenti mandato : « Metuendus imponat, » subdit quod « quamvis utrumque sit necessarium, » appetendum est tamen plus secundum.

CXCII. Quod necessarium est praelato ut timeatur.

Sciendum ergo quod secundum quod hic dicitur, necessarium est praelato quod timeatur, et hoc propter subditorum utilitatem. Sunt enim multi illorum frequenter qui magis timore quam amore inducuntur ad bonum. Augustinus : Sicut meliores sunt quos amor dirigit, ita plures sunt quos timor corrigit.

Item, propter status sui exigentiam : (1) indecens enim et inconveniens est quod aliquis praesit aliquibus, et non timeatur ab eis ; et ideo Dominus qui dedit homini dominium super animalia immisit cum hoc timorem ipsius super ea. *Gen. 9* : Terror vester et tremor sit super cuncta animalia terrae.

Item, propter Dei honorem. Non enim est ad honorem regis, sed ad confusionem, cum ejus ballivus non timetur. Et ideo dicitur, *Luc. 10,* praelatis : Qui vos spernit, me spernit.

Porro hujusmodi exemplum, videlicet quod praelatus timeatur, habetur a natura. Inter animalia omnia illud quod magis timetur ab omnibus animalibus est illud quod natura fecit regem (2) super animalia, videlicet leo. (3)

Item, habetur exemplum in potestatibus saeculi. *Rom. 13* : Si malum feceris, time potestatem : non enim sine causa portat gladium.

Item, habetur exemplum in principibus Apostolorum. Paulus enim faciens se timeri, dicit, 1 *Cor. 4* : In virga veniam ad vos, aut in charitate et spiritu mansuetudinis ? Petrus vero occisis proprietariis, incussit timorem omnibus. *Act. 5* : Factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt haec.

Sunt autem tria quae valent ad hoc ut praelatus timeatur.

Primum est morum gravitas. Sicut enim quando conformat se quotidianis levitatibus multitudinis fit ex hoc contemptibilis praelatus, sic gravitas facit eum haberi in timore reverentiali. (4) Propter hoc dicitur de Job : Videbant me juvenes, et abscondebantur. *Job. 29.*

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: indigentiam. — (2) Cod. Tol.: fecit regere. — (3) Codd. Vien. et Sp.: leonem. — (4) Cod. Sp.: venerabili.

Secundum est usus auctoritatis. Sunt enim quidam qui nunquam prodeunt ad opus aliquod virile ex auctoritate quam habent, et ideo non timentur: sicut statuae quae nunquam aliquid faciunt, et processu temporis non timentur ab aliquibus. Et ideo dicitur, *Tit. 2*: Argue cum omni imperio, nemo te contemnat; quasi dicat: ideo hoc fac imperiose, ne vertaris in contemptum.

Tertium est rigor justitiae, cum videlicet talis est quod non creditur quod aliquo modo a justitia flectetur, et ideo dicitur de Herode, *Marc. 6*: Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum.

Patet ex jam dictis quam necessarium est praelato ut timeatur, et quae sint hujusmodi exempla, et quae valeant ad hoc.

CXCIII. Quod praelato magis curandum est de subditorum amore quam timore.

Item, secundum quod hic dicitur, licet sit necessarium praelato quod timeatur, tamen magis est ei curandum de amore subditorum quam de timore, et hoc multis de causis, quarum aliae sunt ex parte subditorum, aliae ex parte praelati, quod sic patet. Illud quod imponitur amanti, licet difficile sit, tamen fit facilius quam quod imponitur timenti, unde auctoritas: Amanti nihil est difficile.

Item, quod fit a tali, quia fit hilariter, et non cum tristitia sicut quod fit ex timore, acceptum (1) est Deo. 2. *Cor. 9*: Non ex tristitia, vel ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.

Item, timentis est fugere, diligentis vero adhaerere; et ideo ubi subditi timentes fugiunt, interdum diligentes (2) adhaerent praelato infatigabiliter, sicut Lucas Paulo, secundum Hieronymum; et ideo dicitur, *Coloss. 3*: Charitas est vinculum perfectionis, id est vinculum perfectum.

Item, praelati indigent in multis portari: hoc autem facit amor. Augustinus: Tantum quisque portat quantum amat.

Item, indigent juvari in multis; hoc autem dilectio facit: amici enim est juvare amicum, et pro adjutorio solet unus ad alium re-

---

(1) Cod. Sp.: quod fit a tali hilariter, et non cum tristitia, sicut quod fit ex timore, acceptum.... — (2) Cod. Vien,: ipsi diligentes.

currere. Unde illud, *Job. 19:* Miseremini mei! miseremini mei, saltem vos, amici mei: scilicet ad adjuvandum.

Item, frequenter a subditis molestantur: sed dilectio non novit hoc facere, quia dilectio proximi malum non operatur, scilicet contra dilectum. *Rom. 13.*

Quantum ergo debent praelati appetere ut a subditis diligantur, cum subditos hoc faciat facilius obedire, et acceptabilius Deo servire, et fortius eis in bonis adhaerere, et ipsos praelatos faciat portari in suis defectibus, et in suis eos juvare negotiis, et ad eos se habere quietius! Ideo non solum Augustinus, sed et Bernardus dicit ad praelatos: Studete magis amari quam timeri; et Isidorus: Talem te redde subditis ut magis ameris quam timearis. Quis ergo dubitet quin hoc a Spiritu Sancto sit, in quo tres tanti doctores uno ore concordant?

Sed notandum quod ad hoc quod praelatus diligatur a subditis, cavendum est ei a superbia: haec enim non diligi facit, sed odiosum reddit. *Eccli. 10*: Odibilis est coram Deo et hominibus superbia.

Item, a duritia. Haec enim reddidit Roboam populo odiosum, 3 *Reg. 12*. Et ideo dicitur e contrario, *Eccli. 3*: In mansuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligeris.

Item, a singularitate. Cum enim conformat praelatus se aliis, et est in illis quasi unus ex illis, ex hoc aquirit sibi aliorum amorem. *Eccli. 13:* Omne animal diligit simile sibi.

Sic ergo patet quantum est necessaria plus dilectio quam timor praelato, et a quibus cavendum est ei ut diligatur.

CXCIV. De cogitando de reddenda ratione a praelato.

Restat videre post hujsmodi appetitum pertinentem ad affectum, de cogitationibus praelati pertinentibus ad intellectum.

Inter omnes autem cogitationes pertinentes ad statum ejus, hoc est de magis necessariis ut non ad horam, sed semper cogitet de ratione reddenda Deo de subditis. Propter quod dicit: « Semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. »

Et notandum quod quidam sunt ita sui juris quod non habent de factis suis aliis (1) rationem reddere, ut reges.

---

(1) Cod. Vien.: alii.

Quidam vero sunt quos opportet reddere rationem (1) aliis de factis suis, ut sunt ballivi, qui sunt sub rege, juxta illud quod *Luc. 16* dicitur: Redde rationem villicationis tuae. Et tales sunt praelati, quia sunt ministri Dei.

Item, a magnatibus quandoque constituuntur aliqui qui pro eis audiunt aliquas rationes; quandoque vero ipsimet audiunt in propria persona aliquos rationem reddentes: et sic faciet Dominus de praelatis. *Ezech. 34*: Ecce ego requiram gregem meum de manu pastoris. Et *post*: Ego ipse requiram oves meas.

Item, quandoque exigitur ratio de rebus parum valentibus: praelati vero habent rationem reddere de rebus pretiosissimis, scilicet animabus. *Hebr. ult.*: Ipsi pervigilant quasi reddituri rationem de animabus vestris. Praelatos vero oportet rationem reddere et Deo et de animabus.

Item, notandum (2) circa rationem reddendam de animabus quod Dominus requirit de numero. *Jer. 33*: Adhuc transibunt greges ad manum numerantis. Et ideo praelatus debet habere curam sollicitam de custodia omnium, exemplo Salvatoris qui dicit, *Joan. 17*: Quos dedisti mihi ego custodivi, et nemo periit ex eis, nisi filius perditionis.

Item, de fructu. Benedictus in regula: Sciat abbas culpae pastoris incumbere quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis poterit minus invenire. Et ideo debet praelatus dare operam diligentem circa subditos, ut debitum fructum reddant, exemplo illius boni pastoris qui dicit, *Gen. 31*: Oves tuae et caprae tuae steriles non fuerunt.

Item, de qualitate, videlicet quales erunt, pingues aut tenues. *Ezech. 34*: Ecce judico inter pecus pingue et macilentum; et ideo praelatus sollicitus debet esse de bene pascendo gregem, ut Deo pingues oves reddere possit, juxta illud quod dicit Dominus Petro ter: Pasce, pasce, pasce oves meas, ad innuendum quam sollicitus debet esse praelatus de impinguanda grege. *Joan. ult.*

Notandum igitur iterum quod ista ratio non solum erit de una

---

(1) Cod. Sp.: alii. — (2) Cod. Tol.: Et nota.

anima, sed de singulis commissis curae praelati. Quod expavescens Augustinus dixit: Quid faciam cum exigetur a me ratio tot animarum, quae pendent ad collum meum?

Item, deficiens in ratione non leviter punietur: immo reddet animam pro anima. *3 Reg. 20*: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.

Item, istam poenam incurret (1) non solum pro commissione, immo etiam pro omissione negligentiae circa gregem. Et ideo dicitur *Prov. 6*: Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam. Fac ergo quod dico: Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Quasi dicat: non sis negligens quin facias quod potes pro anima tua liberanda. Ex quo relinquitur quod pro negligentia incurritur periculum animae in hoc casu.

Ex iis ergo apparet quod judicium durissimum fiet iis (2) qui praesunt. *Sap. 6*. Durum, quia de singulis commissis animabus oportebit reddere rationem; durius, quia anima pro anima punietur: (3) durissimum, quia pro sola negligentia hoc incurrere possunt. Vae multis praelatis, qui hoc non cogitant, et ideo non praecavent in futurum! Et ideo dicit vir sanctus: « semper cogitans se pro vobis redditurum esse rationem, » ut ex tali cogitatione inducatur praelatus ad faciendum circa subditos quod debet.

Attendendum vero est quod cum anima praelati sit in majori periculo quam animae subditorum, et hoc propter eos, multum tenentur subditi compati animabus eorum, et dare operam ne propter eos ipsas perdant. Hoc autem faciunt dum bene obediunt, et ideo incidenter subdit: « unde et vos magis obediendo, non solum vestri miseremini, » juxta illud: Miserere animae tuae, « sed etiam ipsius, » qui per hoc evadat damnationem, « qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur »; et hoc propter vos. Propter quod magis tenemini ipsius misereri.

---

(1) Cod. Tol.: ista poena incurritur. — (2) Cod. Vien.: in iis. — (3) Cod. Vien.: quia anima pro anima.

CXCV. De periculo praelatorum.

Et notandum circa periculum illud quod praelati eo quod sunt in alto, expositi sunt vento vanitatis, quia perflant altissima venti; et ideo facile evanescunt. *Ps. 36*: Inimici Domini, mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient exinaniti, scilicet omni bono.

Item, sicut in altitudine montium sunt turbines tempestatum, ita et ipsi sunt in turbine occupationum et negotiorum. Gregorius: Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis?

Item, sicut in montibus abundat frigus, ita et fervor qui apud multos viguit in immo, cum sublimati sunt refrigescit. Unde, *Apoc.* 2, dicitur de praelato Ephesi: Sed habeo adversum te pauca, quia charitatem primam reliquisti.

Item sicut in altis locis facile percutiunt fulgura, ita et isti divina vindicta subito feriuntur interdum. *Act. 12*: Statuta die Herodes vestitus veste regali, sedit pro tribunali; populus autem acclamabat ei: Dei voces et non hominis! Confestim autem percussit eum Angelus Domini.

Item, tales de facili obstupescentes cadunt et periclitantur. Bernardus: Facile est in alto se continentem (1) obstupescere, et de vita periclitari.

Item, tales ab hostibus facilius dejiciuntur. *Luc. 4*: Duxerunt eum ad supercilium montis, ut eum praecipitarent.

Item, isti sunt sicut speculator in alto, a quo requiritur mors subditorum, si non clamat modo debito hostibus supervenientibus. *Ezech. 33*: Si speculator viderit gladium venientem, et non sonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.

Item, sunt sicut princeps, a quo specialiter requiritur ruina populi, *Is. 3*: Esto princeps noster; ruina haec sub manu tua.

Item, sunt sicut instrumentum quod quanto rebus pluribus et frequentius occupatur, tanto magis consumitur. Unde et Jethro dixit Moysi, *Exod. 18*: Stulto labore consumeris.

---

(1) Cod. Vien.: se concernentem.

Propter hoc ergo et similia pericula bene dicit Augustinus: « quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur. »

Sequitur: **Donet Dominus ut observetis haec omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona vestra conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.**

Hoc est (1) secundum quod facit ad regulae observationem, scilicet paterna oratio, ut dictum est supra.

Et notandum quod boni doctoris est non solum studere sapientiam, ut sciat quid doceat; et non solum docere verbo vel scripto, ut instruat: sed et dare operam ut observetur quod dicit, ut proficiat. Quia vero non est seminantis, nec terrae seminatae fructum producere, sed Dei solius, ideo recurrit bonus doctor super hoc ad Deum per orationem.

Inde est quod doctor egregius, in fine doctrinae suae in *Epistolis* semper orabat, dicens: Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis; quae scilicet moveat et juvet ad faciendum quod docui. Eodem modo orat Augustinus dicens: « Donet Dominus ut observetis haec omnia. » Quasi dicat: quid prodest me in istis studuisse, et vobis ista tradidisse; quid prodest vel ista audiisse, vel legisse, vel intellexisse, nisi observetis? Ideo rogo Dominum ut ipse qui solus potest donet ut haec observetis.

CXCVI. Contra religiosos qui non servant ordinem suum.

Notandum autem primo quod sunt quidam religiosi qui tradita sibi mandata ita (2) parvipendunt, quod ea passim transgredientes ordinem suum dissipant; similes illi cui dicitur, *Jer. 2*: A saeculo confregisti jugum, rupisti vincula, et dixisti: Non serviam!

Isti sunt sicut rhinoceros, qui, sicut dicit Gregorius super illo verbo *Job. 39*: Numquid volet rhinoceros servire tibi: Est enim animal adeo indomitum, quod si ligetur, moritur, vel vinculum dissolvit.

Immo sunt sicut filii Belial, quod dicitur absque jugo. *Ose. 7*: Reversi sunt, id est retroversi, scilicet ad statum saeculi.

---

(1) Cod. Tol.: Hic est. — (2) Cod. Sp.: tradita sibi mandata a Deo ita...

Immo sunt non monachi, sed daemoniaci, qui virtute daemoniaca dissolvunt vincula. *Luc. 8*: Ruptis vinculis agebatur a daemoniis in deserto: nam hujusmodi diruptio (1) vinculorum ducit eos ad statum omni bono desertum. Sed vae istis! Nam sicut agnus absque jugo discurrens per prata libere impinguatur ad mortem, ita et isti. *Ose. 4*: Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. Virum scilicet qui debet esse contemplativus, cum deserit statum suum, nunc pascit Dominus quasi agnum in latitudine, qui scilicet dimittitur libere discurrere, et impinguatur ad mortem.

Sciendum autem quod multa sunt quae possunt facere ut religiosi christiani apponant curam magnam ad custodiendum ordinem suum, qui consistit in mandatis majorum.

Unum est exempla (2) priorum. Legitur siquidem *Jer. 35*, quod Rechabitae adeo stricte servant mandatum patris sui Jonadab quod non bibunt vinum, neque serunt agrum, neque plantant vineam, nec domos aedificant, nec habitant in eis, sed solum in tabernaculis, quia sic praecepit eis pater suus Jonadab.

Item, legitur *Matth. 15* quod omnes Pharisaei et omnes Judaei sic stricte servant traditiones seniorum, quod nisi crebro lavent manus suas, non manducant. Et alia multa sunt quae tradita sunt eis; et servant baptismata calicum, urceorum, aeramentorum et lectorum.

Item, legem Persarum et Medorum nullus audet violare, sicut legitur *Esth. 1.*

Cum ergo Rechabitae, et Judaei, et omnes Medi, et Persae sic diligenter servant mandata majorum suorum, licet gravia, quanto magis religiosi Christiani servare debent mandata sancta sanctorum patrum suorum? Et nisi faciant, timendum est eis ne illi surgant contra eos in judicio, et condemnent eos. *Matth. 12.*

Aliud est promissionis obligatio facta per professionem. Qui enim promittit et non reddit, ipse sibi laqueum mortis suae facit. Et ideo de illo qui facit professionem dicit Benedictus in regula quod qui aliquando aliter fecerit, a Deo se damnandum sciat, quem irridet.

---

(1) Cod. Sp.: destructio. — (2) Cod. Sp.: exemplum.

Aliud est apparentia exterior. Quid enim prodest nomen vel habitus religionis, ubi desunt opera religionis? Ambrosius: Quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus, ut nomen conveniat actioni, et actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, et crimen immane; ne sit deifica professio, et illicita actio; ne sit religiosus amictus, et irreligiosus professus.

Aliud est successio sanctorum. Viri enim religiosi tamquam filii succedunt in haereditate sanctorum, et ideo si vere sunt filii et non adulterini, debent eos imitari in operibus. *Joan. 8*: Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite. Eadem ratione, si filii Benedicti, vel Augustini, vel Pauli eremitae primi, vel Dominici, vel Francisci estis, opera eorum quae fecerunt, et facienda tradiderunt, facite.

Aliud est conditio habitationis. Ratio enim exigit ut omnis habitator vivat secundum leges terrae in qua habitat. *Lev. 18*: Juxta consuetudinem terrae Ægypti non facietis; juxta morem Chanaan non agetis, neque in legitimis eorum ambuletis. Judicia mea facietis, et praecepta mea servabitis. Si sic autem hoc voluit Dominus observari ab Israelitis quos introduxit in Judaeam, quanto magis observandum est hoc a veris (1) Israelitis religionem ingressis?

Aliud est comminatio divina. Comminatur enim Dominus destructionem habitantibus in loco suo, et inobedientibus sibi. *Jer. 22*: Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte quid fecerim ei, propter malitiam populi mei Israel. Et *post*: Quia locutus sum ad vos, mane consurgens et loquens, et non audistis; vocavi, et non respondistis: faciam domui huic in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo; et proijciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, et universum semen Ephraim. Si autem comminationes principum movent populos ad servandum leges eorum, quanto magis comminatio (2) divina debet ad hoc movere religiosos?

Aliud est multitudo inconvenientium quae oriuntur ex ordinis transgressione, quod sic patet. Dicitur, *Prov. 12*: Est qui promittit

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: viris. — (2) Cod. Sp.: condemnatio.

et non solvit, et quasi in gladio pungitur conscientia. Hujusmodi ergo transgressores (1) sunt quasi continue in angustia conscienciae.

Item, *Eccle. 5*, dicitur: Displicet Deo stulta et infidelis promissio. Haec autem est in talibus, et ideo Deo displicent. Ex quo sequitur quod quaecumque faciunt, etsi etiam bona videantur, Deo non placent. Non enim placent Deo opera hominis, nisi ipse primo placeat.

Item, dicitur, *Eccli. 36*: Ubi non est sepes diripietur possessio. Cum igitur observantiae regulares sint quasi sepes circa bona meliora spiritualia, sequitur ex eorum dissipatione direptio omnium bonorum spiritualium.

Item, etsi omne mendacium est reprehensibile, tamen quanto major est cui quis mentitur, tanto reprehensibilius est mendacium. Tales autem Deo cui se obligaverunt mentiuntur, et ideo valde timendum est eis de morte subitanea, sicut accidit Ananiae et Saphirae ex eadem causa. *Act. 5*: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias haec verba, cecidit et expiravit.

Item, tales sunt sicut statua David, in qua non est inventum nisi solum vestes et pelles caprarum, 1 *Reg. 19;* in qua illusum est regi Saul, et non sine indignatione ejus: Quare, inquit, sic illusisti mihi? Numquid non est illusio similis, quando non invenitur in religioso, nisi solus habitus?

Item, dicitur, *Eccle. 10:* Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Non est autem dubium quin coluber antiquus lateat in hujusmodi sepibus dissipatis, et ideo toties mordet et interficit veneno dissipatorem hujus sepis quoties eam dissipat. (2)

Item, dicitur 1 *Esdr. 3* quod seniores qui viderant templum cum ante esset fundatum, et hoc templum in oculis eorum, flebant; et dicitur causa illius fletus fuisse quia quasi nihil erat illud in comparatione ad primum. Quantam ergo materiam doloris habent viri perfecti qui vident religionem tam graviter corruisse a statu antiquo!

Item, religio via est ad paradisum. Qui ergo dissipant eam fa-

---

(1) Codd. Sp. et Vien.:.... conscientia hujusmodi, ac transgressores.... — (2) Cod. Tol.: dissipatores.... dissipant.

ciunt ne sequentes per eam possint illuc transire. *Is.* 33: Dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitam.

Item, multi videntes religiones dissipatas amittunt devotionem intrandi ad eas. *Bar.* 4: A multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege Dei.

Item, saecularibus propter hoc facta (1) est in derisum. *Thren.* 2: Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt, et moverunt capita sua super te, filia Jerusalem: Haeccine est urbis perfecti decoris?

Item, quod pejus est, propter hoc facta est abominabilis. *Jer.* 2: Ingressi contaminastis terram meam, et haereditatem meam posuistis in abominationem.

Item, dicitur *Luc.* 9: Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. Quod ergo talibus debet esse via ad regnum coelorum per laborem obedientiae assumptum, per transgressionem facit eos indignos tam beato regno.

Item, legitur in *Vitis Patrum* quod cum quidam volens intrare religionem prohiberetur a matre, et ipse ei diceret: Volo salvare animam meam, ipsa tandem consentiente, ingressus est. Cum autem post tempus aliquod in quo bene vixit, factus fuisset dissolutus incurrens infirmitatem, et factus est in extasi, raptus est ad judicium, et collocatus est ex parte damnatorum. Visum autem est sibi quod vidit matrem ibi clamantem et dicentem: Ubi est, fili, quod dicebas: Volo salvare animam meam? Ad hanc autem vocem confusus rediit ad se. Et convalescens rediit ad priorem statum bonum, dicens apud se: Si improperium matris meae sustinere non potui, quomodo Dei et sanctorum angelorum possem sustinere in illa die, si ordinem meum non servans collocarer cum reprobis? Etsi ergo omnes reprobi tunc confundentur, tamen vehementius confundentur qui de statu religioso projicientur in statum reproborum; de (2) statu angelico cum daemonibus in ignem aeternam.

Haec ergo et quaedam alia sunt inconvenientia. Propter quod et Salomon dicit, *Eccle.* 5: Melius est non vovere, quam post votum pro-

---

(1) Cod. Vien.: factum est. — (2) Cod. Tol.: et de....

missa non reddere. Ne ergo (1) incurrantur haec inconvenientia, est curandum (2) valde religioso de promisso ordine suo servando.

Colligitur ex praemissis (3) quod (4) exempla, et promissio, et exterior apparentia, et sanctorum successio, et habitationis conditio, et comminatio divina, et evitatio incommodorum multorum movere debent religiosum ad sui ordinis observationem.

CXCVII. Contra illos qui non integre servant ordinem suum.

Est (5) notandum secundo quod sunt aliqui qui non servant (6) integre ordinem suum, sed aliquam partem servant (7) suae professionis, (8) aliquam non.

Isti sunt sicut Samaritae, qui partim colebant Deum, partim idola. 4 *Reg. 17*. Fuerunt igitur gentes illae timentes quidem Deum, sed nihilonimus et idolis suis servientes.

Item, isti sunt sicut qui (9) induuntur veste lana (10) asperitatis partim, lino mollitiei saecularis partim contexta. Contra quod dicitur, *Deut. 22*: Non indueris vestimento quod lana linoque contextum est.

Item, isti sunt qui (11) sequuntur Dominum (12) claudicando, cum partim incedunt recte in mandatis sibi traditis, partim declinant ab eis. Contra quod dicit Elias, 3 *Reg. 18*: Usquequo claudicatis in duas partes?

Sunt iterum sicut adultera quae, licet a viro non recedat omnino, tamen juxta eum recipit adulterum. Ita et isti juxta Dominum cui adhaerent servando quaedam mandata, recipiunt diabolum, alia ad ejus instinctum transgrediendo. *Is. 57*: Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum.

Sunt iterum sicut pica quae partim est alba, partim nigra. Ita et isti sunt partim boni quantum ad ea quae servant, partim mali quantum ad ea quae non servant. Quod obstupescens Dominus dicit, *Jer. 12*: Numquid avis discolor haereditas mea est mihi?

Sciendum est autem quod ex hujusmodi partiali ordinis trangres-

---

(1) Codd. Sp. et Vien,: Et ne.... — (2) Cod. Tol.: cavendum est. — (3) Cod. Grat.: praedictis. — (4) Cod. Tol.: jam quod. — (5) Cod. Sp.: Item. - Cod. Grat.: Sed. — (6) Cod. Tol.: observant. — (7) Cod. Tol.: observant. — (8) Codd. Sp. et Il.: perfectionis. — (9) Cod. Sp.: Isti sunt qui. — (10) Cod. Vien.: lanea. — (11) Cod. Sp.: Isti sunt qui. — (12) Cod. Vien.: Deum.

sione sequuntur multa mala. Tales enim sunt sicut vas perforatum, et ideo bona alia quae faciunt per partem religionis quam frangunt amittunt. *Eccle. 9*: Et qui in uno peccaverit, multa bona perdit. Exemplum in *Vitis Patrum* de quodam qui visus est haurire aquam de puteo, et ponere in lapide perforato, et inde tota exibat.

Item, tales ita rei sunt omnium sicut si nihil servarent. *Jac. 2*: Qui in uno offendit factus est omnium reus. Exemplum: dicitur quidam miles (1) invenisse quemdam stultum monachum, qui amore uxoris suae fecerat vestem quamdam quae partim erat religiosa et partim saecularis, in quodam loco suspecto, et capiens eum dixit: Domine monache, ex parte ista quae est religiosa non audeo (2) vos tangere, ne essem excommunicatus: sed exparte ista, scilicet saeculari, bene vos possum tangere. Et ex illa parte tantum verberavit eum quod mortuus est, ita ac si per totum verberasset eum. Non est autem dubium quin similiter homines hujusmodi Deus condemnet, ac si totam professionem suam transgrederentur.

Item, tales sunt deturpati, sicut nuntii David, quando rasa fuit barba eorum dimidia, et vestes mediae praecisae usque ad nates: et ideo non sunt digni stare in conspectu veri David. Et ideo dicitur eis: Manete in Jericho donec crescat barba vestra. 2 *Reg. 10.*

Item, per fracturam religionis ingrediuntur hostes. *Job. 30*: Quasi rupto muro et aperta janua irruerunt super me. Quomodo autem se possunt excusare de proditione pessima illi qui existentes in religione (3) faciunt hostibus hujusmodi aperturam?

Item, tales omnia quae promiserunt debent reddere, (4) et ideo, si partem reddant et non totum, non evadunt tortores. *Matth. 18*: Iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum.

Quia ergo (5) indecens est semiplene religionem servare, et tot mala inde sequuntur, dicit (6) vir sanctus: « Ut observetis haec omnia. »

---

(1) Cod. Vien.: dicitur quod quidam miles dicitur invenisse. — (2) Cod. Tol.: auderem. — (3) Cod. Tol.: intra religionem. — (4) Cod. Grat.: Item tales debent omnia quae promiserunt, et ideo.... — (5) Cod. Vien.: Quantum ergo. — (6) Cod. Vien.: Et ideo dicit.

CXCVIII. De sprituali pulchritudine virtutum.

Tertio notandum quod sicut est quaedam pulchritudo corporalis, ita est quaedam spiritualis, scilicet virtutum. Unde Seneca ad Lucillum : Si animam boni viri liceret nobis aspicere, o quam pulchram faciem, quam ex magnifico placitoque solio fulgentem videremus, hinc justitia, hinc fortitudo, hinc prudentia temperantiaque quiescentibus! Praeter has, frugalitas continentia, tolerantia, liberalitas, comitesque. Haec est pulchritudo quam representat pulchritudo vestimentorum sacerdotalium, et pulchritudo sanctarum mulierum, et omnis pulchritudo de qua mentio fit in Biblia diffuse, sicut patet per expositiones sanctorum. Cum autem istae pulchritudines magnae valde sint et stupendae, quam magna (1) existimanda est ista pulchritudo virtutum, quam omnes istae representant!

Item, haec est pulchritudo de qua sapientissimus Salomon multum philosophatus est, licet alii philosophi pauca tractaverunt (2) de naturali pulchritudine corporis, sicut patet in libro *Canticorum,* in quo tot et tanta dicit de pulchritudine sponsae, in figura pulchritudinis hujus.

Item, haec est circa quam habendam viri sancti diligenter studuerunt, sicut mulieres circa pulchritudinem corporis. *Eccli. 44*: Pulchritudinis studium habentes, scilicet virtutum; quod dicitur de viris sanctis.

Item, haec est quam ipse Deus admirans dicit, *Sap. 4,* animae sanctae: O quam pulchra est casta generatio! Et iterum, *Cant. 4:* Tota pulchra es. Describens quoque per membra dicit modo: Quam pulchrae genae tuae; modo: Quam (3) pulchri gressus tui in calceamentis, *Cant. 7;* et multa alia hujusmodi.

Item, haec est quae reddit hominem similem pulcherrimo Deo. Unde quod homo dicitur factus ad similitudinem Dei, dicunt sancti referendum ad virtutes per quas homo assimilatur Deo.

Item, haec est quae sola reddit animam Deo amabilem. Unde in *Ps. 44,* postquam dictum est animae: Audi, filia, quod est obedien-

---

(1) Cod. Vien.: magis. — (2) Cod. Vien.: tractaverint. — (3) Codd. Sp. et Vien.: describens quoque membra dicit: Quam pulchrae genae tuae; et quam...

tiae; inclina aurem tuam, quod est humilitatis; et obliviscere populum tuum, quod est extinctionis carnalis affectus: quae omnia sonant in virtutem, sequitur: Et concupiscet rex decorem tuum.

Item, pulchritudo haec non est mutuata, sicut multae pulchritudines corporales; sed est consubstantialis et connaturalis ipsi virtuti. Seneca: Nullo honestamento indiget virtus, quia ipsa magnum decus sui est; et ideo major est, sicut pulchritudines naturales in floribus.

Item, pulchritudines corporales cito marcescunt. *Jac. 1*: Exortus est sol cum ardore, et arefecit foenum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit: ita et dives in itineribus suis marcescet. Non sic autem erit de pulchritudine bonorum, quae est in virtutibus. Et ideo dicitur, *Cant. 6*, de anima sancta: Pulchra ut luna, cujus pulchritudo non deficit. Et eodem modo pulchritudo sanctarum animarum durabit in aeternum.

Item, pulchritudo corporalis in multis modo habet solatia sua: sed ista habebit in futuro. Unde de muliere sancta dicitur, *Prov. ult.*: Fortitudo et decor indumentum ejus; quod exponit *Glossa* de (1) decore virtutum; et ridebit in die novissimo.

Porro ista pulchritudo virtutum multum refulget in observantiis regularibus, quae non sunt aliud quam ipsa opera virtutum diversarum. Et ideo dicitur, *Sap. 4*: O quam pulchra est casta generatio cum claritate, scilicet virtutum. Quae est enim casta generatio, nisi religiosi? Sicut enim mulieres naturaliter diligunt pulchritudinem corporis vanam, ita sanctae animae diligunt hanc pulchritudinem sanctam. *Ps. 25*: Domine, dilexi decorem domus tuae. *Glossa:* Bonos actus quibus decoratur domus tua. Hujusmodi autem amor facit ut apponatur cura quod omnia quae pertinent ad pulchritudinem hanc observentur. Unde e contrario legitur in *Vitis Patrum* de beato Antonio quod cum vidisset quamdam mulierem valde ornatam, (2) flevit dicens: Ignosce mihi, omnipotens Deus, quia unius diei meretricis istius ornatus totius vitae meae superavit industriae ornamenta. Ista tanta pro mundo composuit, et ego tibi immortali Domino placere proposui, et similia per meam negligentiam non im-

(1) Cod. Vien.: quod exponitur de.... — (2) Cod. Tol.: paratam.

plevi! Propter hoc ergo bene dicit vir sanctus: « tanquam spiritualis pulchritudinis amatores; » quia amor hujus pulchritudinis multum facit ad observantias regulares districte servandas.

CXCIX. De odore bonae famae.

Quarto notandum est quod in Scriptura Divina bona fama dicitur odor multis de causis. Foetor enim egreditur de rebus vilibus, ut est lutum, vel stercus, vel hujusmodi: sed odor bonus egreditur de rebus pretiosis, ut est cinnamomum, balsamum, et hujusmodi. Eodem modo fama bona de pretiosa bonitate (1) sanctorum egreditur. Gregorius: Fama a bono opere vires accipit. Unde *Judith 8*: Haec erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde.

Item, sicut bonus odor, cum sentitur, indicat rem cujus est, ita bona fama in Christiano indicat Christum esse apud eos qui redolent. 2 *Cor. 2:* Christi bonus odor sumus. *Glossa:* Odor Christi dicuntur Apostoli, quia in omni vita sua et sua praedicatione Christus ostenditur.

Item, sicut bonus odor reficit, ita bona fama. *Prov. 15:* Bona fama impinguat ossa, scilicet interiora illorum ad quos venit, juxta illud *Prov. 27:* Variis odoribus delectatur cor. Gregorius: Ejus quem me videre non licet bona me pascit opinio.

Item, sicut odor bonus, licet regulariter conferat, tamen quibusdam venenatis animalibus nocet, ut bufoni: ita et bona fama. 2. *Cor. 2:* Christi bonus odor sumus in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam. *Glossa*: Illi qui invidebant bonae famae Pauli vel Christi bono odore peribant. Noli ergo invidere, et non occidet te bonus odor.

Item, sicut odor ex odorifera re contusa (2) magis elicitur, ita et fama bona. *Cant. 4*: Perfla hortum meum, et fluent aromata illius. *Glossa*: Ecclesia pulsata et probata odorem constantiae suae et abundantioris virtutis ubique diffundit.

Item, bonus odor attrahit. Unde dicitur de panthera quod propter bonum odorem suum eam sequuntur aliae ferae. Ita et bona fama.

---

(1) Cod. Vien.: a rebus vilibus.... a rebus pretiosis.... a pretiosa bonitate. — (2) Cod. Grat.: concussa.

Cant. 1: Curremus in odorem unguentorum tuorum. Exemplum de Regina Saba, 3 *Reg. 10*, quam Salomonis fama traxit de finibus terrae. 2 *Paral 9*. Hieronymus ad Paulinum: Ab ultimis Hispaniarum Galliarumque finibus quosdam venisse legimus, et quos ad sui contemplationem Roma non traxit, (1) unius hominis (2) fama perduxit.

Item, bonus odor secundum medicos resolvit. Ita et bona fama resolvit multos in devotionem. Unde *Tob. 7*: Audito nomine Tobiae senioris, misit se Raguel, et cum lacrymis osculatus est Tobiam juniorem; et plorans supra collum ejus dixit: Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri es filius.

Sciendum autem quod multis modis erratur circa hujusmodi famam. Sunt enim aliqui qui omnino non curant de sua fama qualis sit. Contra quod dicitur *Eccli. 41*: Curam habe de bona fama et de bono nomine.

Alii sunt qui propter confidentiam bonae conscientiae, famam negligunt. Contra quod Hieronymus: Non habeas paratum illud: Sufficit mihi mea conscientia; (3) non curo quid de me loquantur homines. Apostoli providerunt bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *Rom. 12.*

Alii sunt qui bonam famam amittunt, (4) non ex malitia, sed ex negligentia. Contra quod Augustinus: Sancta conversatio cauta debet esse, ne forte, cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam.

Alii sunt qui non parcentes famae suae, audacter aliqua committunt cum dispendio famae suae. Contra quod Gregorius in *Registro*: Quidquid gravare potest opinionem tuam omnino fugias, et committere illud nullius suasioni consentias.

Alii sunt qui de suspicionibus hominum non curant, dicentes illud Apostoli, 1 *Cor. 4*: Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die. Contra quod dicit Hieronymus: Cavete omnino suspiciones (5) et quidquid fingi potest, ne fingatur aliquid de vita.

---

(1) Cod. Tol.: traxerat. — (2) Fuit ille Titus Livius. — (3) Cod. Tol.: fama. — (4) Cod. Sp.: omittunt. — (5) Cod. Tol.: Cavete omnes suspiciones.

Alii sunt qui dummodo a veris malis caveant, non curant malis similia declinare. Contra quod dicit Apostolus, 1 *Thess.* 5: Ab omni specie mala abstinete vos.

Alii sunt qui, etsi in uno loco relinquunt bonam famam, tamen non sic in aliis. Contra quod Apostolus, 2 *Cor.* 2: Odorem notitiae suae per nos manifestat in omni loco.

Alii sunt qui, etsi coram aliquibus sint bonae famae, non tamen sic coram aliis. Contra quod Apostolus, *Rom.* 12: Providentes autem bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

Alii sunt qui etsi ex parte redoleant quoad aliqua bona, tamen quod aliqua mala olent. Contra quod Apostolus, 2 *Cor.* 2: Christi bonus odor sumus. Viri siquidem sancti dicuntur odor, quia sicut quaelibet pars odoris est odor, ita et ipsi toti redolent sicut et quaedam arbores, quarum et folia, et flores et fructus, et cortex, et quidquid de eis est, bonum habet odorem.

Alii sunt quorum fama, etsi sit bona, tamen non multum diffunditur. Contra quod, 1 *Mach.* 3: Et nominatus est Judas usque ad novissimum terrae.

Alii sunt qui minus solliciti sunt de acquirendis eis quae pertinent ad bonam famam. Contra quod Apostolus ad *Phil.* 4: Quaecumque bonae famae, haec cogitate; scilicet quomodo faciatis ea.

Sunt autem multa propter quae boni viri debent apponere diligentiam ad habendam bonam famam. Unum est utilitas proximi. Augustinus: Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Propter hoc dicitur in *Glossa, 2 Cor. 8,* super illo verbo: (1) Providemus bona coram hominibus: Crudelis est qui famam negligit, sicut dicitur crudelis qui non curat aliis subvenire.

Aliud est utilitas propria. *Ibidem*: Idem quod aliis ministramus misericorditer ad lucem, ad nostram quoque redundat utilitatem.

Aliud est consolatio amicorum. Augustinus: Qui nos amant, quaerunt quid laudent in nobis: qui autem nos odiunt, detrahunt nobis. Nos autem in medio constituti, adjuvante Deo, et vitam nos-

---

(1) Cod. Vien.: super primo verbo.

tram et famam nostram custodire debemus, ut non erubescant de detractoribus laudatores.

Aliud est dejectio (1) inimicorum. *Tit. 2*: In omnibus praebe temetipsum exemplum bonorum operum. Et *post*: Ut is vereatur qui ex adverso est, nihil malum habens dicere de nobis.

Aliud est proprius decor, pro quo solent multum zelare. Bernardus: Fortitudo tua est confidentia fidelis conscientiae; decor tuus est spendor bonae opinionis.

Aliud est fructus diuturnitatis. Fama enim non solum proficit aliis, dum homo vivit, sicut doctrina oris, sed etiam post mortem in longum, quia diu durat. *Eccli. 41*: Bonae vitae numerus dierum, bonum autem nomen manebit in aeternum.

Aliud est amor societatis. Non enim est honor hominibus qui habitant in domo foetida. Et ideo debet cavere quilibet habitator ne aliquid faciat quod reddat domum foetidam. Ideo e contrario ad commendationem domus suae sponsa dicit, (2) *Cant. 1*: Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquaearia cypressina. Quae omnia redolent.

Aliud est reverentia divini nominis. Hieronymus: Apostolus providet bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, ne per illum nomen Domini blasphemetur in gentibus.

Aliud est exhibitio delectabilis servitii Creatori, qui in Scriptura dicitur delectari (3) in odore suavitatis. Et ideo dicitur sponsae, *Cant. 4*: Odor vestimentorum tuorum, scilicet bonorum operum exteriorum, secundum *Glossam,* sicut odor thuris: qui scilicet non solum diffunditur in latum, (4) sed praecipue ascendit in altum, ad me scilicet.

Licet autem omnes boni viri debeant bona fama redolere, tamen religiosi magis: interest enim regiae dignitatis habere cellam aromatum, sicut habuit Salomon, de qua *Is. 39*.

Item, hortum aromatum sicut habuit idem, de quo *Eccle. 2*, et *Cant. 4*.

---

(1) Cod. Vien.: dilectio. — (2) Cod. Sp.:... domus sponsae dicitur. — (3) Cod. Tol.: dicit se delectari. — (4) Codd. Sp., Vien. et Tol.: non solum non diffunditur.

Item, oratorium speciale ad fumigandum aromata, quod idem fecit, de quo 2 *Paral.* 2. Dignum igitur et conveniens est ut Rex gloriae eadem habeat in sua Ecclesia. Constat autem quod non est aliquis status in Ecclesia cui ista ita proprie conveniant, sicut religioso. Debet igitur religio redolere, tanquam apotheca, tanquam hortus aromaticus, tanquam oratorium in quo aromata redolent. (1)

Praeterea, illi qui tractant aromata solent redolere, ut apothecarii. Simiter illi qui deferunt ea, ut illi qui deferunt muscum. Similiter illi qui deferunt vestes fragrantes, ut Jacob ex hoc redoluit patri. Porro religiosi quasi continue sunt inter species aromaticas et tractant eas, ut sunt Sacrae Scripturae, exempla sanctorum, orationes, sacrificia et sacramenta. Similiter ipsorum est portare Christum, quocumque vadant, qui adeo redolet quod dixit ei Johannes Evangelista: Odor tuus in me (2) concupiscentias excitavit aeternas. Similiter ipsorum est conversationem bonam inter gentes habere cujus est redolere, secundum illud *Cant.* 4: Odor vestimentorum tuorum. *Glossa*: Vocabulo vestimentorum facta justorum vocantur quae foris sunt.

Vae religiosis qui sic redolere debent et ratione officii, cum sint pigmentarii, et ratione ejus quem deferre debent in corpore suo, et ratione vestimentorum: cum reddunt pro odore foetorem!

Advertendum autem quod est quaedam fama quae oritur ex malo aliquo perpetrato, cum laudatur peccator in desideriis animae suae, et iniquus benedicitur. *Ps.* 9. Sunt autem aliqui qui solent in tali fama laetari. Et sunt similes quibusdam qui ex corruptione magna solent in foetoribus stercorum delectari.

Alia est de factis saecularibus, quae pertinent ad potentiam, vel sapientiam, vel divitias. Iste autem odor non est divinus, sed meretricius, quia ad loquacitatem pertinet, cum in iis homines delectantur. De quo 2 *Paral.* 16: Posuerunt super lectum plenum aromatibus et unguentis meretriciis.

---

(1) Cod. Vien.: Adolentur. De quo notat amicus P. Vinc. Laporte: Cela « vaut mieux, puisque l'oratoire dont il s'agit servait aux encensements. » — (2) Quod refertur ex nescio quo Apocrypho, cujus non nisi confusam servo memoriam.

Alia est fama de bona conversatione, in qua, etsi aliqui quaerant quae Dei sunt, tamen aliqui quaerunt aliquod (1) suum: et iste est odor non purus, sed mixtus. Contra quod, *Eccli. 24*: Quasi balsamum non mixtum odor meus.

Quia ergo viri religiosi tantum debent curare de bona fama, ut praedictum est, et solum de fama oriente ex sanctitate, et pure propter Christum, bene dicit vir sanctus: « observetis haec omnia tanquam bono Christi odore de bona conversatione fragrantes, » ut per hoc quod dicit « bona, » ostendat (2) quod nunquam de malo debent quaerere famam. Per hoc vero quod dicit « conversatione », declaratur quod non ex factis saecularibus, sed solum ex operibus bonis est eis fama quaerenda. Per hoc vero quod dicit « bono Christi odore » notatur quod in fama sua nihil debent quaerere nisi (3) Christum.

CC. Contra illos qui quasi inviti et non ex animo faciunt ea quae faciunt in religione.

Quinto notandum est quod sunt aliqui qui non ex animo, sed quasi inviti faciunt ea quae faciunt in religione. Isti sunt similes daemonibus qui faciebant Christi mandata, sed cum clamore. Exibant, inquit Lucas, *Luc. 4*, scilicet ad mandatum Christi, daemonia clamantia.

Sunt iterum sicut rota carri qui ad tractum boum vadit quidem, sed cum murmure. Praecordia fatui, inquit *Eccli. 33*, quasi rota carri.

Isti etiam sunt qui crucem Domini portant, sed cum (4) angaria. *Matth. 27*: Simonem angariaverunt ut tolleret crucem ejus.

Isti non sunt boni coqui, quia, cum parant cibum bonum domino, (5) cum cibo offerunt ei salsam amaram, scilicet cordis amaritudinem cum qua operantur. Propter quod conqueritur, *Ps. 68*, dicens: Dederunt in escam meam fel.

Pedes talium sunt similes statuae quam vidit Nabuchodonosor, *Dan. 2*; quorum pars erat ferrea et pars fictilis, quia et graves sunt ut ferrum ad eundum in viam mandatorum, et cito deficiunt ut res

---

(1) Cod. Vien.: aliquando quaeruntur aliquid.... — (2) Cod. Tol.: ostendatur. — (3) Cod. Tol.: praeter. — (4) Cod. Tol.: in. — (5) Cod. Tol.: cibum bonorum operum domino.

fragilis. Contra quod dicitur, *Ezech. 10*, de sanctis rotis: Vocavit eas volubiles, audiente me. Quod ideo dicitur quia sanctorum est et facile moveri, et non cito fatigari in opere Dei.

Isti sunt sicut mali rustici qui numquam faciunt servitium aliquod domino suo nisi cum dolore. Contra quod dicitur in *Ps. 99*: Servite Domino in laetitia.

Porro boni religiosi non sunt tales, sed voluntarii, et exercentur ex animo in servitio (1) Creatoris quod voluntarie promiserunt, exemplo illius qui dicit: Voluntarie sacrificabo tibi. *Ps. 53*. Ad hoc (2) autem studuit David in ultimis suis inducere (3) filium suum Salomonem, cum dixit, 1 *Paral. 28*: Tu vero servi (4) Domino animo voluntario. Hoc est quod optant Judaei de Hierosolymis fratribus suis in Ægypto dicentes, 2 *Mach. 1*: Det vobis Dominus cor omnibus, ut faciatis ejus voluntatem animo volenti. Hoc est iterum ad quod Apostolus inducebat dicens, *Eph. 6*: Ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate.

Et sciendum quod hujusmodi servitium quod fit ex animo et laete (5) magis est acceptum Deo, quia sicut dicit auctoritas: Coacta servitia non placent Deo. Ideo dicit Apostolus, 2 *Cor. 9*: Non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.

Item, levius est facienti. Qui enim facit aliquid cum gravamine (6) animi, dupliciter gravatur, scilicet corporali labore et animo; qui vero facit ex animo, non habet gravamen nisi corporis; et ideo minus gravatur. Bernardus: Labor meus vix est unius horae; et si plus est, prae amore non sentio. Et ideo solent cantare laborantes, ut ex laetitia animi labor corporis minuatur.

Item, terret daemones, sicut laetitia exercitus terret adversarios. Antonius: Unica ratio vincendi inimicum est laetitia spiritualis.

Item, confortat socios, sicut laetus viator socios peregrinos. (7) Unde auctoritas: Jucundus socius vehiculum est in via.

---

(1) Cod. Tol.: Porro viri religiosi non sunt tales, sed voluntarie et ex animo exsequuntur.... — (2) Cod. Tol.: Ad haec. — (3) Cod. Sp.: inducens. — (4) Cod. Vien.: servias. — (5) Cod. Tol.: ex animo et cum bona voluntate. — (6) Cod. Tol.: gravitate. — (7) Cod. Tol.: pigros.

Item, attrahit extraneos. Libentius enim adjungunt se saeculares religiosis laetis quam tristibus. Putant enim quos vident esse tristes (1) poenitere de hoc quod fecerunt. Unde dicitur quod cum quidam religiosus, qui semper videbatur tristis, hortaretur quemdam virum litteratum ad ingressum ordinis sui, respondit ille quod non intraret, quia videretur ei quod ipse poeniteret, quia semper videbat eum tristem. Et induxit exemplum ad hoc dicens quod duo clerici lubrici amore castitatis condixerant quod se facerent castrari: quod cum unus fecisset astante illo alio, et diceret adstanti quod faceret secundum promissum, respondit ille quod non faceret, quia videbatur ei quod poeniteret de hoc quod fecerat, quia nimis vultum malum (2) faciebat. Sic, inquit, et tibi dico. Tristitia ergo in religioso retrahit extraneos, e contra laetitia attrahit. Unde dicitur, 1. *Reg. 16,* de Saul quod choro psallentium se adjunxit.

Item, laetificat majores. Religiosi enim qui non faciunt aliquid nisi invite, sunt quasi lapides difficile mobiles, in quibus qui eos transfert, affligitur, sicut dicitur *Eccle. 10.* Ideo dicitur e contrario *Hebr. ult.*: Obedite praepositis vestris: ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri de animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.

Item, confert ad robur corporis. *Prov. 17:* Animus gaudens aetatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa.

Quia ergo servitium exhibitum Deo cum jucunditate tot bona facit et confert, bene dicit vir sanctus: « ut observetis haec omnia, non sicut servi, » qui quod faciunt faciunt ex quadam coactione et cum quadam animi angustia, « sed sicut liberi, » qui voluntarie cum laetitia (3) quod faciunt exequuntur.

Patet ex jam dictis quod oratio (4) Augustini quinque continet. Primum est quod mandata regulae suae serventur, (5) cum dicit: « haec; » secundum est quod integre, cum dicit: « omnia; » tertium est quid ad hoc debeat movere quantum ad utilitatem propriam, cum

---

(1) Cod. Sp.: Putatur enim quos vident tristes. — (2) Cod. Vien.: multum male. — (3) Cod. Tol.: cum quamdam laetitia. — (4) Cod. Il.: regula. — (5) Cod. Tol.: observentur.

dicit: « tanquam spiritualis; » quartum, quid debeat movere quantum ad utilitatem proximi, cum dicit: « et bono Christi odore; » quintum est qualiter observentur, cum dicit: « non sicut servi. »

Sequitur: **Ut autem vos in libello hoc tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatur, semel in septimana vobis legatur.**

Hic agitur de tertio quod valet ad regulae observationem, quod est memoria mandatorum ejus. Quia vero ista memoria habetur per regulae lectionem, primo tradit mandatum circa hujusmodi lectionem; secundo circa ea quae facienda sunt post lectionem, cum dicit: « Et ubi vos inveneritis, » etc.

Licet autem frequenter legi debeat regula a suis professoribus, tamen ne circa hoc fiat aliqua omissio, arctat ad tempus certum legendi, cum dicit: « semel in septimana vobis legatur. »

Item, causam hujus assignat cum dicit: « Ut autem vos in libello hoc tanquam in speculo possitis inspicere. »

Item, utilitatem hujus declarat, cum dicit: « ne per oblivionem aliquid negligatur. »

Sunt autem quatuor notabilia quae eliciuntur ex hoc mandato. Unum est quod non solum cavendum est ne fiat aliquid quantumcumque modicum contra regulam ex contemptu, sed etiam ex negligentia; quod patet per hoc quod dicit: « ne aliquid negligatur. » Aliud est quod non debent cadere a memoria quae pertinent ad salutem; quod notatur cum dicit: « ne per oblivionem aliquid negligatur. » Aliud est quod ad (1) vitandum hujusmodi oblivionem, insistendum est lectioni frequenter, quod notatur cum dicit: « semel in septimana. » Aliud est quod legens vel audiens regulam debet in hujusmodi lectione attendere, (2) scilicet cognitionem sui, quod notatur cum dicit: « Ut autem vos in libello hoc possitis inspicere. »

CCI. Contra negligentiam.

Circa primum notandum quod ad cavendum negligentiam quamcumque circa salutaria mandata, ponit Do-

---

(1) Cod. Tol.: aliud quia ad.... — (2) Cod. Tol.: intendere.

minus speciale mandatum dicens, *Deut. 8:* Observa et cave nequando negligas mandata ejus, atque judicia et caeremonias.

Non solum autem dat circa hoc mandatum, sed addit duram comminationem. *Levit. 20:* Si negligens populus terrae, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, ponam faciam meam super hominem illum, et cognationem ejus, succidamque illum, etc.

Non solum autem ponit circa hoc comminationem, sed et poenam gravem legitur inflixisse, *Exod. 9:* Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et jumenta in agris; et *post:* Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quae fuerunt in agris, ab homine usque ad pecus. (1)

Praeterea, dicitur *Jer. 48:* Maledictus qui facit opus Dei negligenter; secundum aliam translationem: fraudulenter. (2) Cum ergo observantia regulae opus sit Domini, qui in hoc committit negligentiam maledictus est a Spiritu Sancto, qui loquitur in propheta.

Item, dicitur *Prov. 19:* Qui custodit mandatum custodit animam suam; qui autem negligit viam suam mortificabitur. Cum ergo regula religiosi sit via sua, sicut qui negligit custodire viam suam (3) interdum incurrit periculum mortis, ita qui in suam regulam negligentiam committit.

Item, (4) dicitur *Eccli. 19:* Qui spernit modica paulatim decidet. Sicut ergo domus cujus reparatio negligitur subito cadit, ita et talis.

Item, dicitur *Num. 5:* Vir sive mulier, cum per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, peccatum suum Domino confitebuntur, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei in quem peccaverunt. Ergo negligentia non excusat a gravi poenitentia et poena.

Cum ergo ad cavendam negligentiam (5) circa mandata salutaria Dominus speciale mandatum dederit et comminationem, et poenam gravem addiderit, et contrarium facientes maledictionem divinam et periculum mortis in fine, et annihilationem in praesenti in-

(1) Cod. Tol.: ad jumenta. — (2) Cod. Tol.:.. opus Dei fraudulenter: secundum aliam lectionem dicitur ibi: negligenter. — (3) Cod. Tol.: bonam. — (4) Cod. Tol.: Ideo. — (5) Codd. Sp. et Tol.: poenitentiam.

currant, nec a gravi poena excusentur, ut patet ex praedictis, valde cavendum est viro religioso ne ab ipso aliquid de sua regula negligatur.

Sciendum autem quod tria sunt quae solent occasionem dare hujusmodi negligentiae.

Primum est minor timor Domini. Qui enim timet multum dominum cui servit, multum cavet ne aliquam negligentiam incurrat in suo servitio. Et ideo dicitur *Eccle. 7:* Qui timet Dominum nihil negligit.

Secundum est minor cura animae suae. Si enim homines tam curarent de salute animae suae, sicut curant de salute corporis, nihil negligerent eorum quae pertinent ad animae salutem, sicut nihil omittunt eorum quae ad salutem corporis pertinent. Quod quia non faciunt, minatur eis Apostolus dicens, *Hebr. 2:* Si omnis inobedientiam justam accipit mercedem retributionis, quomodo effugiemus, si tantam negligimus (1) salutem?

Tertium est occupatio circa alia negotia. *Eccli. 5*: Difficile exuitur negotians a negligentia sua; id est negligentia circa se et ad suam salutem pertinentia. Exemplum, *Matth. 22*: Illi autem neglexerunt, et abierunt alius in villam suam, alius in negotiationem suam.

Ut ergo nihil negligatur de regula sua a viro religioso, habendus est timor Dei ante oculos continue, habenda est et sollicitudo circa salutem propriam, et fugienda occupatio saecularis. Si ergo contingat hujusmodi negligentiam incurrere, non est purgatio negligenda. *Eccli. 7:* De negligentia purga te cum paucis; id est etsi pauci sint qui hoc faciant.

CCII. De rebus salutaribus habendis in mente.

Circa secundum notandum quod secundum philosophos memoria est thesaurus specierum, quae scilicet per virtutes apprehensivas inducuntur ad animam.

Sed aliqui sunt qui in isto thesauro reservant interdum paleas frivolarum cogitationum, vel putridos fructus carnalium delectationum, (2) vel gladios et arma malitiosarum cogitationum, memores

---

(1) Cod. Tol.: neglexerimus. — (2) Codd. Tol. et Vien.: cogitationum.

horum ad meditandum. Non sic fecit qui (1) dixit, *Ps. 70*: Memorabor justitiae tuae solius; quasi dicat: nec vanum aliquid, nec turpe, nec malitiosum habeo in memoria mea, sed solum quae pertinent ad justitiam tuam, Domine. Felix archa memoriae talis, quae non habet in se nisi virgam, et manna, et tabulas Testamenti: quae omnia sonant in bonum.

Legitur de quadum sancta muliere quod ita habebat memoriam ab omnibus vanis et illicitis depuratam, quod dormiendo non somniabat nisi Christum vel ad Christum pertinentia. Hoc autem est quod pertinet ad bonum virum ut in thesauro memoriae suae non (2) habeat nisi bonum, secundum illud, *Luc. 6:* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. (3) Quod enim profertur de thesauro ibi erat. Porro inter omnia bona quae debet vir bonus habere in memoria, specialiter debet habere Dei mandata in mente semper. Hinc est quod dicitur, *Eccli. 3:* Quae praecepit tibi Deus cogita illa semper. Et *Prov. 7*: Fili, liga legem meam in digitis tuis, et scribe illam in tabula cordis tui. Et *Deut. 6*: Erunt verba haec quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi in signum (4) in manu tua, eruntque et non movebuntur (5) ante oculos tuos, scribesque in limine et in postibus domus tuae. Et *Num. 15*: Dices ad filios Israel ut faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacintinas: quas cum viderint recordabuntur omnium mandatorum Dei. Et in *Ps. 1.* dicitur de viro justo: Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et David de se dicit, *Ps. 77*: Tota die meditatio mea est, scilicet lex tua. Et *Osee. 4:* dicitur: Quia oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. Et notandum quod dicit Magister in *Historia* (6) quod Pharisaei majores fimbrias quam alii ferentes, spinas eis alligabant quibus puncti in ambulando (7) memores fierent mandatorum Dei.

---

(1) Cod. Tol.: faciebat. — (2) Cod. Tol.: nihil. — (3) Cod. Tol.: bonum. — (4) Codd. Tol. et Vien.: quasi signum. — (5) Cod. Vien. ex correct.: et movebuntur. — (6) Codd. Grat. et Tol.: Historiis. — (7) Cod. Tol.: deambulando.

Quod ideo fecisse creduntur ut implerent quod dicunt Scripturae de mandatis Domini memorandis. Si ergo isti falsi religiosi hypocritae tantam curam apposuerunt ut essent semper memores mandatorum Dei, quanto magis viri religiosi debent ad hoc apponere curam magnam!

Non solum autem circa haec, (1) sed circa regulam professionis suae est sollicitudo apponenda viro religioso, ut in memoria semper habeatur. Unde dicitur de Beato Bernardo quod apud se frequenter dicebat: Bernarde! Bernarde! Ad quid venisti? reducens sibi ad memoriam professionem factam. Et hoc conveniens est. Dicitur enim *Jer.* 2: Numquid potest oblivisci virgo ornamenti sui? Cum ergo regula sit ornamentum spirituale et valde pulchrum viri religiosi, quomodo convenit ut eam tradat oblivioni?

Item, *Prov.* 2, dicitur de meretrice: Pacti Dei sui oblita est. Adultera ergo et meretrix est anima quae pactum professionis Deo factae tradit oblivioni.

Item, dicitur in *Vitis Patrum* quod tres sunt virtutes Satanae: oblivio, negligentia et concupiscentia. Oblivio mater est negligentiae, de negligentia vero oritur concupiscentia, de concupiscentia corruit homo. Oblivio ergo professionis initium est totius ruinae in religione; et ideo bene dicitur: « ne per oblivionem aliquid negligatur. »

CCIII. De regula frequenter legenda.

Circa tertium notandum quod quia ea quae sciuntur, vel intelliguntur, vel audiuntur, vel dicuntur, vel fiunt, facile de memoria elabuntur, ideo adinventae sunt scripturae, ut ea quae expedit haberi in memoria per scripturam perpetuentur. *Exod. 17:* Scribe hoc ob monimentum in libro; id est ob memoriam.

Sed sunt aliqui religiosi qui ita fastidiunt legere in scripturis, quod raro vel nunquam se occupant in eis. Contra quod Augustinus supra: « Codices certa hora singulis diebus petantur. »

Sunt alii qui, cum legunt, libentius legunt in libris gentilium quam in sacris; propter quod Hieronymus raptus ad judicium fuit gravissime flagellatus usque ad abjurationem hujusmodi lectionum. (2)

(1) Cod. Vien.: circa hoc. — (2) Cod. Tol.: talium lectionum.

Contra quod, 1 *Mach. 12:* Habentes solatio Libros Sanctos, qui sunt in manibus vestris.

Sunt alii qui etsi libenter legunt in Sacris Scripturis, (1) tamen parum sciunt, vel scire curant de regula professionis suae. Isti sunt sicut stulti advocati, qui nunquam student in *Textu* vel *Glossa* de materia super qua ferenda est sententia a judice. Secundum enim regulam suae professionis quilibet est judicandus. Vidi e contrario ego quemdam monachum sanctum qui quasi semper ferebat in manibus regulam sancti Benedicti, modo legens in ea, modo studens in ea, modo quaerens ejus dubitabilia et obscura cum inveniebat virum discretum.

Quia vero multi circa istud, licet perutile, pigri inveniuntur, apponit vir sanctus remedium ut quod quidam per se facere non curant, (2) videlicet ut legant frequenter regulam suam, fiat eis ab alio. Unde dicit: (3) « vobis legatur. » Quod est faciendum tali loco et tali tempore, quod, si fieri potest, ab omnibus audiatur. Et ideo fit a multis in refectorio, cum ad mensam solent communiter convenire.

Verum, ne assiduitas lectionis fastidium generet, sicut cibi identitas, determinat circa hoc mediocritatem, cum dicit: « semel in septimana. »

Attendendum autem quod Magister dicit in *Historia* (4) quod Pharisaei pittatia cartarum, quae dicebantur phylacteria, in fronte gerebant, circumligata in bracchio sinistro, quibus descriptus erat Decalogus, ad hoc ut per scripturam ante oculos positam semper essent memores mandatorum Dei.

Item, *Deut. 17,* dicitur: Postquam sederit rex in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis hujus in volumine, legetque illud omnibus diebus vitae suae.

Item, *Nehem. 9,* legitur: Legerunt in volumine legis Domini quater in die et quater in nocte. Si ergo Pharisaei, et rex saecularis, et Judaei tam diligentes fuerunt in legendo legem vitae, quanto magis vir religiosus debet esse sollicitus de legendo vel audiendo ab alio

---

(1) Cod. Tol.: legant in Sacris Libris. — (2) Cod. Tol.: per se non curant. — (3) Cod. Tol.:... ab alio, cum dicit. — (4) Cod. Grat.: Historiis.

saltem in septimana semel, regulam professionis suae, sicut dicitur in hoc mandato, ex qua pendet salus et vita sua. (1) Proinde solent praelati discreti ordinare quod illi qui ex occupatione aliqua vel negligentia hoc non faciunt, alio tempore suppleant quod minus fecerunt.

CCIV. De cognitione sui.

Circa quartum notandum quod sunt quidam qui cum circa multa studeant cognoscenda, seipsos tamen non cognoscunt. Bernardus: Multi multa sciunt, (2) seipsos autem nesciunt. (3) Verum omnibus scientiis haec est praeferenda, scilicet cognitio sui. *Glossa:* Augustinus super (4) isto verbo: Scientia inflat, 1 *Cor. 8:* Praeponenda est scientia scientiae. Melius est enim scire infirmitates nostras quam naturas rerum. Laudabilior est enim animus (5) cui nota est infirmitas sua, quam qui, ea non respecta, siderum vias scrutatur, et fundamenta terrarum, et fastigia coelorum; melioresque sunt qui hujusmodi scientiae praeponunt nosse seipsos. Hinc est quod dicitur in libro philosophico de *Consolatione:* (6) De coelo venit: γνωθι σεαυτον, hoc est est: Cognosce temetipsum. Et in *eodem* iterum: Humanae naturae est ista conditio ut tantum caeteris rebus tunc excellat, cum se cognoscit. Eadem tamen inter bestias redigetur, (7) si se nosse desierit: nam caeteris animalibus (8) sese ignorare naturale (9) est, homini vero ex vitio venit. Hinc iterum dicit Sanctus Augustinus, tantae scientiae vir, orando: Noverim me, noverim te. Et Bernardus: Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terrae, noveris alta coeli, noveris profunda abyssi: si te nescieris, eris similis aedificanti sine fundamento; ruinam, non structuram faciens. Hinc iterum ipse Dominus dicit discipulis, *Matth. 24:* Videte vosmetipsos. Philosophus ergo et Sancti et ipse Christus in hoc conveniunt concorditer.

Porro, circa sui cognitionem tria concurrunt, scilicet quid sit quoad naturam; quis, quoad statum; et qualis, quoad mores. Bernardus, *De Consideratione:* Tui consideratio in tria dividitur: ut

---

(1) Cod. Tol.: nostra. — (2) Cod. Vien.: multi multa sentiunt. — (3) Cod. Tol.: seipsos tamen non cognoscunt. — (4) Cod. Sp.: *Glossa* Augustini. — (5) Cod. Tol.: aliquis. — (6) Scil. Boetii, *De consolatione philosophiae.* — (7) Cod. Tol.: redigitur. — (8) Cod. Tol.: animantibus. — (9) Cod. Vien.: naturae est.

consideres quid, quis, qualis sis: quid in natura, quis in persona, qualis in moribus; verbi gratia: quid est homo? quis papa? qualis: benignus, vel mansuetus, vel quidquid tale est?

Et attendendum quod in libris naturalibus, primum cognoscitur in libris juris; secundum in libris in quibus multa traduntur de pertinentibus ad statum ecclesiasticum, vel ad christianum: in Libris vero Sanctis tertium, in quibus traditur quid agendum, quid cavendum. Licet autem omnis hujusmodi consideratio sit utilis, tamen ultima melior est. Et ideo in laudem ejus dicit Bernardus: Consideratione hujusmodi: (1) Qualis sis, te tenet in te, nec te a te avolare sinit, nec ambulare in magnis super te. In te consiste: noli infra te dejici, non extolli supra, non evadere longius, non extendi in latius. Longum dico, cum sibi homo promittit longiorem vitam; latum, cum in superfluis extenditur homo curis; altum, cum de se plus praesumit; profundum, cum se plus dejicit. Longitudo exterminium habere solet, dilatio scissuram, altitudo ruinam, profundum absorptionem. Quia igitur ista consideratio sui quoad mores est adeo utilis ad mandata Dei, et, sicut dicit Gregorius, sunt speculum in quo sanctae animae semper aspiciunt, et si quae in eis sunt foeditates, deprehendunt, fecit beatus Augustinus quemdam librum quem vocavit *Speculum* (2) in quo collegit Dei mandata, ut quilibet Christianus in eo legens, posset videre qualis esset vel in bono vel in malo. Praeter autem illum librum generalem quem ad omnes fecit, et hunc librum regulae (3) composuit quem speculo comparat, quia religiosi suae professionis in hoc legentes possunt cognoscere quid habeant in se de illa regula, et quid eis desit.

Et notandum quod mulieres solent frequenter respicere in speculo, ut in eo videant statum faciei suae; barbitonsores etiam solent

---

(1) Cod. Sp.: Bernardus de consideratione hujusmodi — (2) Codd. Sp. et Vien,: Speculum Ecclesiae. Quia saepius liber iste apud Humbertum refertur, libet hic adnotare quae nobis significavit P. Laporte, illum scil. editum fuisse Vindobonae, an. 1887, in Collectione cui titulus: *Corpus Script. eccl. lat.* cum commentario critico, a D. Franc. Weihrich. Qui jam ab anno 1883 ediderat dissertationem cui titulus: *Das Speculum des H. Augustinus, und seine handschriftliche Ueberlieferung.* — (3) Cod. Tol.: hunc regulae libellum.

habere specula in operatorio suo, ut in eis possint inspicere homines si bene sint rasi; in introitu etiam Tabernaculi fuit lavatorium in quo erant affixa specula, sicut dicit Magister in *Historia,* ut sacerdotes ingredientes ad ministerium, in eis possent aspicere si quam indecentiam (1) haberent. Si ergo isti ita solliciti sunt de respiciendo se corporaliter in speculis corporalibus, quanto magis viri religiosi debent se sollicite in hujusmodi speculo spirituali spiritualiter intueri!

Bene igitur dicit vir Sanctus: « Ut vos in libello hoc tanquam in speculo possitis inspicere. » Et bene dicit: « vos, » non alios, in suggillationem quorumdam qui, magis curantes de aliis quam de se, solent, cum legunt vel audiunt regulam, in ea magis notare defectus aliorum quam suos, contra illud Chrysostomi dicentis: Vide quid tu profeceris. Quid ad te de caeteris?

Patet ex jam dictis circa hoc mandatum quod ad cavendum negligentiam circa regulae observantiam, cavenda est oblivio; ad cavendum oblivionem, frequentanda est regulae lectio; ad hoc autem ut utilis sit lectio, quaerenda est in tali lectione sui cognitio.

Sequitur: **Et ubi vos inveneritis ea quae scripta sunt facientes agite gratias Domino bonorum omnium largitori.**

Dato mandato circa regulae lectionem, tradit mandata circa ea quae sunt post lectionem facienda.

Sciendum autem quod consideranti se qualis sit duo occurrunt: scilicet qualis sit in bono, et qualis sit in malo. Bernardus: Vigilanter discerne qualis sis ex te, et qualis ex dono Dei. Proinde considerans se in speculo regulae suae interdum invenit se quae scripta sunt facientem: (2) et hoc bonum; interdum non facientem: et hoc malum. Circa primum tradit hic mandatum, videlicet de gratiarum actione; circa secundum autem ibi: « Ubi autem quicumque vestrum, » scilicet de poenitentia.

CCV. De gratiarum actione pro bonis.

Circa primum notandum quod sunt quidam qui cum considerant se facientes quod facere debent, inaniter extolluntur, similes philosophis qui non glorificaverunt

---

(1) Cod. Tol.: si qua indecentia. — (2) Cod. Sp.: se scripta facientem.

Deum, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis. *Rom. 1.* Contra quod, 1 *Cor. 4*: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris (1) quasi non acceperis?

Alii sunt qui non solum extolluntur inaniter in se, sed et super alios in iis deficientes gloriantur, similes pharisaeo hypocritae dicenti, *Luc. 18*: Gratias ago tibi, Domine, quia non sum sicut caeteri hominum. Contra quod, *Rom. 11*: Noli gloriari adversus ramos, scilicet fractos.

Alii sunt qui licet sciant quod quidquid boni faciunt ex Dei dono habent, tamen ex quadam rusticitate non referunt ei gratias; immo quamvis assidua recipiant beneficia, tamen semper remanent ingrati. Contra quod *Coloss. 3*: Et grati estote.

Porro ex hujusmodi ingratitudine sequuntur tria mala. Primum est spoliatio de bonis acceptis. Gratiarum enim actio, sicut dicit Chrysostomus, est census quem Dominus retinet super omnia bona quae confert: et ideo, sicut ille qui non dedit censum debitum de jure potest spoliari de re de qua debet censum, ita ingratus bonis acceptis. Augustinus: Quod Deus dederat gratis abstulit ingratis.

Secundum est impedimentum accipiendorum. (2) Non est enim consuetudo vel ratio quod ingrato de jam acceptis conferantur alia. Bernardus: (3) Non est dignus dandis qui non refert gratias (4) de datis.

Tertium est punitio etiam temporalis. Non enim contentus est Dominus hujusmodi ingratis auferre data, et alia non largiri, sed etiam poenam superaddit temporalem quandoque. Unde dicit Josephus quod Ezechias, licet hostias immolasset Domino, post triumphum de Sennacherib, interfectis CLXXXV millibus, (5) tamen, quia non reddidit digne Deo gratias faciendo ei novum canticum, sicut in talibus patres facere consueverunt, aegrotavit usque ad mortem, eum in hoc Domino puniente.

Ex gratiarum vero actione e contrario sequntur tria bona.

---

(1) Cod. Vien.: unde gloriaris. — (2) Codd. Sp. et Tol.: suscipiendorum. — (3) Cod. Tol.: Gregorius. — (4) Cod. Tol.: agit gratias. — (5) Codd. Sp. et Vien.: mille LXXXV millibus.

Primum est conservatio bonorum jam perceptorum. Bernardus : Hinc mihi, charissimi, continuus dolor, multaque tristitia cordi meo quod multos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad verba otiosa et scurrilia video, ut pertimescam valde ne forte plus quam expediat ingrati super tam multis beneficiis divinae misericordiae aliquando deserantur a gratia, quam non habent ut gratiam. Et ideo e contrario sensu sperari potest quod in istis qui grati fuerint dona gratia conserventur. (1) Ad Dominum enim bonum pertinet conservare homini bona quae recognoscit se ab eo tenere, et de quibus censum debitum sibi reddit. Census autem iste in hoc casu est gratiarum actio, ut praedictum est.

Secundum est bonorum multiplicatio. Sicut enim in praesenti ingratitudo hoc impedit, secundum Bernardum dicentem : Ingratitudo est ventus urens, exsiccans fontem pietatis, rorem misericordiae, fluenta gratiae ; ita e contrario gratias exhibentes de beneficiis perceptis digni sunt percipere ampliora. Unde Bernardus dicit : Ad locum unde exeunt flumina gratiarum revertuntur, scilicet per gratiarum actionem, ut iterum fluant.

Tertium est promotio ad majora in futuro. Dominus enim de beneficiis omnibus quae confert vult ut homo habeat totam utilitatem, ipse vero gloriam. Qui ergo (2) non glorificat ipsum per gratias, (3) tamquam servus infidelis retinens partem ejus, est dignus gravi poena ; qui vero eum sic glorificat tamquam servus fidelis promovebitur ad majora in futuro. *Matth.* 25 : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.

Quia ergo ex ingratitudine tot mala proveniunt, et ex gratiarum actione tot bona, Ecclesia nos invitat ad gratiarum actiones, dicens quotitie : Dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine Sancte, etc. Et Augustinus ad hoc idem invitans dicit : Quid melius animo (4) geramus, (5) et ore promamus, calamo scribamus, quam Deo gratias? Hoc aliquid nec dici brevius,

---

(1) Cod. Tol. : asserventur. — (2) Codd. Sp. et Vien. : enim. — (3) Codd. Vien. et Sp. : per gratiam. — (4) Cod. Sp. : Quid melius quod animo. — (5) Cod. Vien. : quaeramus.

nec audiri gratius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Et Bernardus excitans ad idem dicit: Disce in referendo gratias non esse tardus aut segnis; disce ad singula dona gratias agere. Et ideo cum facere bonum sit donum Dei speciale, quia sine ipso nihil boni possumus facere; et valde utile, quia sine hoc non est salus, bene dicit vir sanctus: « ubi vos inveneritis ea quae scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. »

Sequitur: **Ubi autem sibi quicumque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de praeterito, caveat de futuro, orans ut sibi debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.**

Postquam mandatum praecedens traditum est de (1) gratiarum actione pro iis quae, lecta regula, de illa inveniuntur observata, subjungitur hic mandatum de poenitentia, pro iis quae inveniuntur non servata. Quia vero poenitentia vera, secundum Ambrosium, est praeterita mala plangere, et plangenda iterum non committere, ideo secundum haec duo mandat: unum, cum dicit: « doleat de praeterito; » aliud cum dicit: « caveat de futuro. » Quia vero in utroque eorum est necessarium donum Dei, subjungit: « orans ut sibi debitum dimittatur, » quantum ad primum; « et in tentationem non inducatur, » quantum ad secundum.

CCVI. De dolore super transgressione regulae.

Et vide circa primum, quod dicit: (2) « doleat, » quanta cura fuit beati Augustini de regula stricte servanda! Superius enim dixit: « si quid servatum minus fuerit, non negligenter praetereatur; » postea dixit: « ne per oblivionem aliquid negligatur; » nunc autem dicit: « Ubi autem quicumque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de praeterito. »

Item, aliqui praelati abutentes potestate sibi commissa interdum omittunt aliquid de regula ad quod alios cogunt; aliqui officiales ratione occupationum ab aliquibus se excusant; claustrales etiam sim-

---

(1) Cod. Tol.: Post mandatum praecedens traditum de.... — (2) Col. Sp.: cum dicit.

plices interdum continuam observantiam regulae sibi intolerabilem reputant. Sed beatus Augustinus nullum excipiens ab observantia regulae, dicit: « quicumque vestrum, » scilicet praelatus, officialis, vel simplex claustralis, « viderit aliquid sibi deesse, » etc.

Item, sunt aliqui qui, etsi transgressionem (1) regulae interdum confiteantur, vel se accusent, tamen raro dolent ex corde, vel se corrigunt. Et quia sine iis prima non sufficiunt, ideo dicit ut doleant et caveant: quod melius est quam solum confiteri, et accusare.

Et notandum quod, 4 *Reg. 22,* legitur quod cum legisset Saphan librum Legis repertum in Domo Domini coram Josia rege, et audisset rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua et dixit: Magna ira Dei succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri legis hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis.

Item, *Nehem. 8,* legitur quod cum Esdras legisset librum legis Dei coram populo de civitatibus congregato, flebat omnis populus, ideo scilicet quia videbat (2) in Lege se peccasse.

Item, *Jer. 36,* legitur quod cum lectum fuisset coram rege Joachim et servis ejus volumen Jeremiae quod miserat per Baruch, non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua rex et omnes servi ejus, qui audierunt sermones ejus. (3) Propter quod consequuta est gravis comminatio Domini dicentis: Propter hoc, haec dicit Dominus contra Joachim: Non erit qui sedeat ex eo super solium David, et cadaver ejus projicietur ad aestum per diem, et ad gelu per noctem. Quantum, quaeso, argumentum: immo quantum exemplum relinquitur ex iis religioso dolendi super transgressionem legis salutis suae, cum ei recitatur in libro?

Praeterea dicit David, *Ps. 118,* Exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam. Si ergo sic abundanter flevit rex iste pro transgressione legis ei a Deo traditae, numquid non est dolendum religioso pro transgressione legis pro Deo voluntarie assumptae?

---

(1) Cod. Tol.: de trangressione. — (2) Cod. Tol.: videbant. — (3) Cod. Sp.: istos. - Cod. Vien.: omnes sermones istos.

Item, in *Vitis Patrum* legitur quod cum Abbas Sylvanus raptus ad judicium vidisset multos de habitu religioso euntes ad tormenta, reversus ad se, flebat adeo inconsolabiter quod nolebat exire de cella; et si quando compelleretur exire, operiebat faciem suam caputio dicens: Quid necesse est videre lumen istud, in quo nihil utile est? Si autem iste flevit pro aliis religiosis jam damnatis, quanto magis dolendum est religioso super transgressione suae professionis ne damnetur? Unde *ibidem* legitur quod cum abbas Macarius de Schiti venisset ad senes de monte Nitrio, vocatus ab eis, et rogassent eum ut faceret eis verbum, ille plorans dixit: Fratres, ploremus, et producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus hinc ad locum ubi lacrymae nostrae corpora nostra comburant. Et fleverunt omnes cadentes in facies suas, dicentes: Ora pro nobis, pater.

Item, multum pertinet dolere ad mercatorem qui perdit illud in quo totam pecuniam suam commutavit. Talis autem est religiosus qui suam plene regulam non observat. Unde, sicut dicitur in *Vitis Patrum,* sanctae memoriae Basilius cuidam, qui senator fuerat, et factus monachus aliqua sibi retinuerat ad usus suos, dixit: Et senator esse desiisti, et monachum non fecisti. A simili ergo quicumque regulam suam non plene servat, et saeculum amisit, et Deum pro quo illud dimiserat amittit, et sic totum perdens, sicut ille qui amittit ovum et obolum, multam potest habere materiam doloris.

Item, tale mandatum quod sibi debuerat esse ad vitam observandum, vertitur in mortem propter transgressionem, juxta illud Apostoli, *Rom. 7*: Et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Quantum ergo super hoc dolendum est! Bernardus: Vae tibi, cui vita vertitur in mortem!

Item, qui addit scientiam addit et dolorem. Nullus enim dolet de damno quod incurrit quousque illud cognoscit, vel de malo suo quousque illud percipit.

Cum ergo lectio regulae ostendat religioso quae bona desunt (1) ei, et quae mala habet, sicut speculum ostendit mulieri foeditatem suam, quae ostensio est causa sibi tristitiae, bene dicit vir sanctus: « Ubi

(1) Cod. Sp.: sunt.

autem sibi quicumque vestrum viderit sibi aliquid deesse, doleat de praeterito. »

CCVII. De peccati placentia et ejus recidivo.

Circa secundum quod dicit: « caveat de futuro, » notandum quod in omni delicto est aliqua complacentia (1) propter aliquid quod in eo delectat.

Item, est in eo aliqua audacia in eo quod delinquens contra Deum facere non veretur. Et ideo, sicut virgo post corruptionem, propter delectationem jam expertam eam attrahentem, facilius inclinatur peccatis secundariis quam primis; et latro videns nihil mali sibi accidisse ex primo furto, audacius committit alia furta: ita in omni delicto accidit quod post prima homo facilius inclinatur ad alia (2) perpetranda; et ideo reddens Augustinus religiosum circa hoc cautum dicit: « caveat de futuro, » innuens quod de facili cadet in idem, nisi caveat diligenter.

Attendendum autem quod peccati recidivum aufert fructum totius purgationis praeteritae, sive per contritionem, sive per confessionem, sive per opera satisfactionis, sive alio modo factae. (3) *Eccli. 34*: Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid prodest lavatio ejus?

Item, vilificat nobilissimam creaturam, hominem scilicet, usque ad canis vilitatem. *Prov. 26*: Sicut canis reversus ad vomitum, sic imprudens (4) qui iterat stultitiam suam. Et ideo dicitur, *Jer. 2*, animae tali: Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Et vere vilis, quia sicut canis in tali reditu.

Item, redigit in majorem potestatem diaboli. *Luc. 11*: Tunc, scilicet quando revertitur spiritus immundus in domum suam, vadit, assumit alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi.

Item, privat labores utilitate. *Eccli. 34*: Unus aedificans et alter destruens: quid prodest illis, nisi labor? Unus orans et alter maledicens: cujus vocem exaudiet Dominus? Sic homo qui jejunat in peccatis suis, id est pro peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationes ejus (5) quis exaudiet?

---

(1) Codd. Tol. et Grat.: placentia. — (2) Cod. Vien.: ad secunda alia. — (3) Cod. Vien.: fecit. — (4) Cod. Vien.: impudens. — (5) Cod. Tol.: orationem.

Item, aggravat peccatum, sicut recidivatio infirmitatem. *Luc. 11*: Et fiunt novissima hominis illius, scilicet in quem rediit diabolus, pejora prioribus.

Item, provocat contra se angelos in judicio. Habuerunt enim gaudium de conversione peccatoris, et majus expectant de glorificatione; et ideo multum poterunt indignari contra illos qui per recidivum fraudant eos tali gaudio. Bernardus: Tu qui ad vomitum redire deliberas, putasne placatos habebis in judicio quos tam sperato vis privare gaudio?

Item, Deum gravius offendit, et hoc propter gratiam factam in praecedenti remissione. Unde, *Matth. 18,* vocato illo cui debitum dimiserat, loquens asperius quam primo propter culpam sequentem, (1) dicit Dominus: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Et iratus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

Propter hoc quod tam gravis est iteratio peccati dicit Bernardus: Recidere quam incidere deterius est.

Item, dicit Sapiens, *Eccli. 21*: Fili, peccasti: non adjicias iterum; sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Dicit etiam Dominus, *Joan. 8,* deprehensae in adulterio: Vade et amplius noli peccare. Hoc autem solum dicens innuit (2) nihil adeo esse utile post peccatum, sicut cavere a recidivo, quia sine hoc nihil valent omnia alia quae pro peccatis dimittendis fiunt. Et ideo postquam dixit Augustinus: « doleat de praeterito, » bene addit: « caveat de futuro. »

Porro ad cavendum iterationem (3) peccati multum valet conceptio firmi propositi de cavendo. Sicut enim citius frangitur ab inimico ostium vacillans quam firmum, sic animus sine firmitate propositi citius vincitur a diabolo. Et ideo dixit Dominus deprehensae in adulterio et poenitenti, *Joan. 8*: Jam noli peccare; et non dixit: Non velis. Major enim firmitas propositi importatur per Noli quam per Non velis, quia ibi notatur solum negatio voluntatis, hic vero notatur voluntas negationis.

---

(1) Cod. Tol.: frequentem. — (2) Codd. Sp. et Vien.: innuens dicit. — (3) Cod. Tol.: recidivum.

Item, valet ad idem timor proprii casus: qui enim multum timet cadere, melius cavet sibi, et ideo non ita de facili cadit. Et ideo dicitur, 1 *Cor. 10*: Qui se existimat stare, videat ne cadat.

Item, confidentia in Domino. Qui enim de se praesumunt, stant super pedem superbiae, ubi ceciderunt qui operantur iniquitatem, *Ps. 35;* et ideo de facili cadunt propter hujusmodi; pedis (1) fragilitatem. Qui vero de se diffidentes spem ponunt in Domino, ejus adjutorio stant, et incedunt firmius. *Ps. 124*: Qui confidunt in Domino sicut mons Sion: non commovebitur in aeternum, etc.

Item, sollicitudo circa sui custodiam: non enim ita cito capitur castrum custoditum sollicite, sicut custoditum negligenter. Et ideo dicitur, *Deut. 4*: Custodi temetipsum et animam tuam sollicite.

Item, consideratio causarum peccati cum appositione remedii. Sicut enim vir prudens infirmitatem incurrens considerat causam infirmitatis, si fuerit frigus, vel calor, vel hujusmodi; et inventa causa apponit remedium et cautelam in antea: ita veri (2) poenitentis est considerare quae fuerunt occasiones peccati sui, et cum remedio de praeterito cautelam apponere in futurum. Augustinus: Satisfacere est causas peccatorum excidere, et eorum suggestionibus aditum non indulgere.

Item, absconsio a periculis. Sicut enim in locis guerrarum qui se exponunt laeduntur citius quam qui se abscondunt; ita multum valet contra sagittas inimici abscondi. *Prov. 22*: Callidus videt malum, et abscondit se; innocens, scilicet simplex, transit et afflictus est in damno.

Item, fuga occasionum peccati. *Eccli. 21:* Quasi a facie colubri fuge peccatum. Qui enim vult cavere ne inficiatur serpentis veneno, non solum non tangit eum, sed et valde ab eo, et ab omni loco vicino se elongat. Ita et omnis peccati occasio, sive locus, sive persona, sive aliud quid sit, fugienda est.

Item, occupatio sancta. Sicut enim paterfamilias illos quos invenit otiosos in plateis ponit in opere suo, ita et diabolus tales ponit

(1) Codd. Sp. et Tol.: super sedem.... hujusmodi sedis. — (2) Cod. Sp.: viri.

in opere suo quod est peccatum. Ideo dicit Hieronymus: Semper aliquid boni operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum.

Item, fidelis decertatio. Qui enim bene vult cavere peccatum, debet cum eum invadit, contra illud fideliter decertare. *Eccli. 4:* Pro justitia, scilicet conservanda, agonizare pro anima tua, scilicet contra peccatum. Seneca: Cum hominibus pacem, cum vitiis bellum habeto. Ad certantem (1) autem fideliter pertinet primo ut vires suas totas applicet ad sui defensionem, quod quia quidam non faciunt in hoc bello, dicit Apostolus eis, *Hebr. 12:* Nondum usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Secundo, ut armis quibus potest se muniat; *Eph. 6:* Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: hujusmodi autem arma sunt orationes, crucis signacula, (2) mortis memoria, et similia. Tertio, invocatio auxilii: propter quod David invocans divinum auxilium dicit, *Ps. 69:* Deus in adjutorium meum intende; invocans (3) vero auxilium sanctorum dicit, *Ps. 120:* Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Quarto, continuatio belli: quid enim prodest ad horam certare bene, ubi cito deficit quis? *Eccli. 4:* Usque ad mortem certa pro justitia.

Patet ex jam dictis quod facile est recidivare, et quam grave est, et quomodo propter hoc mandat Augustinus hoc cavendum, et quae valent ad hoc cavendum.

CCVIII. De iis quae valent ad remissionem peccatorum habendam.

Circa tertium quod (4) dicit: « orans ut sibi debitum dimittatur, » notandum quod quantumcumque aliquis doleat de commissis, tamen numquam est certus de remissione. *Jonae 3:* Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus? Et ideo prudentis est semper timere de hujusmodi remissione. *Eccli. 5:* De propitiatu peccatorum noli esse sine metu.

Propter istum timorem etiam sancti semper orant pro peccatis dimittendis. *Ps. 31:* Pro hac, scilicet remissione peccatorum, orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verum quia oratio sine adjutorio operis non valet multum, propter quod dicitur, *Thren. 3:* Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in coelum, oranti pro

---

(1) Cod. Tol.: decertantém. — (2) Cod. Tol.: crucesignatio. — (3) Cod. Tol.: provocans — (4) Cod. Sp.: Notandum quod.

tali remissione facienda sunt ea quae valent ad talem remissionem. Sunt autem multa. Unum est peccati recognitio. (1) Propter quod David dicit, *Ps. 50:* A peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Et sic factum est. Ipso enim dicente: Peccavi Domino, statim dixit Nathan Propheta: Et Dominus transtulit peccatum tuum a te. 2 *Reg. 12.*

Aliud est sui ipsius coram Deo accusatio. *Ps. 31:* Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, quasi aggravando culpam meam in conspectu ejus, et tu remisisti impietatem peccati mei.

Aliud est contritio de peccato, sicut apparet in Petro, cui propter fletum amarum dimissum est peccatum. *Luc. 17:* Si septies in die peccaverit frater tuus in te, et septies in die conversus fuerit ad te dicens: Poenitet me, dimitte illi. Constat autem quod illud quod dimittunt discipuli, Dominus dimittit.

Aliud est confessio oris. *Ps. 113:* Facta est Judaea sanctificatio ejus: quod ideo dicitur quia Judaea confessio interpretatur, (2) et mundat a peccatis.

Aliud est peccati desertio: sine hac enim non sufficit confessio. *Prov. 28:* Qui confessus fuerit scelera sua, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Aliud est satisfactionis impositae impletio. De quodam dicitur, cujus manus erant denigratae eo quod cum eis fecisset homagium diabolo, quod postquam ad cor reversus et confessus fecit poenitentiam injunctam, paulatim, sicut faciebat, (3) dealbabantur manus ejus, et completa poenitentia ex toto sunt dealbatae. Ex quo habetur argumentum quod executio satisfactionis valet ad dealbationem sanctificationis animae. Et ideo Apostolus, *Rom. 6:* Exhibete membra vestra servire justitiae, scilicet satisfactionis, in sanctificationem.

Aliud est opera misericordiae. Non enim potest esse, sicut dicit Ambrosius, quod rivus fluat per misericordiam, et fons primus (4) siccetur; et ideo qui facit misericordiam in alium Deus ipsius misere-

(1) Codd. Tol. et Sp.: cognitio. — (2) Codd. Tol. et Vien.: Judaea quae confessio dicitur. — (3) Codd. Sp. et Tol.: fecit. — (4) Cod. Vien.: prius.

bitur. *Matth. 5:* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Aliud est remissio injuriae. *Eccli. 28:* Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.

Aliud est remissio ecclesiastica. *Joan. 20:* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Aliud est flagellum Domini pie susceptum. *Tob. 3:* Cum iratus fueris, misericordiam facis, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te.

Aliud est intercessio sancta. *Job. ult.:* Job servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.

Aliud est meritum alienum. *Luc. 5:* Quorum fidem ut vidit, ait paralytico: Homo, remittuntur tibi peccata tua.

Aliud est immensitas dilectionis. *Luc 7:* Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Oranti igitur pro peccatis laborandum est circa ista, ut levatis manibus operum cum voce, oratio ejus citius exaudiatur.

CCIX. De tentationibus. Circa quartum quod dicit: « in tentationem non inducatur, » notandum quod sunt quidam quos diabolus nunquam vel raro tentat, qui scilicet sibi gratis serviunt. Gregorius: Illos pulsare negligit quos jure quieto possidere se sentit. Alios vero qui Christo serviunt magis tentationibus vexat, sicut Pharao filios Israel; et ideo dicitur, *Eccli.* 2: Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem.

Sunt autem maltae causae quare diabolus magis impugnat servos Dei. Una est superbia. Superbus enim est diabolus, et ideo quando videt aliquem (1) se contra eum munientem insurgit, indignatus surgit contra eum, sicut tyrannus contra munientem se contra eum. Gregorius: Antiquus hostis tanto gravius contra bonos saevit quanto magis vallari eos conspicit.

Alia est invidia. Invidia enim quam habuit ab initio erga hominem ne ascenderet in coelum, non cessat, et ideo quando videt illuc bonos tendere, nititur eos impedire. Gregorius: Illos antiquus

(1) Cod. Sp.: cognoscit.

hostis magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis, jungi celestibus contemplatur.

Alia est vindicta. Est enim malitiosus; et ideo, quando aliquis facit ei vituperium repellendo eum a se, sicut faciunt boni, se vindicare nititur. Gregorius: Tanto diabolus in hominis fractione duriorem se exhibet, quanto quod ab eo projectus fuerit magis dolet.

Alia causa est inimicitiae antiquae inter diabolum et hominem, *Gen. 3,* in quibus boni magis ei rebellant; et ideo ipse eos gravius impugnat. Gregorius: Hostis noster adhuc in hac vita nos positos quanto magis sibi nos rebellare conspicit, tanto acrius nos impugnare contendit.

Alia causa est impedimentum aliorum. Bonorum enim est alios adjuvare, et ideo diabolus dat eis tantum circa se facere ne tali juvamini possint intendere. Gregorius: Fit plerumque ut hostes callidi Dei militem terribilius in semetipso tentent, quanto eum praevalere in corde alieno vident; ut dum illum ad se tuendum revocant, liberius aliena corda invadant.

Alia est amor depraedandi, sicut accidit raptoribus qui libenter turbant patriam ut plus valeant depraedari. Gregorius: Hoc contra bonos consilium maligni spiritus indesinenter ineunt, ut quos servire Deo in tranquillitate conspiciunt turbati ad voraginem culpae pertrahant.

Sciendum autem quod Dominus hujusmodi tentationes non permitteret evenire electis suis quibus omnia cooperantur in bonum, *Rom. 8,* nisi cederent ad utilitatem ipsorum. Prosunt ergo illis, juxta illud, 1 *Cor. 10*: Faciet cum tentatione proventum. Et hoc ad multa.

Primo ad acquirendam scientiam (1) pugnandi, sicut torneamentum militi. *Eccli. 34*: Qui non est tentatus qualia scit? scilicet de bello sprituali. Ad quam scientiam summe valet experientia.

Secundo ad expellendam negligentiam. Qui enim non sentiunt se hostes habere frequenter pigrescunt. *Glossa,* super illo verbo *Ps. 25*: Proba me, Domine, et tenta me: Nisi tentaret, negligentes essemus.

Tertio, ad proficiendum in virtutibus. Unde cuidam fratri non

(1) Cod. Tol.: habendam.

habenti tentationes, ut ille asserebat, dixit senex: Vade, et roga Deum contra te moveri bellum, quoniam pugnando proficit anima; sicut dicitur in *Vitis Patrum*. Seneca: Multum adjicit sibi virtus lacessita, sicut canis provocatus fit bellicosior.

Quarto, ad expellendam elationem. 2 *Cor. 12*: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi angelus Satanae qui me colaphizet. Et Gregorius: Mira dispensatione nobiscum agitur, ut mens nonnunquam in pulsatione culpae feriatur: nam esse se magnarum virium homo crederet, si nunquam (1) earumdem virium defectum intra mentis arcanum sentiret.

Quinto ad alios instruendum. Viri enim sancti qui transierunt per multas tribulationes et tentationes, melius sciunt alios tentatos instruere. 2 *Cor. 1*: Sive tribulamur, pro vestra exhortatione; id est ut sciamus vos exhortari circa similia. *Hebr. 2*: In eo enim in quo ipse tentatus est (2) potens est et alios auxiliari.

Sexto ad coronam consequendam. *Jac. 1*: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.

Sciendum iterum quod sicut tentationes quibusdam, scilicet bonis, cedunt in bonum, exemplo Christi cui nullo modo potuerunt nocere: ita quibusdam cedunt in malum, ut patet in primis parentibus. Hujusmodi autem malum est multiplex.

Primum est deceptio. *Gen. 3*: Serpens decepit me, dicit mulier. Non cessavit autem diabolus ab hujusmodi deceptione: immo valde dilatavit eam. *Apoc. 12*: Diabolus et Satanas qui seducit universum orbem.

Secundum est concupiscentiae inflammatio. *Job. 41*: Halitus ejus prunas ardere facit. Gregorius: Tanto imprimis halitu Leviathan flat quanto nisu suggestionis occulte mentes humanas illicite inflammat.

Tertium est illaqueatio. 1 *Tim. 6*: Qui volunt divites fieri incidunt in tentationes, et in laqueum diaboli. Et de hujusmodi dicitur, 2 *Tim. 2*: Ut resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

Quartum est avulsio seminis totius boni a corde. *Luc. 8*: Venit

(1) Cod. Tol.: nullum. — (2) Cod. Tol.: In eo in quo tentatus est.

diabolus et tollit verbum, scilicet seminatum, de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

Quintum est vulneratio et spoliatio ab omni bono. *Luc. 10:* Homo quidam incidit in latrones, qui exspoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Quod fit procul dubio quando quis inducitur in diaboli tentationem.

Sextum est separatio a Deo. *Luc. 8:* Et in tempore tentationis recedunt; sicut fecerunt illi de quibus, 1 *Tim. 5:* Conversi sunt retrorsum post Satanam.

Quia ergo tentationes tam utiles sunt iis qui non superantur ab eis, et tam nocivae iis qui vincuntur, apponenda est cura maxima omnibus ut in tentationem non intrent, juxta illud *Matth. 26:* Vigilate et orate ut non intretis in tentationem. Intrare vero quis dicitur quando usque ad consensum perducitur.

Sunt autem multa quae ad hoc cavendum valent.

Primum est assidua commemoratio belli. Qui enim assidue cogitat se hostes habere melius sibi cavet, et ideo dicitur, *Job. 40:* Memento belli.

Secundum est vigilantia, sicut fit in castris tempore hostili, in quibus vigilatur etiam de nocte, propter hostium periculum; et ideo dicitur, 1 *Petr. 5:* Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.

Tertium est confortatio cordis. Multi enim ex defectu cordis solent in pugna succumbere; et ideo dicitur, *Josue 1:* Confortare et esto robustus, noli metuere et noli timere.

Quartum est conatus in pugnando. *Iac. 4:* Resistite diabolo, et fugiet a vobis: non enim potest multum super (1) hominem, et ideo si quis conatur aliquantulum contra eum, statim vincitur.

Quintum est adjutorium bonorum. *Eccle. 4:* Et si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistent ei; et ideo debent quaerere sollicite orationes et adjutoria bonorum qui tentantur.

Sextum est virtus fidei. Sancti enim per fidem vicerunt regna, *Hebr. 11:* et haec est victoria quae vincit mundum fides nostra,

(1) Cod. Vien.: supra.

1 *Ioan. 5*, et similiter principem mundi: cui resistite fortes in fide, 1 *Petr. 5*.

Septimum est fidelis revelatio tentationum in confessione viris bonis. Unde in *Vitis Patrum:* Nihil ita confundit et allidit virtutem daemonum quam si quis secreta cogitationum revelaverit sanctissimis patribus. Latronum enim est fugere, ubi perpenduntur.

Octavum est meditatio Sacrae Scripturae. Cor enim humanum est sicut molendinum quod semper aliquid molit; et ideo quando revolvit in se Sacram Scripturam, non recipit aliud quod diabolus affert ad molendum (1) per cogitationes. Bernardus, *De quotidiana lectione:* Aliquid in mentem memoriae dimittendum est quod fidelius digeratur, et sursum revocatum crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, et detineat (2) animum ut aliena cogitare non libeat.

Nonum est Crucis memoria. Hoc enim est vexillum regale quod erectum terret et fugat daemones. Chrysostomus: Tanta est virtus sedulae meditationis crucis Christi, quod si fideliter in corde teneatur, statim ad ejus memoriam totus diaboli fugatur exercitus.

Decimum est scientia divina quae in multis instruit circa illud bellum: in bello enim plus valere solet sapientia quam vires vel arma bellica. *Is. 11:* Non nocebunt, neque occident in universo monte sancto meo, scilicet hostes infernales, quia repleta est terra scientia Domini.

Undecimum est contritio capitis tentationum, scilicet cogitationum primarum. Lubricus est enim coluber tortuosus, sicut dicit Hieronymus, et nisi capite teneatur, totus illabitur. Gregorius: Si tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hac eadem qua nutritur mora roboratur.

Duodecimum et sine quo alia prodesse non possunt, (3) est divinum auxilium. Ipse enim Deus est qui conservat in tentatione. *Eccli. 33:* In tentatione conservabit illum a malis, scilicet Deus timentem se.

---

(1) Codd. Sp. et Vien.: molendinum. — (2) Cod. Tol.: quod detineat. — Codd. Grat. et Vien.: sine quo alia non prosunt.

Item, eripit a tentatione. *Ps. 17:* In te eripiar a tentatione.

Item, non permittit tentationem invalescere. 1 *Cor. 10:* Non permittit vos tentari supra id quod potestis. Et ideo quasi ad summum remedium docens confugere, sequens doctrinam Domini dicit Augustinus: « orans ut in tentationem non inducatur » a Domino, scilicet permissive.

Felices illi qui praedictis utentes remediis viriliter resistunt tentationibus! Nam, sicut dicit Bernardus: Quoties tentationibus resistimus, daemones superamus, angelos laetificamus, Deum honoramus. Ipse nos hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus, certantes spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat.

Cui laus et gloria in saecula saeculorum. Amen. (1)

Explicit expositio Regulae Beati Augustini Episcopi, quam frater Humbertus, natione Burgundus, et post Beatum Dominicum Magister Ordinis Fratrum Praedicatorum quintus compilavit. (2)

J. M. J. D. J.

---

(1) Quae doxologia in cod. Grat. desideratur. — (2) Ita ex cod. Sp. - Cod. autem Tol. haec addit « .... Sciat quicumque haec impleverit se omnem regulam implivisse et ad amplius non teneri. » Ita fere cod. Grat.

INDEX

Praefatio . . . . . *Pag.* v

1. Epistola de tribus votis substantialibus religionis . . . » 1

I. Salutatio et argumentum epistolae . . . . . » ib.
II. Exhortatio ad obedientiam . . . . . » 2
III. Detestatio inobedientiae . . . . . » ib.
IV. De his quae vitiant obedientiam . . . . . » 3
V. Qualis debet esse obedientia. . . . . » 4
VI. Quod obedientia debet esse prompta . . . . . » ib.
VII. Quod obedientia debet esse devota. . . . . » 5
VIII. Quod obedientia debet esse voluntaria . . . . . » ib.
IX. Quod obedientia debet esse simplex. . . . . » 6
X. Quod obedientia debet esse ordinata. . . . . » 7
XI. Quod obedientia debet esse jucunda . . . . . » ib.
XII. Quod obedientia debet esse strenua. . . . . » 8
XIII. Quod obedientia debet esse universalis . . . . . » 9
XIV. Quod obedientia debet esse perseverans. . . . . » 10
XV. De abdicatione proprietatis. . . . . » ib.
XVI. Quaedam moventia ad abdicationem proprietatis. . . . . » ib.
XVII, Quod abdicatio proprietatis multipliciter vitiatur. . . . . » 11
XVIII. Qualiter debent esse veri amatores paupertatis. . . . . » 12
XIX. De multiplici nocumento proprietatis. . . . . » 13
XX. De utilitate paupertatis . . . . . » 14
XXI. De castitate . . . . . » 15
XXII. Similitudines quaedam de castitate . . . . . » ib.
XXIII. De tribus modis incontinentiae . . . . . » ib.
XXIV. De cogitatione mala . . . . . » 16
XXV. De delectatione . . . . . » ib.
XXVI. De consensu . . . . . » 17
XXVII. Quales debent esse qui continentes sunt . . . . . » ib.
XXVIII. De circumstantiis luxuriae . . . . . » 18
XXIX. De visu incauto. . . . . » ib.

XXX. De contactu . . . . . *Pag.* 19
XXXI. De amplexibus et osculis . . . . . » ib.
XXXII. De remediis contra luxuriam . . . . . » ib.
XXXIII. De resistentibus contra luxuriam . . . . . » 20
XXXIV. De humilitate . . . . . » 21
XXXV. De his per quae humilitas habetur. . . . . » 21
XXXVI. De signis humilitis . . . . . » ib.
XXXVII. De utilitate humilitatis . . . . . » 22
XXXVIII. Quomodo quis humilis debet apparere . . . . . » ib.
XXXIX. De nocumentis superbiae . . . . . » 23
XL. De conservatione humilitatis . . . . . » ib.
XLI. De patientia. . . . . » ib.
XLII. Le utilitate patientiae . . . . . » 24
XLIII. Qualis debet esse verus patiens . . . . . » 25
XLIV. De malis impatientiae. . . . . » 26
XLV. Quod in quibusdam patientia deformatur . . . . . » 27
XLVI. Qualiter patientia acquiratur . . . . . » 28
XLVII. De ordinatione hominis quoad Deum. . . . . » 29
XLVIII. De ordinatione hominis quoad seipsum. . . . . » 30
XLIX. De ordinatione hominis ad proximum . . . . . » 31
L. De his quae spectant ad praelatum . . . . . » 32
LI. De ordinatione in se quoad dispositionem cordis . . . . . » 33
LII. De ordinatione hominis in se quoad custodiam oris . . . . . » 34
LIII. De exercitio bonorum operum . . . . . » 36
LIV. De exercitiis virtutum . . . . . » 38
LV. De temperantia servanda in cibo et potu. . . . . » 39
LVI. De venialibus vitandis . . . . . » 40
LVII. Exhortatio bona, atque conclusio . . . . . » ib.

2. Expositio Regulae B. Augustini . . . . . » 43

Prologus . . . . . » ib.
Proemium . . . . . » 44

I. Quae sit utilitas hujus libri . . . . . » ib.
II. De laudibus regulae beati Augustini . . . . . » ib.
III. Quare praedicatio magis competat statui religioso quam saeculari . » 47
IV. Quare regula beati Augustini magis competit praedicatoribus. . . » 49
V. Quare status paupertatis magis competit praedicatoribus quam abundantiae. . . . . » 51

Incipit Regula Beati Augustini Episcopi . . . . . » 54

VI. De expositione tituli regulae . . . . . » ib.
VII. Quare hoc opus dicatur regula . . . . . » 55

VIII. De expositione regulae, sive opere tituli . . . . . *Pag.* 56
IX. Quare charitas in genere magis necessaria est praedicatori . . . » 57
X. Quare charitas est necessaria praedicatori secundum utramque differentiam . . . . . » 59
XI. Reprehensio eorum qui ea quae sunt proximi praeferunt propriae saluti . . . . . » 60
XII. Utrum omnia quae sunt in regula sint in praecepto occasione illius verbi: « praecipimus » . . . . . » 62

Caput primum Regulae . . . . . » 66

XIII. De communitate . . . . . » ib.
XIV. De excellentia vitae coenobitarum super vitam anachoretarum. . » 67
XV. De triplici unanimitate . . . . . » 70
XVI. De unitate animorum notabilia . . . . . » 71
XVII. De his quae turbant unitatem spiritus . . . . . » 73
XVIII. De mala unitate. . . . . » 74
XIX. De laudibus communitatis. . . . . » 78
XX. De quaestionibus circa distributionem communium . . . . . » 86
XXI. De superfluitate cavenda a fratribus . . . . . » 90
XXII. Quod servis Dei large sunt necessaria ministranda . . . . . » 93
XXIII. Quod non est diffidendum servis Dei, et maxime praedicatoribus, quin habeant necessaria . . . . . » 95
XXIV. Quaestiones circa communitatem primitivae Ecclesiae . . . . » 99
XXV. Quaestiones circa distributionem communem . . . . . » ib.
XXVI. De his quae vitiant communitatem . . . . . » 100
XXVII. De illis qui nolunt scripta communicare. . . . . » 103
XXVIII. Contra illos qui quaerunt in religione quod in saeculo habere non potuerunt. . . . . » 106
XXIX. Contra illos qui non sufficienter illis qui fuerunt in saeculo pauperes provident. . . . . » 113
XXX. Contra illos qui quaerunt prospera in religione. . . . . » 116
XXXI. Quod magis periculosa sit prosperitas illis qui fuerunt pauperes. » 119
XXXII. Contra pauperes qui in religione superbiunt de societate divitum et nobilium. . . . . » 120
XXXIII. Quod in affluentia rerum cor elevandum est sursum multis modis . . . . . » 122
XXXIV. Quare terrena omnia dicantur vana, et specialiter gloria humana, et quare haec non est quaerenda. . . . . » 123
XXXV. Quod monasterio quibusdam non prosunt ad salutem, et etiam quoad alia sunt iuutilia quibusdam, et quibus ex causis, et de superbia pauperum . . . . . » 126
XXXVI. Quod qui divites fuerunt in saeculo quando venerunt ad religionem, non debent fastidio habere fratres suos. . . . . » 132

XXXVII. Quare divites non debent fastidire pauperes, sed potius gloriari de eorum societate quam de parentum dignitate. . . *Pag.* 133
XXXVIII. Utrum aliqua gloria sit licita. . . . . » 135
XXXIX. Quod de bono opere, et specialiter de mundi contemptu non superbiendum . . . . . » 138
XL. Octo utilitates quae sequi solent ex dispersione terrenorum quibus anima privatur per superbiam . . . . . » 141
XLI. De remediis contra elationem de bonis propriis, et de utilitate humilitatis in praedicatore. . . . . » 143
XLII. De concordia . . . . . » 144
XLIII. De honore mutuo . . . . . » 148
XLVI. Varii modi honorandi diversos . . . . . » 151
XLV. Quare religiosi plus quam alii debent instare orationibus, et specialiter horis et temporibus constitutis . . . . . » 151

Caput secundum Regulae. . . . . » 153

XLVI. Quae et quot sint horae canonicae, et quare plus in illis instandum . . . . . » 156
XLVII. Quare libentius surgendum est ad matutinas . . . . . » 158
XLVIII. Quare libenter surgendum est in mane ad officium divinum . » 161
XLIX. Quare libenter veniendum sit ad completorium . . . . . » 163
L. Quare libenter est orandum post completorium et matutinas . . . » 165
LI. Quare in festis instantius orandum est, et in jejuniis, et in diebus rogationum, et aliis quibusdam temporibus . . . . . » 167
LII. De nomine oratorii, et quare fuerit institutum, et quae non sunt ibi facienda . . . . . » 170
LIII. De commendatione orationum secretarum, seu extraordinariarum. » 172
LIV. Quare libentius est orandum in loco sacro. . . . . » 174
LV. Quare propter orationes extraordinarias non sunt dimittenda alia ordinarie facienda, nec corporales actiones, et maxime a fratribus laicis . . . . . » 176
LVI. Quare Ecclesia utitur potius psalmis quam Scripturis aliis in orationibus, et quare inveniuntur cantus . . . . . » 182
LVII. De corde habendo in orationibus . . . . . » 183
LVIII. De utilitatibus cantus vocalis . . . . . » 187
LIX. Quod ad praedicatorem multum pertinet carnis maceratio . . . » 189
LX. De malis quae facit ingluvies ventris in religione . . . . . » 192
LXI. Quod abstinentiae et jejunia sunt rigide observanda, nec circa haec facile dispensandum . . . . . » 193
LXII. Quod discretio servanda est etiam in abstinentiis . . . . . » 195
LXIII. Quod religiosis valde cavendum est ab omni nota circa vinum, et de malis contrariis religiosis quae facit vinum . . . . . » 197
XXIV. De potentia abstinendi quae est in homine multa. . . . . » 200

LXV. De impotentibus jejunare . . . . . *Pag.* 201
LXVI. De extraordinaria comestione, et quare est libenter comedundum in conventu. . . . . » 202
LXVII. De praerogativa misericordiae circa infirmos super rigorem religionis . . . . . » 204
LXVIII. De lectione mensae, et quare viri religiosi debent loqui de edificatoriis in conviviis . . . . . » 206
LXIX. Quod infirmiores aliter sunt tractandi in victu, nec habendum pro malo. . . . . » 209
LXX. Quod felicior est status sanorum quam infirmorum . . . . . » 210
LXXI. De misericordiis faciendis circa delicatos . . . . . » 212
LXXII. De illis qui fuerunt in saeculo pauperes et in religione volunt fieri delicati . . . . . » 214
LXXIII. Contra illos qui excedunt in quantitate victualium. . . . . » 217
LXXIV. De recreationibus faciendis debilibus, etiamsi fuerint pauperes in saeculo . . . . . » 219
LXXV. De sequendo conventu, et de reprehensibilibus circa subtrahentes se ab eo. . . . . » 222
LXXVI. Quod divitiae spirituales praecellunt corporales, et quod in eis multum abundat qui sustinet parcitatem. . . . . » 230
LXXVII. Qui sunt minus habentes et minus egentes sunt melioris conditionis quam qui plus habent et plus egent. . . . . » 233

Caput tertium Regulae . . . . . » 235

LXXVIII De reprehensibilibus circa habitum religiosorum . . . . . » 236
LXIX. Quod vilis habitus convenit praedicatori. . . . . » 237
LXXX. De voluntate placendi hominibus, an licitum sit, et quare non conveniat praedicatori, et in quibus consistat. . . . . » 240
LXXXI. De ambulando insimul, et insimul stando . . . . . » 244
LXXXII. De disciplina in ambulando. . . . . » 249
LXXXIII. De disciplina in qniescendo . . . . . » 252
LXXXIV. De disciplina in habitu . . . . . » 255
LXXXV. De disciplina in motibus, sive in gestibus, quae consistit in membrorum motibus, et in modo se habendi in omni tempore, in omni statu, in omni loco, et cum omnibus . . . . . » 257
LXXXVI. Quantum deceat sanctos viros exterior disciplina. . . . . » 265
LXXXVII. De malitia oculorum et eorum corruptione, quae multum est contraria honestati . . . . . » 268
LXXXVIII. De reprehensibilibus circa mulierum aspectum, quamvis non sit prohibitus . . . . . » 274
LXXXIX. Quomodo appetere mulieres vel ab ipsis appeti velle sit crir criminosum, et qualiter utrumque sit cavendum. . . . . » 277
XC. Quid sit dictum quod aspectu appetitur et appetit concupiscentia feminarum . . . . . » 284

XCI. De impudicitia oculorum . . . . . *Pag.* 286
XCII. De malis quae facit concupiscentia carnalis . . . . . » 287
XLIII. De utilitate quare Deo fovente, occultum peccatum in religione deprehenditur interdum. . . . . » 289
XCIV. De conditione divini intuitus, et quomodo valet ad cavendum peccatum. . . . . » 219
XCV. De mutua custodia . . . . . » 295
XCVI. De fraterna monitione . . . . . » 298
XCVII. De ordine fraternae correctionis, et in quibus casibus est servandus. . . . . » 304
XCVIII. Contra familiaritates mulierum . . . . . » 307
XCIX. Contra illos qui accusant mala intentione . . . . . » 314
C. De notabilibus et dubitabilibus circa accusationes . . . . . » 317
CI. Quod aliqua retrahuntur a proclamationibus propter timorem . . » 322
CII. Quod grave vulnus sit peccatum. . . . . » 325
CIII. De correctione fraterna facienda praelato . . . . . » 328
CIV. De notabilibus et dubitabilibus circa peccata convincenda . . . » 331
CV. Quod presbyter vocetur praepositus, et de notabilibus circa ejectionem. . . . . » 337
CVI. Contra illos qui aliqua vitia corrigunt in religione, alia tolerant. » 344
CVII. Quanso zelo sunt persequenda peccata in religione . . . . . » 346
CVIII. De dilectione hominum et odio vitiorum servandis in correctione . . . . . » 349
CIX. Quantum malum sit accipere aliquid, sine licentia, et precipue munuscula a mulieribus . . . . . » 352
CX. Quod vitia majorum magis sunt corrigenda quam minorum. . . . » 354
CXI. Quod delicta confessa levius punienda sunt quam probata, et quare . . . . . » 355

Caput quartum Regulae . . . . . » 356

CXII. De vestitu . . . . . » ib.
CXIII. Quod res communes monasterii sunt servandae diligenter. . . » 357
CXIV. De providendo fratribus de vestibus. . . . . » 359
CXV. De bono et malo providendi in vestibus . . . . . » 361
CXVI. Contra illos qui singulariter melius procurantur quam alii . . » 362
CXVII. Quod ad perfectum subditum pertinet magis abjectas vestes diligere quam nimiam curam per se habere de iis . . . . . » 366
CXVIII. Contra vitium murmuris . . . . . » 368
CXIX. De cognoscendis propriis defectibus. . . . . » 370
CXX. Quod infirmitas fratrum est toleranda . . . . . » 373
CXXI. Contra illos qui pro se et non pro communitate laborant. . . » 375
CXXII. Quod res datae ponendae sunt in communi . . . . . » 378
CXXIII. Quod de bonis communibus magis est indigentibus ministrandum. . . . . » ib.

CXXIV. De poena celantis rem collatam . . . . . *Pag.* 380
CXXV. De quibusdam notabilibus pertinentibus ad vestium lotionem . . » 381
CXXVI. Quod graves sordes sunt peccata seu vitia . . . . . » 384
CXXVII. De quibusdam notabilibus circa balneum . . . . . » 385
CXXVIII. Quare medicinalia et qualiter ministranda sunt religiosis. . » 388
CXXIX. Quod compellendi sunt ad recreationes viri sancti qui eas recusant . . . . . » 391
CXXX. Quod non est satisfaciendum subditis in carnalibus voluptatibus. » 392
CXXXI. Per quae apparent aliqui vere servi Dei. . . . . » 396
CXXXII. De quibusdam circa balneationem . . . . . » 398
CXXXIII. De discretione habenda in associatione . . . . . » 399
CXXXIV. Contra illos qui se reddunt onerosos in societate . . . . » 401
CXXXV. Contra illos qui nolunt socios nisi pro sua voluntate . . . » 406
CXXXVI. De magna cura habenda de infirmis . . . . . » 411
CXXXVII. De officialibus constituendis . . . . . » 415
CXXXVIII. De mutuo servitio fratrum . . . . . » 416
CXXXIX. Quod sine murmure serviatur fratribus . . . . . » 417
CXL. De libris divinis procurandis . . . . . » 419
CXLI. De custodia librorum . . . . . » 423
CXLII. De commendatione sacrae lectionis. . . . . » 426
CXLIII. De utilitate studii in ordine Praedicatorum . . . . . » 433
CXLIV. De studio philosophiae. . . . . » 435
CXXLV. Contra illos qui negligunt religionem propter studium . . . » 439
CXLVI. De praerogativa virtutis supra scientiam. . . . . » 441
CXLVII. De malis quae facit scientia sine virtute . . . . . » 443
CXLVIII. De reprehensibilibus circa studium . . . . . » 445
CXLIX. De reprehensibilibus circa libros . . . . . » 448
CL. De reprehensibilibus circa auditores . . . . . » 450
CLI. De reprehensibilibus circa doctores. . . . . » 457
CLII. De reprehensibilibus circa conditores librorum . . . . . » 459
CLIII. De reprehensibilibus circa disputationem . . . . . » 164
CLIV. De cautela circa recipiendos . . . . . » 472
CLV. Quomodo mandatum de codicibus petendis sit servandum in ordine nostro . . . . . » 476
CLVI. De necessariis sine mora ministrandis. . . . . » 477
CLVII. De superfluitate cavenda in vestibus . . . . . » 478
CLVIII. De custodia vestium. . . . . » 479

Caput quintum Regulae . . . . . » 481

CLIX. De litibus cavendis. . . . . » ib.
CLX. De litibus exortis terminandis cito, et de causa hujus . . . . » 485
CLXI. De satisfactione pro offensa in verbo facienda . . . . . » 488
CLXII. De remissione fraternae injuriae. . . . . » 493

CLXIII. De his in quibus se habent mali male et boni bene ad invicem. *Pag.* 497
CLXIV. Quomodo rancor impedit effectum orationis . . . . . » 499
CLXV. De sanctitate in orationibus habenda, et ex quibus oritur, et de effectu orationum sanctarum. . . . . » 500
CLXVI. De diversitatibus quibusdam circa veniam petendam . . . . » 504
CLXVII. Contra duritiam verborum . . . . . » 508
CLXVIII. De malis et bonis quae fiunt per linguam . . . . . » 509
CLXIX. Quod interdum duris verbis possunt uti praelati ad suos subditos . . . . . » 514
CLXX. De quibusdam reprehensibilibus circa humilitatem . . . . . » 516
CLXXI. De auctoritate regiminis conservanda. . . . . » 517
CLXXII. Casus notabiles in quibus est petenda venia a Domino . . . » 521
CLXXIII. Quod magis dilecti sunt magis asperius corrigendi . . . . » ib.
CLXXIV. De modo dilectionis inter fratres . . . . . » 523

Caput sextum Regulae. . . . . » 529

CLXXV. De obedientia. . . . . » ib.
CLXXVI. De cura debita circa servandam regulam . . . . . » 539
CLXXII. De variis modis se habendi circa praelationem quoad ambitiosos et bonos praelatos . . . . . » 543
CLXXIII. De charitativo servitio praelati ad subditos . . . . . » 545
CLXXIX. De honore exhibendo praelato . . . . . » 547
CLXXX. De timore in quo debet esse praelatus. . . . . » 549
CLXXXI. De varietate eorum quae pertinent ad officium praelati . . » 551
CLXXXII. De praelatorum bono exemplo . . . . . » 553
CLXXXIII. De correctione quae debet vigere in praelatis . . . . . » 557
CLXXXIV. De inquietis fratribus . . . . . » 560
CLXXXV. De consolatione facienda fratribus a praelato. . . . . » 565
CLXXXVI. De pusillanimitate . . . . . » 566
CLXXXVII. De modo praelati se habendi ad infirmos . . . . . » 571
CLXXXVIII. De patentia praelatorum ad omnes subditos . . . . . » 576
CLXXXIX. Contra religiones in quibus periit vitae austeritas. . . . » 578
CXC. Contra praelatos et alios majores qui vivunt delicatius quam subditi. . . . . » 582
CXCI. Contra praelatos molles ad subditos in disciplina. . . . . » 584
CXCII. Quod necessarium est praelato ut timeatur. . . . . » 586
CXCIII. Quod praelato magis curandum est de subditorum amore quam timore. . . . . » 587
CXCIV. De cogitando de reddenda ratione a praelato. . . . . » 588
CXCV. De periculo preelatorum. . . . . » 591
CXCVI. Contra religiosos qui non servant ordinem suum . . . . . » 592
CXCVII. Contra illos qui non integre servant ordinem suum. . . . » 597
CXCVIII. De spirituali pulchritudine virtutum . . . . . » 599

CXCIX. De odore bonae famae. . . . . *Pag.* 601
CC. Contra illos qui quasi inviti et non ex animo faciunt ea quae faciunt in religione. . . . . » 606
CCI. Contra negligentiam. . . . . » 609
CCII. De rebus salutaribus habendis in mente . . . . . » 611
CCIII. De regula frequenter legenda . . . . . » 613
CCIV. De cognitione sui . . . . . » 615
CCV. De gratiarum actione pro bonis . . . . . » 617
CCVI. De dolore super transgressione regulae . . . . . » 620
CCVII. De peccati placentia et ejus recidivo . . . . . » 623
CCVIII. De iis quae valent ad remissionem peccatorum habendam . . » 626
CCIX. De tentationibus . . . . . » 628

Nonnulla nobis exciderunt sphalmata, levioris plerumque momenti, atque lectori obviae correctionis. Quaedam tamen hic notanda occurrunt.

p. 79, lin. 20, post: *Matth. 5,*	adde ex cod. Grat.: Sensus est: loquendo dicatis solum: est, est; non, non.
p. 161, lin. 21, pro: suis filii;	lege: suis filiis.
p. 163, lin. 23, pro: opus tuum;	lege: opus suum.
p. 360, in nota, lin. 2, pro: codd.;	lege: aliisque codd.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.

Magister.

De Vita Regulari /
248.71 H. De Romanis
H881
v.1

48006

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709